
43
4 G
28

APPARATUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM METHODICUS,

In quo jam reviſo multùmque ditato,

CLARA, BREVIS, & EXPEDITA DELINEATUR Idea poſitivæ & ſcholaſticæ Theologiæ, Scripturæ ſacræ, Traditionis divinæ, ſanctorum Eccleſiæ Patrum, ſacrorum Eccleſiæ Conciliorum, Pontificiarum Eccleſiæ Deciſionum, necnon variis temporibus & variis in locis ortarum in Eccleſia hæreſum.


AUCTORE R. P.

PETRO ANNATO,

Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Generali Præpoſito.

Editio quarta expurgata, accuratior & auctior.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCXVII.

E Typographia Balleonii.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

METHODICUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM
APPARATUS.

LIBER QUINTUS.

De sacris Ecclesiæ Conciliis.

QUIA non minùs in Conciliis quàm in SS. Patribus, Traditionibus & Scripturis versatum decet esse Theologum, ideò de Conciliis inter alia discat necesse est Theologiæ Candidatus, 1. ea quæ generatim Concilia respiciunt in genere. 2. Ea quæ speciatim pertinent ad Apostolica. 3. Ea quæ ad œcumenica in Ecclesia post Apostolorum ex hac vita discessum habita; & 4. denique ea quæ particularia respiciunt Concilia, in causa præcipuarum hæresum convocata; quæve sit singulorum omnium, sive generalium, sive particularium, præcipua decisionum summa: quorum omnium ut hìc breviter & summatim generalis depingatur idea, quatuor in partes sive Sectiones distribuetur iste de Conciliis libellus. 1. Erit de Conciliis generatim. 2. De Apostolicis Conciliis speciatim. 3. De œcumenicis post Apostolos in Ecclesia celebratis; & 4. de particularibus Conciliis in causa præcipuarum hæresum habitis.

Hujus libri scopus & divisio.

SECTIO PRIMA.

De Conciliis in genere.

Circa Concilia generatim sumpta sciendum est in primis, quid sit Ecclesiæ Concilium, & quotuplex; quid generale, quid œcumenicum, quid nationale, provinciale vel diœcesanum; unde Conciliorum origo, an divina vel humana? à quo convocanda Concilia, & quæ ad Concilia de jure vocandæ personæ, vel non: quis Conciliis debeat præsidere convocatis, quis ea confirmare finita; & alia his similia scitu necessaria licèt trita, sequentibus articulis breviter attingenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit, & quotuplex esse possit Ecclesiæ Concilium.

Sicut passim scioli audiuntur varii varios anhelis pulmonibus citare Ecclesiæ Patres, quos numquam viderunt; ita & varia passim turgidis faucibus reperiuntur laudare Concilia, quæ numquam legerunt, nec fortè Concilii naturam, Conciliorumve discrimina varia noverunt, quia hæc quasi trita suique ingenii captu minora putarunt. Quod ut caveat Candidatus, & juvenis quisque Theologus,

CONCLUSIO.

Quid sit Concilium.

Dico, *Concilium genericè sumptum sic rectè definiri posse, dicendo quòd sit Prælatorum Ecclesiæ congregatio, ad fidei controversias definiendas, vel fidelium mores reformandos, à legitimo capite convocata.*

Nam hæc Prælatorum congregatio *Sanhedrin* sive *Synedrion* ab Hebræis, *Synodus* à Græcis, & *Concilium* à conciliando dicitur à Latinis, nomine sumpto à *Con* & *Cilium*, inquit Archidiaconus, eò quòd, sicut dum oculorum *Cilia* clauduntur, conveniunt in unum, & conciliari dicuntur oculi; ita quia simul congregati, dum concludunt vel definiunt aliquid, in unum conveniunt, & conciliari dicuntur Episcopi: ideò cœtus eorum, sive congregatio, jure *Concilium* à conciliando vocatur.

Quotuplex Conciliorum genus.

Ex hac Concilii definitione sequitur, triplicis speciei Concilium esse posse, videlicet *provinciale*, *nationale* & *generale*. Ratio est, quia illa Prælatorum, seu Episcoporum convocatio, vel est ab Archiepiscopo in sua Provincia, vel à Primate seu Patriarcha in suo Patriarchatu, vel à summo Pontifice in toto orbe Christiano. Si fit ab Archiepiscopo omnes suæ Provinciæ suffraganeos convocante Præsules, *Provinciale* Concilium dicitur; si à Primate omnes suæ primatiæ sive nationis convocante Prælatos, tam Episcopos, quàm Archiepiscopos, Concilium *Nationale* vocatur; si denique à Papa universalis Ecclesiæ Prælatos, tam Patriarchas & Archiepiscopos, quàm Epi-

Episcopos convocante, *Universale* seu *Generale* Concilium simpliciter & absolutè nuncupatur; ad discrimen nationalium plurimorum, quæ generalia interdum vocantur, non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid tantùm, & respectu unius determinatæ nationis vel regni. *Generale* simpliciter iterùm duplex esse potest, legitimum nimirùm, & illegitimum; si legitimum sit, hoc est, à Romano Pontifice approbatum, *œcumenicum* vocatur; si illegitimum, hoc est, à Romano Pontifice reprobatum, *pseudosynodus*, sive conciliabulum, vel latrocinium diaboli dici solet.

Generale Concilium & œcumenicum in quo differant.

Dices. Generale, universale, & œcumenicum idem sonant; ergo omne generale Concilium œcumenicum est.

Resp. dist. ant. Idem sonant grammaticaliter, & juxta vim nominis loquendo; conc. Reipsa, & juxta eruditorum sensum & usum; nego ant. & conseq. Constat enim plura esse generalia & universalia Ecclesiæ Concilia, quæ tamen œcumenica dicet nemo, qualia sunt v. g. *Mediolanense* Concilium an. 354. in causa Athanasii habitum; *Ariminense* an. 359. coactum, in cujus fine per fraudem damnata Nicæna fides; ex quo, juxta Hieronymum, *Totus ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est*; quale est & *Ephesinum II.* an. 439. habitum, in quo, Dioscoro Præside, confirmata est Eutychis hæresis; qualia sunt *Constantinopolitana duo*, unum sub Leone Isauro, an. 730. alterum sub Constantino Copronymo, an. 755. contra sacras Imagines convocata, quæ generalia fuere Concilia, non tamen œcumenica, quia per Ecclesiam reprobata, & nusquam pro œcumenicis habita: plura siquidem requiruntur ad hoc ut Concilium aliquod œcumenicum dicatur, quàm ad hoc ut generale dicatur; ut enim generale dicatur, satis est quòd sit totius orbis Episcoporum congregatio, vel saltem quòd ad illud fuerint vocati universi Christiani orbis Episcopi; ad hoc autem ut sit œcumenicum, seu generale legitimum, requiritur insuper inter alia, ut sit in Ecclesia pro œcumenico receptum; nullum enim est ab Ecclesia pro œcumenico receptum, quod non sit verè œcumenicum; & nullum pariter est verè œcumenicum, quod non sit ab Ecclesia pro œcumenico probatum atque receptum.

ARTICULUS II.

Unde sit Conciliorum origo?

Quia Lutherus in suo de Conciliis inscripto libro, Concilia juris divini, seu divinæ institutionis esse negat, ac proinde nihil Conciliis opus esse contendit, ideò pro rei veritate firmanda,

CONCLUSIO.

Unde sit Conciliorum origo.

Dico, *Juris divini esse, seu à Christo Domino originem habere sacra Ecclesiæ Concilia*, idque

Prob. 1. Ex ipso Christi facto, qui degens adhuc in terris, ut de sua divinitate fidem in Apostolis firmaret, eos in unum convocavit, & quæstionem istam eis proposuit discutiendam; *Quem di[illegible] esse Filium*

hominis? Quam Petrus tanquam futurus Ecclesiæ primas & caput resolvit, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quam decisionem divinitùs inspiratam illicò testatur Christus, dicens Matth. 16. vers. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.*

Prob. 2. Ex ipsomet Christo Domino, qui sui divinam assistentiam sacris Ecclesiæ Conciliis promisit, dum apud Matth. cap. 18. vers. 20. dixit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quibus verbis Christum ipsa instituisse, & commendasse Concilia, tenet & asserit Chalcedonense Concilium in Epist. ad Leonem Papam hujus nominis I. quod Christi factum & verba sequentes Apostoli, varia deinde post Christi ad Cœlos ascensum celebrarunt Concilia, & post Apostolorum ex hac vita discessum, varia alia Apostolorum successores Episcopi; ergo juris divini sunt, & à Christo suam originem habent Ecclesiæ Concilia sacra.

Prob. 3. Ex eo, quòd non minùs providerit Christus Dominus suæ Ecclesiæ regimini, quàm Judæorum Synagogæ gubernio providerit olim Deus; atqui eo ipso, quo Pontifices instituit olim Deus, qui Synagogam regerent, instituit & seniorum Concilium in ea sive *Synedrium*, ad quod posset esse recursus pro resolvendis occurrentibus in ea controversiis, ut patet ex illo Dei Moysen alloquentis mandato, Num. cap. 11. vers. 16. his verbis expresso: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Et iterùm ex illo Deut. cap. 17. vers. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris..... Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem, &c.* Ergo si Concilia, sive Synedria instituit in Synagoga Deus, instituit & Concilia in Ecclesia Christus; ergo.

Dices. Possunt emergentes in Ecclesia controversiæ, aliunde per summum Pontificem resolvi; ergo ad has resolvendas frustrà instituisset Concilia Christus. Resp. perm. ant. neg. conseq. quæ falsa patet ex ipso Apostolorum facto; licèt enim singuli, & seorsim singulas possent definire fidei morumque controversias Apostoli, ne tamen viderentur ordinarium ad hoc institutum à Christo remedium spernere, noluere controversiam de legalium observatione sine Concilio decidere; sed Act. cap. 15. vers. 6. coacto Jerosolymis Concilio, *convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc.*

ARTICULUS III.

Cujus sit generalia convocare Concilia, & in iisdem præsidere convocatis.

QUia Imperatoris esse, & non Papæ, generalia convocare Concilia, & in iisdem præsidere convocatis contendunt Lutherus, Calvinus, Magdeburgenses, & sequaces alii; ideòque generale, seu universale Concilium

cilium dici velint, quia ab Imperatore universali omnium domino convocatum, eaque de causa ad Tridentinum venire Concilium renuerint Germaniæ Protestantes hæretici, illudque idem ideò non recipiendum clamet Carolus Molinæus, quia non ab Imperatore, sed à Romano Pontifice convocatum; ideò ut rei veritas elucescat, & communis Catholicorum doctrina pateat,

CONCLUSIO.

Dico, *solius Romani Pontificis esse de jure generalia convocare Concilia, & in iisdem per se, vel per Legatos præsidere convocatis.* Et sic

Quis de jure debeat generalia convocare Concilia.

Prob. 1. prima pars. Ut legitimum sit Concilium, debet in nomine Christi, hoc est auctoritate Christi convocari, juxta illud Christi, Matth. cap. 18. vers. 20. dicentis: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ut sit in nomine, seu auctoritate Christi convocatum, debet ab eo solo convocari, cui Christus hanc concessit auctoritatem; atqui Christus soli Petro, & in persona Petri Romano Pontifici, & non Imperatori hanc auctoritatem concessit, dum Cœlos ascensurus, Petro in littore piscanti, & non Tiberio Romæ imperanti, suam regendam commisit Ecclesiam, dicens: *Pasce oves meas*; ergo ut sit in nomine Christi convocatum, debet à Romano Pontifice, vel de illius consensu, vel saltem illo minimè inconsulto convocari.

Prob. 2. tum ex antiquo illo Canone, quem Julius Papa in Epist. ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ Apostolicum esse dicit, quemque Alexandrina Synodus in Epistola ad Felicem, à Nicæno I. renovatum esse testatur, quo statuitur: *Præter sententiam Romani Pontificis, non posse Concilia celebrari.* Tum ex facto Concilii Chalcedonensis, non permittentis Dioscorum Alexandrinum Patriarcham inter Episcopos sedere, eò quòd aliam Synodum cogere fuerat ausus inconsulta Romana Sede, & alta voce clamantis: *Id numquam factum, numquam licitum fuisse.* Tum denique ex facto Concilii Romani quarti, in causa Symmachi Papæ, à Theodorico Rege convocati, & conquerentis, se non à Rege, sed à Papa debuisse convocari, nolentisque Regi acquiescere dicenti, se Concilium de consensu Romani Pontificis convocasse, donec ita esse præsens ipse fateretur summus Pontifex; ergo Romani Pontificis est, non Imperatoris, generalia convocare Concilia, imò & in illis per se, vel per Legatos præsidere convocatis, ut sic

Quis de jure debeat in Conciliis præsidere.

Prob. secunda pars. 1. Quia solius Pastoris est suo præsidere gregi; sed Romanus Pontifex est universalis Ecclesiæ, seu Christi gregis Pastor constitutus à Christo dicente, Joan. cap. 21. vers. 18. *Petre, pasce oves meas, pasce agnos meos.* Ergo solius est Romani Pontificis toti seu universali præsidere Ecclesiæ, sive per orbem diffusæ, sive in Concilio congregatæ, ac proinde & Concilio generali Ecclesiam repræsentanti.

Prob. 2. ex perenni & antiqua Ecclesiæ praxi, qua constat nedum Petrum præfuisse primo Apostolorum Concilio Jerosolymis habito pro electione Mathiæ, & alteri omnium præcipuo cæterorumque normæ, ibidem pro determinanda legalium cessatione celebrato, de quo Actuum cap. 15. sed etiam post Apostolos, Romanum Pontificem cæteris œcumenicis, tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, per se, vel per Legatos

gatos præfuisse Conciliis, Imperatorem verò minimè nec per se, nec per alium.

Prob. ant. 1. Per se Præses fuit Romanus Pontifex Occidentalibus omnibus, excepto Tridentino, ut constat apud omnes; Orientalibus verò per Legatos, ut sic ostenditur; nam præfuit Nicæno I. *S. Silvester* per *Osium*, *Vitum*, & *Vincentium* Legatos à se missos; Constantinopolitano I. præfuit *Damasus* per *Nectarium* Constantinopolitanum Patriarcham, non missum quidem, sed sui loco præsidere permissum, vel ut probabiliùs opinantur alii, per *Timotheum* Alexandrinum; Ephesino I. & œcumenico III. præfuit *Cælestinus I.* per *Cyrillum Alexandrinum*, deinde per *Arcadium* & *Projectum* Episcopos, & *Philippum* Presbyterum; Chalcedonensi Concilio præfuit *S. Leo* per *Paschasinum* & *Lucentium* Episcopos, *Bonifacium* & *Basilium* Presbyteros; Constantinopolitano II. œcumenico præfuisse dici potest *Vigilius* per *Eutychium* Constantinopolitanum Patriarcham, præsidentiam Vigilio ultro offerentem, & nihil in Concilio definiri patientem, nisi priùs lectis *Vigilii* epistolis, & ejus præhabito consensu; Tertio Concilio Constantinopolitano, œcumenico sexto, præfuit *Agatho* per *Theodorum* & *Gregorium* Presbyteros, *Joannem* Diaconum, & *Constantium* Subdiaconum; Septimo œcumenico Nicæno secundo præfuit *Adrianus I.* per *Petrum S. Sabæ*, Romanæ urbis Abbatem, & *Petrum Archipresbyterum*; in octavo denique œcumenico, seu Constantinopolitano quarto præfuit *Adrianus II.* per *Donatum* & *Stephanum* Episcopos, & *Marianum* Diaconum: Tridentino verò Occidentali, & œcumenico omnium ultimo præfuere primò nomine *Pauli III.* tres Romanæ Ecclesiæ Cardinales, videlicet *Joannes Moronus* Episcopus Prænestinus, *Marcellus* Presbyter, & *Reginaldus Paulus* Diaconus, natione Anglus; nomine verò *Julii III.* post obitum Pauli III. præfuere Cardinalis *de Crescentio*, Sebastianus *Pighion* Archiepiscopus Sipontinus, & *Aloysius Lippomanus* Veronensis Episcopus; & tandem post obitum *Julii*, præfuere quatuor Cardinales alii, nomine *Pii IV.* videlicet *Hercules* de Mantua, *Hieronymus Seripandus*, *Stanislaus Hosius*, & *Ludovicus Simoneta*.

Ergo ex hac antiqua & constanti Ecclesiæ praxi constat, Romani Pontificis esse, non Imperatoris, generalibus præsidere Conciliis.

Objicies 1. in primam partem. Quatuor priora œcumenica Concilia fuere ab Imperatoribus convocata, videlicet Nicænum I. à *Constantino*, Constantinopolitanum I. à *Theodosio* seniore, Ephesinum à juniore, & Chalcedonense à *Martiano*; ergo non Romani Pontificis, sed Imperatoris est œcumenica convocare Concilia. Resp. 1. neg. ant. Nullum enim est assignabile verè œcumenicum Concilium, quod fuerit à solo Imperatore, & non à summo Pontifice, vel de illius consensu tacito, vel expresso, aut saltem illo minimè inconsulto convocatum, ut facilè singula percurrenti patebit; nam

1. Nicænum I. non à Constantino solo, sed à Constantino & Silvestro congregatum fuisse constat ex sexta Synodo, act. 18. & ex Ruffino, lib. 10. hist. cap. 1. dicente illud à Constantino congregatum, *ex sententia Sacerdotum, & nominatim Silvestri*.

2. Constantinopolitanum I. non à *Theodosio* seniore, sed à *Damaso* Romano Pontifice, Theodosii senioris opera convocatum, satis indicant ipsi Concilii Patres, in epist. ad Damasum, dicentes: *Mandato literarum à superiori anno, à vestra reverentia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missa-*

missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos praeparavimus. Testantur & vetustissimi Vaticanae Bibliothecae codices, expresse sic dicentes : *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii Damasus confirmari praecepit, etiam in sancta secunda Synodo, quae praecepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est*.

3. Ephesinum I. non à Theodosio juniore & Valentino, sed eorum opera à *Caelestino I.* indictum, colligitur ex Coelestini ad Cyrillum Alexandrinum literis, imò & ex ipsa Concilii relatione ad Theodosium Imperat. missa act. 3. sic dicente : *Haec, antequam haec sanctissima Synodus conveniret, Caelestinus I. magnae Romae Episcopus per literas suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo, Deoque dilectissimo, magnae civitatis Alexandriae Episcopo, ut suas vices subiret, commiserat*.

4. Chalcedonense, non à Martiano, sed à Leone Magno indictum constat, ex epistola Martiani ad Leonem, ante Chalcedonense Concilium posita, qua rogat ipsum ut veniat, & ipse Concilium faciat; vel si venire nolit, per literas significet quid agi velit; & ex ejusdem Leonis ad Martianum epistola, ubi ait : *Literas dedimus ad fratres, & Coepiscopos nostros, iisque Concilium generale indiximus*. Imò & ex ipsius Concilii Chalcedonensis facto, non permittentis Dioscorum inter Episcopos sedere, quia aliam celebrare Synodum fuerat ausus absque S. Romanae Sedis assensu, *quod nusquam licitum, nusquam factum*, conclamarunt omnes Concilii Patres.

Quis ergo dicet ab Imperatore solo, non à Romano Pontifice convocatum Concilium illud, vel ante illud, aliquod oecumenicum aliud ? cùm clarè & manifestè pronuntiet, *Id nusquam licitum, nusquam factum*. De caeteris sequentibus Conciliis Orientalibus dubium ferè nullum ; fatetur enim quisque peritus quintum oecumenicum à *Vigilio*, sextum ab *Agathone*, septimum ab *Adriano I.* & octavum ab *Adriano II.* Romano Pontifice convocatum. De Occidentalibus, constat in iis per seipsos Romanos praefuisse Pontifices, Tridentino excepto, in quo varii praefuere Legati.

Objicies 2. Concilia particularia Galliae, Germaniae, Hispaniae, non ab alio, quàm à Regibus fuere convocata, & tamen passim eorum Canones observat Ecclesia; ergo supponuntur ritè convocata. Resp. hujusmodi Concilia non fuisse à Regibus convocata propria auctoritate, sed de consensu vel Romani Pontificis, vel Episcoporum nationalium, & potissimùm Primatum aut Metropolitanorum.

Objicies 3. in secundam partem. In primis Orientalibus Conciliis semper praefuere Imperatores, vel eorum Legati, & nusquam summi Pontifices; ergo Imperatoris est, non Romani Pontificis, generalibus praesidere Conciliis. Resp. neg. ant. Id enim juris non habent Imperatores, seque non habere satis testatus est religiosissimus Imperator *Constantinus* in primo Nicaeno Concilio, cùm in eo nedum minimè praeesse Concilio, sed nec in eodem, quo Episcopi loco, sedere voluerit, & publicè professus fuerit se non Episcopos judicare, sed ab Episcopis judicari debere. Quòd si primum locum materialem in Conciliis interdum tenuerint Imperatores, tenuere non ut Judices & definientes, sed solùm honoris causa; non ut Concilii Praesides aut Judices, sed ut defensores ac tutores.

ARTICULUS IV.

Quænam personæ sint ad Concilium vocandæ.

Sciendum est quadruplex hominum genus Conciliis interesse posse; alii enim intersunt ut Judices habentes suffragium decisivum, ut Episcopi; alii, ut Jurisconsulti, habentes suffragium consultivum, ut viri docti; alii ut Ministri, seu ut ministerium impendant aliquod Concilio, ut Notarii sive Scribæ, janitores, & alii similes; alii denique intersunt, ut Concilii defensores, caventes ut in eo pacata fiant omnia, ejusque decreta executioni mandentur, ut Principes. His ergo ita positis, quæritur, quinam de jure, vel ex privilegio sint ad Concilium, ut Judices vocandi, seu ut habentes suffragium decisivum. Circa quod varia sunt hæreticorum figmenta; voluit enim aliqui, ut Lutherus, & cum eo Protestantes cæteri, omnes peritos etiam Laicos jus habere suffragii decisivi; alii, ut Brentius & Calvinistæ, solos electos, utpote solos ad Ecclesiam pertinentes; opinantur alii omnes nedum Episcopos, sed etiam Presbyteros curam animarum habentes, sive Parochos, esse ad Concilium de jure vocandos: contra quos, aliosve quoscumque

CONCLUSIO.

Quis de jure debeat ad generalia vocari Concilia.

Dico, *solos Episcopos de jure ad generale Concilium esse vocandos ut Judices; & ex consuetudine Cardinales; Abbates verò & Religionum Generales ex privilegio.*

Prob. prima pars. 1. ex communi Ecclesiæ praxi, qua constat in antiquis omnibus Ecclesiæ Conciliis, solos Episcopos tanquam Judices & definientes subscripsisse, hac utendo formula: *Ego Episcopus definiens subscripsi.*

2. Ex illo S. Cypriani ad Jubajanum dicentis: *Ecclesiam*, ac consequenter Concilium repræsentans Ecclesiam, *in Episcopo esse.*

3. Ex illo celebri Concilii Chalcedonensis Patrum dicto: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* Ergo si soli ut Judices antiquis interfuerint Ecclesiæ Conciliis Episcopi; si in Episcopis sit Ecclesia, & Concilium repræsentet Ecclesiam; si Concilium denique sit Episcoporum, soli de jure ad Concilium vocandi videntur Episcopi, ut Judices, suffragiumque decisivum habentes.

Prob. 2. ratione fundamentali. Ut quis sit ad Concilium de jure vocandus ut Judex, jurisdictionem spiritualem in foro externo habeat necesse est; cùm in Conciliis vel damnari soleant hæreses contra hæreticos, vel condi Canones pro reformatione morum & disciplinæ, vel privatorum Episcoporum, aut aliorum privatæ causæ judicari; qui omnes actus, sunt externæ jurisdictionis actus; atqui soli Episcopi, & nulli alii, sive Parochi, sive Docti, sive Imperatores, sive Reges, & cujuscumque alterius dignitatis Laici habent hujusmodi jurisdictionem; ergo Episcopi soli, & nulli alii sunt de jure ad Concilium, ut Judices vocandi.

Prob. 3. Cùm Concilium sit Ecclesiæ repræsentatio, ad illud hi soli sunt

sunt de jure vocandi, per quos possit Ecclesia repræsentari, seu in quibus est Ecclesia: atqui hi sunt soli Episcopi, cùm dicat S. Cyprianus: *Ecclesia est in Episcopo*. Ergo hi soli sunt de jure vocandi; ex privilegio verò, & ex consuetudine Cardinales non Episcopi, Abbates, & Religiosorum Ordinum Generales; ut sic

Prob. secunda pars. 1. de Cardinalibus; nam Cardinales, vel sunt Episcopi, vel non; si Episcopi, sunt de jure vocandi, quia Episcopi; si non sint Episcopi, sunt etiam ut Cardinales, si non de jure, saltem ex consuetudine usu recepta & approbata, pariter vocandi; & meritò, 1. quia ut Cardinales & Papæ collaterales, licèt non Episcopi, sunt ipsis Episcopis majores ob amplitudinem suæ dignitatis, & assistentiam, ut habetur ex cap. *Ad apostolicæ de judic. in 6. & ex Clement. Pastoralis eodem titulo*. 2. Quia Cardinales suis in titulis jurisdictionem habent Episcopalem, ut constat ex cap. *Iisque de major. & obedient.* Ergo si non de jure, saltem ex consuetudine jure merito recepta vocandi; imò & Abbates, & Religionum Generales, ut sic — Quis ex consuetudine.

Prob. tertia pars. 1. quia id ex praxi & consuetudine constat. 2. Quia illud ipsa suadet ratio; nam ipsi Abbates, & Religiosorum Ordinum Generales sunt Superiores fidelium exemptorum à jurisdictione Episcoporum; ergo cùm Concilium generale sit universalis Ecclesiæ repræsentatio, & ad illud vocandi sint de jure Episcopi, ut sibi subditos repræsentent fideles, ita & ad illud vocari debent Abbates, & Religiosorum Ordinum Generales Superiores, ut sibi subditos fideles, & ab Episcopis non repræsentatos, quia Episcopis non subditos, repræsentent, & in quos jurisdictionem quasi Episcopalem habent; & quia hujusmodi jurisdictionem quasi Episcopalem, illamque ab Episcopis exemptionem ex privilegio, non de jure tenent; ideò non de jure, sed ex privilegio ad Concilium ut Judices vocandi. — Quis ex privilegio.

Objicies 1. In Concilio generali Apostolico, pro determinanda Legalium cessatione Jerosolymis habito, quodque cæterorum debet esse Conciliorum norma, interfuere non solum Apostoli, sed etiam Presbyteri omnes, juxta illud Actuum, cap. 15. vers. 6. *Convenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*, ubi nomine seniorum, intelliguntur Presbyteri curam animarum habentes; imò interfuere & Laici, ut colligitur ex contextu sequenti: *Tunc placuit Apostolis & senioribus, cum omni Ecclesia*: ergo non solùm Episcopi, sed etiam Presbyteri, præsertim curam animarum habentes, seu Parochi, imò & alii viri docti, licèt Laici, sunt ad Concilium ut Judices vocandi. Resp. perm. ant. neg. conseq. Ratio est, quia licèt hi omnes interfuerint Concilio præfato, non tamen eodem modo, eodemque jure, & ut Judices; nam Apostoli interfuere ut judicarent, juxta illud Jacobi ibidem dicentis: *Propter hoc ego judico, &c.* Seniores ut consultarent & inquirerent, juxta illud, *Et cùm magna disquisitio fieret*; cæteri verò Laici, ut tacerent & acquiescerent, juxta illud, *Et tacuit omnis multitudo*. Et hoc idem in cæteris Conciliis fieri consuetum est; Episcopi enim, cæterique habentes ex consuetudine, vel ex privilegio suffragium decisivum, intersunt, ut judicent & definiant; alii viri docti, ut consultent & inquirant; cæteri Laici, ut taceant & definitionibus acquiescant. Resp. 2. ibi per ly *Seniores* intelligi tam Episcopos quàm Presbyteros, juxta illud Petri epist. 1. cap. ultimo, vers. 1. dicentis: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior..... pascite qui in vobis est gregem Dei.*

Obji-

Objicies 2. Causa communis communibus votis est ab omnibus tractanda; ergo cùm causa fidei, quæ solet in Conciliis tractari, sit Christianis omnibus, etiam Laicis, communis, ab iis omnibus est in Conciliis tractanda; ergo. Resp. dist. ant. Est ab omnibus tractanda diverso modo; conc. Eodem modo; neg. ant. & conseq. Licèt enim causa victoriæ sit à toto exercitu promovenda, non tamen eodem modo ab omnibus, sed à ducibus, ut præcipientibus & dirigentibus; à speculatoribus, ut vigilantibus & inquirentibus; à militibus verò, ut pugnantibus: ita & fidei causa est ab omnibus tractanda; & reipsa in Conciliis ita tractatur ab omnibus, sed diverso modo: ab Episcopis nempe, ut Judicibus definientibus; ab aliis non Episcopis, sed peritis & doctis, ut consultantibus & inquirentibus; à Laicis, ut audientibus & acquiescentibus.



SECTIO SECUNDA.

De sacris Apostolorum Conciliis.

Septem genuina Apostolorum Concilia sunt.

Apostolica Concilia voco ea, quæ à Judæ Iscariotis obitu, & S. Mathiæ in ejus locum per electionem accessu celebrarunt Apostoli; quorum aliqua fuere propriè dicta, alia impropriè & latè sumpta tantùm, licèt omnia Jerosolymis habita, uno excepto Mileti congregato; suntque numero septem, ista videlicet,

1. *Pro eligendo Mathia loco proditoris Judæ, anno Christi 34.*
2. *Pro septem eligendis Diaconis ad sedandum Græcorum murmur, anno 34.*
3. *Pro SS. Petro & Joanne ad Samaritas mittendis, anno 35.*
4. *Pro fidei Symbolo ante dispersionem edendo, anno 37.*
5. *Pro definienda quæstione de Circumcisione, aliisque Legalibus servandis, anno 51.*
6. *A Paulo Mileti convocatum, pro hortandis Ecclesiæ Senioribus ad vigilem Ecclesiæ curam, anno 58.*
7. *Pro tollenda Gentilismi suspicione de Paulo à Judæis concepta, anno 58.*

De quibus singulis ut hìc fusiùs inquiramus, eaque verè extitisse, & quid in unoquoque gestum sit, summatim hac in Sectione videamus, sit

---

ARTICULUS PRIMUS.

De primo Apostolorum Concilio, anno 34.

Pro eligendo Mathia loco proditoris Judæ.

1. Pro electione Mathiæ.

Concilium istud verè Apostolicum esse & Jerosolymitanum, hoc est ab Apostolis, & Jerosolymis aliquando celebratum, non aliunde meliùs constare potest, quàm ex Actuum Apostolorum cap. 1. vers. 15. ubi expressè dicitur, quòd dum in cœnaculo Jerosolymis reclusi, promissum

sum à Christo Jesu Spiritum Sanctum expectarent Apostoli omnes, cæterique Christi fideles, tunc, hoc est, *in diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti:) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager Sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à baptismate Joannis, usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.*

Ex quo contextu manifestè patet, quomodo S. Petrus incipiens sui primatus officio fungi, & Ecclesiæ curam gerere, cæteris Apostolis in cœnaculo Jerosolymæ congregatis, anno 34. à Christo nato, hoc est post Christi ex hac vita discessum, & ad cœlos ascensum, ac ante Spiritus Sancti de cœlo descensum, proposuit unum alium eligendum esse, qui Judæ prævaricato succederet. Quo audito, statim oratione præmissa, cœptus electionis processus, duobusque æquè dignis in medium statutis, *Barsaba* scilicet & *Mathia*, eisque sortibus datis, sors cecidit super Mathiam, qui numeratus inter Apostolos, Judæ suscepit Apostolatum. Sed circa illam Mathiæ electionem sorte celebratam,

Quæritur 1. an sortibus propriè dictis hac in electione usi fuerint Apostoli. Resp. 1. varia esse circa hoc Auctorum placita. Sunt enim qui censent sortes illas non fuisse sortes propriè dictas, sed signum aliquod è cœlo divinitùs lapsum super Mathiam, puta lucis radium aliquem super caput Mathiæ divinitùs lapsum, quo designatus fuerit eligendus Mathias; eo ferè modo, quo S. Gregorius Magnus lucis radio designatus fuit olim summus Pontifex; idque ita censet S. Antoninus 1. parte titul. 6. cap. 2. vel columbam aliquam in caput Mathiæ de cœlo missam, sicut in Fabianum olim dum creatus est summus Pontifex, ut putat Dionysius Carthusianus; vel denique aliquod aliud simile signum divinitùs missum, ut S. Dionysius Areopag. lib. de Eccl. Hierarch. cap. 5. part. 3. expressè tenet, dicens: *Videtur mihi Scriptura sortem appellasse divinum illud munus, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus.* Resp. 2. cum aliis, Apostolos verè sortibus propriè dictis fuisse usos, 1. quia id ipsa sonant & indicant Scripturæ verba: *Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam.* 2. Quia S. Ambrosius in cap. 1. Luc. Apostolos viam eligendi per sortes inivisse putat, ne Apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur: at in lege veteri è sacerdotibus sorte eligi solebat unus, qui incensum adoleret ante altare Dei, ut constat de Zacharia Joannis patre, de quo S. Lucas cap. 1. vers. 9. sic ait: *Secundùm*

Sortibus propriè dictis facta.

consue-

consuetudinem sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret ingressus in templum Domini. 3. Quia Apostoli secuti sunt alia Scripturæ exempla varia : sic enim Saul sorte creatus est Rex, ut habetur 1. Reg. cap. 10. vers. 20. sic sorte divisa est Terra promissa, ut constat ex Josue, cap. 15. Ita Cornelius à Lapide in Act. cap. 1.

Idque licitè tunc. Quæritur 2. an licitè hac in electione sortibus uti potuerint Apostoli, sicque illam electionem sacram casui ac fortunæ committere. Resp. affirmativè, 1. quia duo eligendi, *Mathias* videlicet & *Barsabas*, ita erant merito pares, ut non posset humano judicio discerni quis eorum dignior esset; atqui cùm res ita se habet, ut humano judicio discerni non possit, rectè & licitè committi potest sortibus à divina providentia dirigendis, quia tunc hoc non est tentare Deum; ergo sortibus hoc in casu licitè uti potuerunt Apostoli : idque totum colligitur & confirmatur ex S. August. Epist. 180. ad *Honoratum* docente, sorte discendum esse, qui sacerdotes persecutionis tempore in urbibus manere debeant & fidelibus assistere, qui verò fugere; & sic dicente : *Si inter Dei Ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fuga omnium; & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia; tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & utrique placeant charitati; quæ disceptatio si aliter non poterit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte legendi sunt.* 2. Quia si sortibus usi sunt Apostoli hoc in casu, id fecerunt ex speciali Dei instinctu, quo illis tacitè promittebat Deus, se suam voluntatem per illas sortes ostensurum, & digniorem ex his duobus designaturum; sicut olim Dei jussu Samuel sortibus est usus, ut Saulem Regem crearet, & Josue ut Achan deprehenderet, Terramque promissam divideret : ita *Lessius lib. 2. de Instit. cap. 43. dubio 9.* & cum illo *Corn. à Lap. in Act. cap.* 1. 3. Quia ut volunt alii cum SS. PP. Hieron. in Jonæ cap. 1. S. August. Serm. de Mathia, & S. Thoma 2. 2. quæst. 95. art. 8. Apostoli adhuc rudes & inexperti id fecere ex consuetudine Patrum veteris Testamenti, antequam recepissent Spiritum Sanctum; ideòque post eum receptum, id postea non fecerunt in electione septem Diaconorum.

Licèt illicitus hodie sortium usus in omni electione sacra. Quæritur 3. an exemplo Apostolorum sortibus uti liceat hodie in electionibus sacris. Resp. negativè, 1. Quia jam jure Canonico omnis sors in electionibus Ecclesiasticis est prohibita, ut constat ex Honorii III. decretali ad Lucanum Capitulum directa, & 5. decretalium libro inserta titul. *de sortilegiis, cap. Ecclesia*; & in qua sic rescribit præfato Capitulo consultus ille Pontifex, dicens : *Ecclesia vestra Episcopo destituta, vos convenientes in unum ut de futuri tractaretis electione Pontificis, unum elegistis ex vobis per sortem, qui tres auctoritate vestra elegit, per quos vice omnium Lucanæ provideretur Ecclesiæ de pastore, quorum duo tertium, Magistrum N. scilicet elegerunt, quod expressè licebat eisdem secundùm traditam à vobis omnibus potestatem. Nos tali examinato processu, licèt nota non careat, quinimò multa reprehensione sit dignum, quòd sors in talibus intervenit ..... electionem de ipso celebratam ad confirmationis gratiam admittimus, sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* 2. Quia in electionibus Ministrorum Ecclesiæ, Pastorum præsertim curam animarum habentium, eligendus est dignior, ut passim docent Theologi, & Conc. Tridentinum Sess. 24. cap. 18. de reform. Atqui alius utendo sortibus in electione potest eligi, nec nisi per accidens & casu sic eligitur is qui judicatur dignior :

dignior: unde uti forte in electione, est electionem casui & fortunæ committere; ergo sortibus in electionibus uti non licet.

Dices fortè. Concilii Barcinonensis Patres, anno 599. sub Gregorio Magno congregati, Can. 3. sortium usum in electionibus Episcoporum approbant; ergo perperàm hunc illicitum esse dicimus. Resp. dist. ant. approbant, si casus ita contingat, ut ad Episcopatum propositi, sint ita meritis pares & æquè digni, ut humanæ prudentiæ judicio non possit dignior discerni; conc. Secùs, neg. ant. & sub eadem dist. conseq. quia non alia fuisse credenda est mens illorum Barcinonensis Concilii PP. à mente S. Augustini in epistola ad Honoratum suprà laudata.

ARTICULUS II.

De secundo Apostolorum Concilio, anno 34.

Pro septem eligendis Diaconis ad sedandum Græcorum murmur.

Eodem pariter anno Christi 34. non longè post Christi in cœlos ascensum, & visibilem Spiritus Sancti in Apostolos de cœlo descensum, cùm jam Christum prædicarent Apostoli, & ad Christi fidem converterentur multi; crevit fidelium numerus, & crescente fidelium numero factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum: viduæ siquidem olim, utpote quia seniores & matresfamilias, ministrabant aliis necessaria; cùmque viduæ Hebrææ eò quòd Hebrææ essent, arrogarent sibi honoratiora & locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos & vestes, viliora verò & tenuiora relegarent ad Græcas: & rursùm cùm in ciborum & vestium distributione magis favere plusque dare viderentur Hebræis quàm Græcis; ideò murmur exiit à Græcorum, hoc est Gentilium viduis, & à viduis murmur transiit ad viros: quod murmur & schisma nascens ut statim sedarent Apostoli, Jerosolymis iterùm congregantur, ubi per modum quasi Concilii conventum celebrant istum, pro septem eligendis Diaconis boni testimonii viris, sapientia & Spiritu Sancto plenis, qui mensarum ministerio vacarent, & providerent ut omnia tam alimenta quàm vestimenta omnibus æquè distributa forent, ut constat ex Act. cap. 6. vers. 1. & seq. ubi sic legitur: *In diebus illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.*

2. Pro septem eligendis Diaconis.

Circa septem Diaconos illos, occasione murmuris Græcorum, ab Apostolis ad mensis ministrandum electos,

Quæri-

Qui essent nedum vulgaris & profanæ præfecti, sed etiam sacræ mensæ ministri.

Quæritur 1. an septem illi Diaconi fuerint sicut nostri hodie sacri altaris ministri; vel solùm mensarum communium præfecti, non sacri. Resp. septem illos primos Diaconos verè fuisse institutos, & sacra ordinatione munitos, nedum ut forent vulgaris & profanæ mensæ præfecti, sed ut essent sacri sacræ mensæ ministri, quales sunt & hodie Diaconi nostri; idque constat

1. Ex iis quæ observarunt Apostoli in his septem eligendis & constituendis Diaconis: nam 1. quæsierunt an essent boni testimonii, & Spiritu Sancto ac sapientia pleni. 2. Oraverunt super eos; & 3. imposuerunt eis manus, ut ex contextu suprà citato patet: atqui hos omnes tam sacros ritus non adhibuissent Apostoli in septem illis constituendis Diaconis, si illos instituere voluissent, ut vulgaris & profanæ tantùm & non sacræ mensæ ministri forent, in qua frangitur sacer ille panis, de quo Paulus ait 1. ad Cor. cap. 10. vers. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ergo nedum constituti sunt ut essent vulgaris & profanæ mensæ præfecti, sed ut essent sacri sacræ mensæ ministri.

2. Id constat ex eo quòd S. Ignatius Martyr ad Heronem Diaconum, suumque posteà in Antiochena sede successorem, scribens dicat: *Nihil sine Episcopis facito; sacerdotes enim sunt, tu verò sacerdotum minister. Baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt; tu verò illis ministras, ut Stephanus Jacobo*; ergo Stephanus qui unus è septem illis primis Diaconis erat, ministrabat Jacobo sacrificanti, ac proinde & sacræ mensæ minister erat.

3. Ex eo quòd affirmet S. Hieronym. epist. 1. Nicolaum è primis septem Diaconis pariter unum, ministrasse calicem Domini; ergo ut sacrum sacræ mensæ ministrum.

4. Ex eo quòd Concilium Aquisgranense Can. 7. dicat, Diaconos in Ecclesia ordinari hodie adinstar horum septem primorum Diaconorum; ergo sicut Diaconi ordinantur hodie ut sint sacræ mensæ ministri, ita & illi septem primi.

Dices. Septem illi Diaconi primi instituti sunt occasione murmuris Græcorum, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, seu eò quòd in quotidiana eleemosynarum, præsertim ciborum distributione sive activa sive passiva despicerentur Græcorum viduæ; ergo instituti sunt, ut ad mensas communes ministrarent, ac providerent ne despicerentur Græcorum viduæ, vel aliæ, & curarent ut hac in eleemosynarum sive ciborum distributione æqualiter omnia fierent; ergo non ut sacris mensis ministrarent. Resp. conc. ant. & neg. conseq. non enim inde sequitur illos ideò fuisse institutos & electos, ut vulgaribus tantùm & profanis ministrarent mensis & non sacris, sed ut utrisque simul ministrarent, sacræ mensæ primariò, & communi ac profanæ secundariò: primis enim Ecclesiæ temporibus conjunctæ erant illæ duæ mensæ sive cœnæ, communis videlicet & sacra; quia primi Christiani quotidie communicabant, & post communionem simul cœnabant, ut patet ex illo Pauli 1. ad Cor. cap. 11. vers. 21. dicentis: *Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, &c.* Unde non sumebant cibum corporalem in mensa illa communi & vulgari, nisi priùs sumpsissent cibum sacrum, videlicet Eucharistiam in mensa sacra. Diaconi ergo instituti fuere, ut utrique illi mensæ ministrarent; ut scilicet ministrarent in mensa sacra quæ erat Eucha-

ristiæ,

ristiæ, & ut ministrarent in mensa communi quæ erat Agapæ: erat enim *Agapa* commune convivium, seu cœna vulgaris post Eucharistiæ sumptionem fieri solita, in signum charitatis & unionis.

ARTICULUS III.

De tertio Apostolorum Concilio, anno 35.

Pro definienda Petri & Joannis ad Samaritas missione.

CUm, occiso lapidibus Stephano, orta esset persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis, sæviretque Saulus spirans minarum & cædis in discipulos Christi, intrans domos, & trahens viros ac mulieres, indeque dispergerentur & fugarentur fideles omnes, præter Apostolos, per Judææ Samariæque Regiones, Samariamque venisset Philippus ab Apostolis ad Christum prædicandum missus, non quidem Apostolus, sed Philippus alter ille è septem primis Diaconis unus à Stephano primus, vir verè Apostolicus, signis & prodigiis clarus: ibique cùm inter alia, Candacis Æthiopum Reginæ Eunuchum baptizasset, Simonem pariter magum sacro Christi baptismate tinxisset, innumerosque Samaritas alios ad Christi fidem convertisset, & assiduè intenderent turbæ his quæ dicebantur ab illo, unanimesque crederent videntes signa quæ faciebat; eaque omnia magno cum gaudio cùm Jerosolymis accepissent Apostoli, statim ibidem convenientes in unum, & per modum Concilii congregati anno post Christum natum 35. & post ejus in cœlum ascensum secundo, definiunt Samariam esse mittendos, & re ipsa mittunt Petrum & Joannem, qui Samaritas illos ad Christum conversos, & à Philippo recens baptizatos Confirmationis Sacramento muniant, & in fide firment ac roborent; quod non poterat Philippus, utpote quia tantùm Diaconus & non Episcopus. Quò cùm venissent duo illi primarii sacri cœtus Apostoli, statim oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum, imposuerunt eis manus, & sic Confirmationis Sacramentum administrarunt; quod totum manifestè narrat Lucas Act. cap. 8. vers. 1. & seq. præsertim vers. 14. ubi sic ait: ***Cùm audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, &c.*** Circa hoc Confirmationis Sacramentum hìc à Petro & Joanne Samaritis collatum, ut tenent communiter DD. contra Calvinum, qui negans Confirmationem esse Sacramentum, dicit illam manus impositionem fuisse meram orandi pro aliquo cæremoniam. 3. Pro definienda Petri & Joannis ad Samaritas missione.

Quæritur utrùm Apostoli illi, hoc conferendo Sacramentum, usi fuerint chrismate, vel an illud sola manus impositione cum oratione contulerint.

Resp. duas esse oppositas DD. sententias, quarum utraque videtur probabilis.

Prima quæ est S. Thom. Bonavent. Scoti, Durandi, Paludani, Suaris & aliorum, tenet Apostolos hoc conferendo Confirmationis Sacra- Qui illis Confirmationis Sacramentum

ministrarunt, non pura sed chrismatica manus impositione.

mentum, nullum adhibuisse chrisma, sed solam manus impositionem, idque ex speciali Dei dispensatione: & ratio eorum est, quia cùm tunc Spiritus Sanctus visibiliter descenderet super confirmatos, nulla erat necessaria unctio chrismatica, quæ esset signum unctionis internæ per Spiritus Sancti descensum effectæ.

Secunda, quæ est Hugonis à S. Vict. lib. 2. de Sacram. p. 7. §. 2. Vvaldens. Corn. à Lap. & aliorum, tenet multò probabilius Apostolos hoc Sacramentum Confirmationis numquam sine chrismate ministrasse; idque sic ostendunt:

1. Quia numquam alia leguntur Apostoli administrasse Sacramenta sine ordinaria & essentiali illorum materia; ergo nec dicendi sunt Confirmationis Sacramentum Samaritis ministrasse sine chrismate, ejus essentiali materia à Christo instituta, & præsertim in Judæa, ubi est olei & balsami copia ad conficiendum chrisma, & nulla urgeret causa, nulla necessitas.

2. Quia dicuntur Apostoli hoc Sacramentum Samaritis ministrasse per manus impositionem; sed nomine impositionis manus rectè comprehenditur unctio chrismatica, etiam si non exprimatur, ut notat Hugo Vict. quia qui inungit, manus imponit: & cùm familiare sit Scripturæ sacræ res plures conjungi solitas per compendium enuntiare, una tantùm expressa, ut ibid. dum Lucas ait Apostolos baptizasse in nomine Jesu Christi, non exprimendo alias personas, sed relinquens nobis illas simul intelligendas, dicens Act. cap. 8. vers. 12. ***In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.*** Et cap. 19. vers. 5. ***His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.*** Quasi dicat, baptizabantur, non baptismo Joannis, non Pharisæorum, sed Christi, in quo inter alias SS. Trinitatis personas invocatur nomen Filii Dei, scilicet Christi: sic dum Lucas ibi dicit Apostolos confirmasse per manus impositionem, non expressit unctionem chrismaticam, sed nobis reliquit illam simul cum manus impositione intelligendam; & re ipsa illam intellexit S. Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum, ubi sub nomine impositionis manus comprehendit & unctionem chrismaticam, cùm per illam intelligat Confirmationis Sacramentum, quod non fit sine unctione chrismatica, dum ait: ***Id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Domini consummentur.*** Ubi S. Cypr. loquitur de Confirmationis Sacramento à Petro & Joanne in Samaria collato, & de eo quod ab Episcopis confertur hodie, & utrumque per manus impositionem intelligit; ergo, &c.

Dices. In decreto Eugenii IV. pro instructione Armen. dicitur dari nunc in Ecclesia Confirmationem loco impositionis manus Apostolorum; & Innocent. III. cap. *Cùm venisset T.* de S. unctione, ait, per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum; ergo idem non faciebant tunc Apostoli manus imponendo, quod nunc confirmando faciunt Episcopi. Resp. perm. ant. neg. conseq. hinc enim non sequitur, quòd id quod faciebant Apostoli tunc, distinguatur ab eo quod faciunt nunc Episcopi, tanquam ritus à ritu; sed solùm modus loquendi à modo loquendi: volunt enim tantùm dicere & Innocentius & Eugenius, quòd

idipsum

idiſpum quod faciebant Apoſtoli, dum dicebantur manus imponere, faciunt nunc Epiſcopi, dum dicuntur confirmare; quaſi dicant, quòd id quod tunc vocabatur manus impoſitio, vocatur nunc confirmatio, quamvis ſit idem Sacramentum.

ARTICULUS IV.

De quarto Apoſtolorum Concilio, anno 37.

Pro edendo fidei per orbem prædicandæ Symbolo, & deſignandis unicuique prædicantium regionibus.

QUamvis de Concilio iſto nihil manifeſtè nobis ex Scriptura conſtet, ex perenni tamen & conſtanti PP. traditione liquet, Apoſtolos poſt Chriſti in cœlos aſcenſum, antequam Jeroſolymis diſcederent, & in diſperſionem Gentium abirent, ediidiſſe Symbolum fidei, quam per orbem Gentibus prædicarent; ut ſic unius labii omnes & ubique forent, eoque fidei Symbolo quaſi nota & ſigno dignoſcerentur, qui verè Chriſtum juxta regulas prædicarent Apoſtolicas. Neque enim eſt credibile Apoſtolos cæco more & caſu Jeroſolymis diſceſſiſſe, & ad Gentes abiiſſe, quin priùs ſimul convenerint de provinciis ſive regionibus ad quas quiqne tenderent, ſicut & de fidei articulis quos ubique Gentium annuntiarent. Verùm cùm Symbolum edere iſtud, & de fide ſimul conferre non potuerint Apoſtoli, niſi fuerint ſimul alicubi collecti & conciliariter congregati, non immeritò concluditur à nobis eos Concilium celebraſſe iſtud, antequam ſe ſe per orbem diſpergerent: ſed quo in locò non conſtat, quia ſecretò & ſub ſilentio ob metum Judæorum, & ſæviente perſecutione celebratum: unde & editum in eo Symbolum, quod Symbolum Apoſtolorum vulgò dicimus, patrumque *Credo* vocitamus, & ſub ſilentio & ſecretò in Eccleſia recitamus. 4. Pro edendo fidei Symbolo.

Circa quod cùm ex Symbolo Apoſtolorum vulgò dicto hoc quartum inferamus Apoſtolicum Concilium;

Quæritur 1. Unde conſtat Symbolum Apoſtolorum vulgò dictum, eſſe verè ab Apoſtolis editum; hoc enim eſt probandum, & hoc negant Calvinus, Novatoreſque cæteri.

Reſp. Id conſtare 1. ex illa celebri S. Auguſtini regula lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas dicente: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*: Atqui Symbolum Apoſtolorum vulgò dictum, eſt tale, ut ſemper fuerit retentum, nec ab ullo Concilio, ab ullo Pontifice, vel ab ullo auctore alio inveniatur inſtitutum vel editum; ergo Apoſtolica traditum auctoritate, hoc eſt ab Apoſtolis traditum & editum rectiſſimè creditur. Quòd Symbolum verè Apoſtolicum eſſe probatur.

2. Ex SS. Eccleſiæ Patribus, & præſertim, aliis omiſſis, ex S. Ambroſio epiſt. 7. ſic ad Siricium expreſsè dicente: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Et ex S. Leone epiſt. 13. ad Pulcheriam ſic loquente: *Siquidem ipſius Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit in omni munitione cæleſti, ut omnes Hæreticorum opiniones ſuo ipſius poſſint gladio detruncari.*

3. Ex Ephesino œcumenico Concilio, in relatione ad Theodosium de Nestorii depositione sic dicente: *Fides initio quidem à sanctis Apostolis tradita, postea verò à trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæna exposita.* Ex quibus, aliis omissis, & ex communi DD. mente ita constat Symbolum Apostolorum vulgò dictum, esse verè ab Apostolis editum, ut licèt hoc non sit de fide, temerarium tamen ad minus esset oppositum asserere, inquit Yzambertus, quia hoc communi PP. consensui & Traditioni repugnaret. Sed

Dices. Si Symbolum hoc esset ab Apostolis traditum, esset de Scriptura canonica; sed hoc est falsum, nec ullus PP. hoc umquam asseruit. Resp. dist. maj. si esset ab Apostolis scripto traditum, & id de fide constaret, essetque per Ecclesiam definitum; conc. Secùs, neg. maj. sic conc. min. & neg. conseq. quia licèt sit certum, Symbolum hoc verè esse Apostolicum, tamen non est ab his scripto traditum, nec est de fide quòd sit ab illis traditum, nec ullibi per Ecclesiam definitum, ac proinde non potest esse de Scriptura canonica, cùm Scriptura canonica sit scripto tradita, & de fide est quòd sit ab auctoribus sacris.

Instabis. Si Symbolum illud esset ab auctoribus sacris, puta ab Apostolis, Lucas Apostolorum acta describens, vel aliquis ex Apostolis, vel Euangelistis alius mentionem illius alicubi fecisset; atqui nec Lucas, nec ullus alius ex his illius ullibi mentionem fecit; ergo, &c. Resp. 1. neg. maj. quia sunt & alia quæ Apostoli fecere, & quorum non meminit Lucas; nec tamen inde falsa censeri debent; Lucas enim nullam de adventu Petri Romam mentionem facit; ergone inde falsus ille Petri Romam adventus? Resp. 2. dist. si Symbolum illud esset ab Apostolis scripto traditum; conc. Si ore tantùm sit in aurem traditum; neg. maj. & sic concessa min. neg. conseq. quia Symbolum hoc fuit ab Apostolis non scripto aliquo, sed ore & fidelium memoria traditum, ut expresse docet S. Hieron. epist. 6. ad Pammachium, dicens: *Symbolum fidei & spei nostræ quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.*

Urgebis. Si Symbolum hoc esset verè sive ore sive scripto ab Apostolis traditum, esset ubique idem, nedum quoad sensum, sed etiam quoad verba & verborum dispositionem; atqui non est ubique idem quoad verba; nam in antiquo vulgari Romano primus articulus sic legitur: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ*: In Orientali verò Symbolo sic legitur: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem*; & in Aquilejensi Symbolo sic: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, invisibilem & impassibilem*; ergo, &c. Resp. dist. maj. esset ubique idem etiam quoad verba, si integrum & intemeratum fuisset ubique servatum; conc. Secùs, neg. maj. & sic concessa min. neg. conseq. quia non est ubique servatum integrum & intemeratum quoad verba, sed ei sunt interdum addita aliqua, majoris explicationis gratia: unde est orta quibusdam occasio dicendi, Symbolum hoc esse quidem verè Apostolicum, seu ab Apostolis editum quoad sensum & doctrinam, sed non quoad dispositionem & verba.

A R-

ARTICULUS V.

De quinto Apostolorum Concilio, anno 51.

Pro definienda Antiochiæ suborta quæstione de Circumcisione, legalibusque servandis aliis à Gentibus ad Christum conversis.

CONstat ex Actuum cap. 15. vers. 1. 2. & seq. quòd cùm Antiochiæ acris esset orta contentio, & celebris illa agitata quæstio, an scilicet præter Euangelicam Christi legem, Gentiles ad Christum jam conversi tenerentur insuper circumcidi, cæteraque servare legalia & judaizare. Id mordicùs affirmabant Judæi, præsertim Cerinthus & Ebion, qui de Judæa descendentes Antiochiam, Gentiles illos jam ad Christum conversos turbabant, subvertentes eorum animas, & docentes inter alia: *Fratres, nisi circumcidamini, non potestis salvari*. Contendebant enim illi solis Judæis promissum ac missum esse Messiam, ejusque gratiam & salutem, ac proinde Gentiles nec Messiæ, nec Christianismi capaces esse, nisi priùs circumciderentur & fierent Judæi. Christiani verò, & præsertim Paulus & Barnabas econtrà illos ad circumcisionem, cæterasque legis Mosaicæ cæremonias minimè teneri, illisque ad salutem Euangelium sufficere dicebant. Ad litem hanc dirimendam, Jerusalem ad Apostolos & Seniores mittitur statim cum Barnaba Paulus ex una parte; mittuntur ex aliis, hoc est ex altera parte quidam alii: quò cùm pervenissent, illicò *convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*; & Concilium istud Jerosolymis celebrarunt anno à Christo nato 51. à Christo passo 16. & à Paulo converso 14. Quo in Concilio ex Apostolicis omnium celeberrimo, & cæterorum subsequentium archetypo, magna conquisitione facta, unanimi omnium suffragio, incipiente Petro, & dirigente Spiritu Sancto, resoluta quæstio, & definitum Gentes ad Christum conversas seu Christianos nec ad circumcisionem teneri, nec ad cæremoniales Mosaicæ legis observantias alias, nihilque ultrà eis imponendum esse, quàm ut abstineant ab immolatis simulacrorum, à sanguine, à suffocato & fornicatione: idque ut eis, præsertim Antiochiæ degentibus, eorumque viduis notum facerent, hanc eis per *Judam* & *Silam*, Synodicam miserunt epistolam. 5. Pro definienda quæstione de legalibus servandis vel non servandis, Antiochiæ suborta.

Apostoli & Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus, salutem ..... Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; à quibus custodientes vos, benè agetis. Valete.

Quæritur 1. cur, & quo jure, hoc in Concilio (quod futurum erat exemplar & norma subsequentium) interfuere nedum Apostoli, sed etiam Seniores, seu Presbyteri, qui nullum in Conciliis habent jus suffragii. Resp. interfuisse quidem hoc in Concilio, sed diverso modo nedum Apostolos seu Episcopos, sed etiam Seniores sive Presbyteros, imò & Laicos, ut Huic Concilio interfuere Episcopi, Presbyteri, & Laici, sed diverso modo.

ut constat ex illo ejusdem cap. 15. vers. 22. ubi dicitur : *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis; placuit Apostolis*, en Episcopos ; *& Senioribus*, en Presbyteros ; *cum omni Ecclesia*, en Laicos : hi enim omnes interfuere, modo tamen valdè diverso ; Apostoli siquidem seu Episcopi interfuere, ut judicarent & definirent; Seniores seu Presbyteri, ut consultarent & inquirerent ; Laici verò ut tacerent & acquiescerent. Episcopi interfuere ut judices : unde est quòd Jacobus dixerit vers. 19. *Propter quod ego judico*. Presbyteri interfuere ut consultores & inquisitores, unde vers. 7. dictum : *Cùm autem magna conquisitio fieret*. Laici ut auditores, ut tacerent & definitis acquiescerent ; unde & ibidem vers. 12. dictum : *Tacuit autem omnis multitudo*. Et hoc idem deinceps in cæteris Conciliis fieri consuetum : Episcopi enim, cæterique si qui sint habentes ex consuetudine vel privilegio suffragium decisivum, intersunt ut judicent & definiant; alii verò doctores Theologi sive sæculares sive regulares, ut consultent & inquirant ; Laici verò cæteri, ut taceant & decisionibus acquiescant.

Quæritur 2. quinam ex Apostolis huic interfuerint Concilio; non enim tunc omnes erant Jerosolymis, sed jam per orbem dispersi. Resp. 1. esse qui velint, tres primarios, videlicet Petrum, Jacobum & Joannem interfuisse, cæteris per orbem dispersis : Petrum, quia expulsus Roma cum cæteris Judæis redierat Jerosolymam : *Eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma*, ut habetur Act. cap. 18. vers. 3. Jacobum verò, quia Jerosolymorum Episcopum; & Joannem, quia ab Epheso facilè vocari potuerat. Resp. 2. esse alios qui tenent cum Clem. lib. 6. Const. omnes 12. per orbem dispersos, Jerusalem instinctu Dei ad hoc Concilium venisse Apostolos : & hoc falsum esse patet ex eo quòd *Jacobus* major, unus è 12. jam obierat, occisus ab Herode anno 44. Unde resp. 3. probabilius esse omnes alios præter Jacobum, ad hoc Concilium Dei revelatione venisse Apostolos ; idque ita non solùm quia id innuit præfatus Clem. Rom. Const. liber, sed quia id de se expresse docet Paulus ad Galat. cap. 2. vers. 1. & 2. dum ait : *Deinde post annos quatuordecim, iterùm ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundùm revelationem : & contuli cum illis Euangelium, quod prædico*. Si ergo Dei revelatione monitus post 14. annos à sua conversione, hoc est anno Christi 51. ad hoc Concilium Jerosolymam venit Paulus cum Barnaba, cur non simili revelatione moniti ad illud venisse putandi sunt Apostoli cæteri ad hoc Concilium, quod erat futurum exemplar & norma subsequentium, & in quo erat contra Judaismum Christianismi definienda causa?

Quæritur 3. cur ea quæ hoc in Concilio fuere decisa & præcepta, non observantur hodie; fuit enim decisum & præceptum ut Christiani abstinerent à sanguine & suffocato, & tamen nullus est qui hoc observet hodie, imò & à multis centenis annis, cùm S. Aug. expressè dicat lib. 32. contra Faustum, jam hoc suo tempore non observari : *Quis jam hoc Christianus observat, ut vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu à cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est ?* Resp. mirum non esse, si jam à multis annis per non usum sive per non observantiam abolita sit lex de abstinentia à sanguine & suffocato; cùm jam à multis ejus cessaverit causa, & cessante causa cesset effectus. Ideò enim lata fuerat hæc lex, ut faciliùs conciliarentur Gentiles

tiles cum Judæis, & ſimul habitantes in unum populum coaleſcerent, ſublatis hiſce cauſis quibus præſertim ab invicem diſſociari & alienari poſſent, qualis erat eſus ſanguinis & ſuffocati, à quo propter antiquam conſuetudinem vehementer abhorrebant Judæi; & eſus eorum quæ fuerant ſimulacris immolata, erat eiſdem ſcandalum, quia putabant hoc eſſe argumentum ſive ſignum idololatriæ: & cùm jam Judæorum & Gentilium diſcordia deſierit, & utrique in unam Eccleſiam Chriſti plenè coaluerint, non mirum ſi communi Occidentalis Eccleſiæ conſenſu ſit antiquata lex illa de abſtinentia à ſanguine, à ſuffocato & ab immolatis ſimulacrorum.

ARTICULUS VI.

De ſexto Apoſtolorum Concilio, anno 58.

Pro hortandis Eccleſiæ Epheſinæ Senioribus, ad Eccleſiam ſumma cum vigilantia regendam.

6. Pro hortandis Epheſinæ Eccleſiæ prioribus ad ſummam pro Eccleſia vigilantiam.

Concilium iſtud particulare, etſi non fuerit propriè Apoſtolorum conventus, Apoſtolicum tamen dico, quia à Paulo Apoſtolo pro Eccleſiæ bono & Chriſti gloria, *Mileti* coactum & habitum anno Chriſti 58. Conſtat enim ex Act. cap. 20. verſ. 17. & ſeq. quòd cùm Paulus Epheſo diſcedens, & Jeroſolymam ad vincula tendens, per varias Aſiæ & Græciæ urbes pergeret in Macedoniam, inde Troadem, & Troade Miletum: *A Mileto autem mittens Epheſum, vocavit majores natu Eccleſiæ; qui cùm veniſſent ad eum & ſimul eſſent*, ſciens quòd eos non ampliùs viſurus eſſet, dixit eis inter alia multa, ultimum vale, & impensè mandavit eis, ut Eccleſiam ſumma cum vigilantia regerent, & credito ſibi Chriſti gregi indefeſsè vigilarent, dicens: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; & ex vobis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe: propter quod vigilate, &c.* Circa quod à Paulo indictum particulare Seniorum Eccleſiæ Epheſinæ Concilium,

Quæritur, quinam ſint hi natu majores Eccleſiæ Epheſinæ, ſcilicet quos ibi Paulus vocat Epiſcopos; non enim plures erant, nec eſſe poterant unius Epheſinæ civitatis Epiſcopi, ſed unus tantùm, videlicet *Timotheus*, quem non convocat Paulus, quia ille jam erat cum Paulo, ut conſtat ex verſ. 14. Reſp. illos natu majores Eccleſiæ, eſſe Eccleſiæ Seniores ſeu Presbyteros, quos Paulus ideò ibi vocat Epiſcopos, quia tunc Presbyteri invigilabant Eccleſiæ, eamque regebant ſimul cum Epiſcopo; unde inſpectores & ſpeculatores, ſive Epiſcopi dicebantur ut ille, licèt illo ſemper dignitate & poteſtate minores & inferiores; idque confirmatur ex eo quòd idem Paulus ad Philipp. ſcribens cap. 1. verſ. 1. dum ſalutat Clerum Philippenſem, & nominatim Presbyteros & Diaconos, Presbyteros pariter vocat Epiſcopos, dicens: *Omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus.* Ubi per ly *cum Epiſcopis* intelligit Presbyteros; non enim poteſt intelligere Epiſcopos propriè

dictos, quia non plures erant, nec simul esse poterant Episcopi in eadem civitate Philippensi, sed unus tantùm, quem ibi non intelligit nec salutat Paulus, quia is erat Epaphroditus hujusce ad Philippenses lator epistolæ, inquit apud Corn. à Lap. Theodoretus. Resp. 2. esse DD. qui tenent Paulum plures re ipsa vocasse Episcopos alios, præter Seniores seu Presbyteros Ephesi, nimirùm aliarum Ephesinæ provinciæ civitatum Episcopos; idque videtur innuere Paulus ipse, dum Act. cap. 20. vers. 30. sic ait: *Nunc ecce scio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes per quos transivi, prædicans regnum Dei.* Idque expressiùs asserit S. Irenæus lib. 3. cap. 14. dicens: *Paulus in Mileto convocatis Episcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheso, & à reliquis proximis civitatibus, multa testificans eis adjecit, &c.*

Instabis. Si invigilabant olim Presbyteri Ecclesiæ curæ cum Episcopo, & dicebantur Episcopi sicut ille; ergo æquales Episcopis erant, suntque adhuc hodie Presbyteri, ut contendebant Aerius & Vvicleffus. Resp. neg. conseq. quia licèt & nomen & officium Episcopi esset tunc commune Sacerdotibus, tam majoribus quàm minoribus, hoc est tam Episcopis propriè dictis, quàm Presbyteris, numquam tamen utrisque fuit æqualis concessa potestas: numquam enim Sacerdotibus minoribus seu Presbyteris fuit collata potestas consecrandi Ecclesiæ ministros, & Presbyteros alios ordinandi, sicut nec Confirmationis Sacramentum administrandi, ut ministros ejus ordinarios; quam tamen semper habuere majores Sacerdotes seu Episcopi propriè dicti; ac proinde potestate & dignitate numquam Episcopis æquales fuere Presbyteri. Idque ita certum est, ut oppositum asserens, Tridentinum incurrat anathema, dicens sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; anathema sit.*

ARTICULUS VII.

De septimo Apostolorum Concilio, anno 58.

Pro tollenda Gentilismi suspicione, de Paulo à Judæis concepta.

7. Pro tollenda Gentilismi suspicione, de Paulo à Judæis concepta.

PAulus licèt natione Judæus, & pro Judaismo in Christianos olim totus spirans minarum & cædis, cùm post conversionem jam vas electionis, Christi prædicator Evangelii, & omnibus omnia factus esset, ut omnes sive Judæos sive Gentiles ad Christum converteret, Judæorum iras & odium in se convertit; à quibus ut se immunem faciat, Judæorumque suspicionem omnem à se procul repellat, Jacobum Jerosolymorum Episcopum adit, à quo inquirat, quid sibi opus facto judicet. Cujus rei dijudicandæ gratia, apud Jacobum collecti sunt Seniores omnes; sicque si non Concilium propriè dictum, saltem conventum habuerunt aliquem eodem anno 58. in quo actum est de modo sive via, qua Paulus Judæorum iras & odium effugeret, illorumque de se conceptam Gentilismi suspicionem removeret; & unanimiter judicatum ac decisum, ut hunc in finem Paulus se Judæorum more purificaret sive sanctificaret, seu Nazareatus votum exsolveret: idque totum constat ex Act. cap. 21. vers. 18. & seq. ubi sic legitur:

Se-

Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. Quos cùm salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. At illi cùm audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes sunt æmulatores legis. Audierunt autem de te quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te supervenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis ut radant capita: & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem, &c. Circa hoc

Quæritur 1. quænam fuerit illa Pauli purificatio sive sanctificatio, de qua ibi dictum est illi vers. 24 *Sanctifica te cum illis*. Resp. varios varia circa purificationem illam opinari; nam 1. censet Vatablus apud Corn. à Lap. & alii cum illo, purificationem illam fuisse votum Nazareatus, quod tunc vel inchoaverit vel expleverit Paulus, ut Judæos sibi reconciliaret, illisque se discessionem à Moyse non prædicare suaderet. Nazareatus enim vocabatur purificatio & sanctificatio, 1. quia Nazaræi à vino & sicera se abstinebant, erantque Deo consecrati. 2. Quia Nazareatum suscipiebant, ut luxum præteritum castigarent, & ab eo se purificarent. 3. Quia in fine Nazareatus purificabant se, offerentes victimam pro peccato, ut scilicet expiarent defectus tempore Nazareatus in voti observatione contractos: unde hæc Pauli purificatio fuit, Pauli præsertim comæ expleto jam voto cremandæ, inquit Arias: quasi dicat, quòd Paulus purificavit se, suam comam deponendo, & post oblatas hostias cremando in atrio templi, juxta legem Num. c.6. v.18. 2. Cajetanus tenet Paulum non fuisse Nazaræum, nec Nazareatus solvisse votum, quia recens venerat, & ibi nulla fit voti mentio; sed Paulum se junxisse quatuor illis Nazareatus votum habentibus, pro eisque expensas fecisse, & quasi patrinum eos in templo præsentasse; sicque publicè Judæis declarasse, se Nazaræorum & Judaismi & Judæorum patrinum ac patronum, & non à lege Apostatam esse: idque infert Cajetanus ex illo vers. 24. *Et impende in illis ut radant capita*. Liranus tamen & alii tenent Paulum fuisse Nazaræum, suumque votum hìc explesse; illudque indicari ex illo vers. 24. *Sanctifica te*. 3. Sanchez verisimilius tenet hanc Pauli purificationem fuisse propriè dictam, quia in Græco sic eam semper vocat Lucas, sive Paulum habentem votum Nazareatus contactu mortui fuisse pollutum, & ab hac immunditia legali se purificasse, radendo illicò caput, & purificatum octava die adiisse templum, ut ibi annuntiaret, & expleret victimis oblatis purificationem suam, ut habetur Num. cap.6. vers.9. sicque ostendisse Judæis se legem non damnare, sed servare.

Quæres 2. in quo consistebat *Nazareatus*, seu illud Nazareatus votum. Resp. Nazareatus votum situm fuisse præsertim in abstinendo à vino & in alenda coma, eaque postea in fine voti, seu peracto voti tempore radenda, Deoque consecranda, & in holocaustum in templo cremanda, ut constat ex Num. toto capite 6. Quòd si coma illa contaminaretur per funus aliquod, aut per morticinii contactum, tenebatur Nazaræus, seu Nazareatus votum habens tondere comam quasi pollutam, & de novo Nazareatus sui tempus inchoare; quod quia sæpè contingebat, ideò votum illud per plures annos sæpè durabat.

Naza-

Nazaræi enim erant apud Judæos viri religiosi, qui ut liberiùs vacarent legi & rerum divinarum meditationi, aliorum commercio se abdicabant; & hi Nazaræi erant quasi contemplantes; vel qui cùm profusiùs vino & reliquis deliciis usi fuissent, posteà abstinentiæ & severioris vitæ generi se mancipabant, ut corpus affligerent, & hi Nazaræi pœnitentes erant; & utrique hoc vitæ genus eligebant, vel pro semper, vel ad tempus; unde quidam erant votum perpetuum habentes, ut Samuel 1. Reg. cap. 28. & Samson Jud. cap. 12. vers. 7. quidam verò ad tempus tantùm, ut Paulus Act. cap. 21. vers. 23. & utrique tenebantur sinere promissam excrescere comam, in qua intonsa, præcipua sita erat Nazaræorum cæremonia, ut colligi potest ex toto libri Numerorum cap. 6. ubi describuntur Nazaræorum ritus & consecratio.

ARTICULUS VIII.

De octavo, sive Antiocheno Apostolorum Concilio, anno 57.

Pro sedandis, ut dicitur, controversiis Antiochiæ subortis.

8. Sed supposititium Apostolorum Concilium.

FEruntur & aliud Antiochiæ celebrasse Concilium Apostoli anno Christi 57. ad sedandas controversias eo in loco subortas, ibique 9. edidisse Canones, in Origenis bibliotheca posteà repertos à Pamphilo Martyre, ut post Baronium & Binium refert Franc. *Turrianus* S. J. in 1. suo adversus Magdeburgenses libro, pro defensione Canonum Apostolorum, Decretaliumque Pontificum edito, & quos Canones sic in compendium digestos enumerat.

CANON I.

A quo editi Canones octo.

Statuit, ut credentes in Dominum Jesum, qui tunc dicebantur discipuli, dicerentur deinceps Christiani, *ut habetur Act. cap.* 11.

CANON II.

NE ille qui semel esset baptizatus, Judaico more circumcideretur.

CANON III.

Ut omni nationi ad Ecclesiam pateret aditus, nec ullus excluderetur à Religione Christiana.

CANON IV.

Erat de vitanda avaritia & quæstibus iniquis à viris Ecclesiasticis.

CANON V.

De vitio gulæ coercendo, de abstinendo à juramento, & de ludorum theatralium curiositate vitanda.

CANON VI.

Erat de scurrilitate vitanda, Gentiumque moribus fugiendis.

CANON VII.

Præceptum Jerosolymitani Concilii de abstinentia à sanguine & suffocato confirmat.

CA-

CANON VIII.

Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant ex opposito divinam humanamque veri Dei ac Christi salvatoris effigiem, ipsiusque servorum, ne errent in idolis, neque fiant similes Judæis.

CANON IX.

Denique erat de non admittendo à Judæis perperàm usitato ciborum delectu.

Sed Concilium istud cum suis Canonibus, ut suppositititium & apocryphum reputant eruditi non pauci, 1. quia in Actibus Apost. nulla ejus reperitur mentio. 2. Quia nulla ejus memoria, nullumque vestigium ejus invenitur in vetustis historiæ Ecclesiasticæ libris. 3. Quia *Hincmarus* Rem. nono scribens sæculo, & Apostolorum Synodos sive Concilia recensens omnia, istius Antiocheni nullam mentionem habet.

Dices. Innocentius I. epist. 18. de Antiochena loquens Ecclesia, ait: *Ibi & nomen accepit Religio Christiana, & conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit*; ergo Antiochiæ ab Apostolis habitum est Concilium aliquod, videlicet istud. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia hæc Innocentii verba non significant Antiochiæ habitum ab Apostolis Concilium aliquod, sed solùm Concilium Apostolorum Jerosolymis habitum, pro decidenda de legalibus quæstione, celeberrimum fuisse apud Antiochenos, 1. quia in eo actum est de controversia Antiochiæ suborta. 2. Quia Antiochenæ Ecclesiæ rogatu convocatum. 3. Ex illo missa est Synodica epistola ad Antiochiæ fratres ex gentibus conversos. 4. Quia dici potest aliqualem Apostolorum Conventum Antiochiæ factum, eumque celeberrimum dici, quatenus Judas & Silas è Jerosolymitano Concilio missi Antiochiam cum Paulo & Barnaba venere, non ut ibi Concilium haberent, sed ut datam à Concilio deferrent epistolam, & de cæteris in Concilio gestis ipsos Antiochiæ fratres instruerent, juxta illud Act. cap. 15. vers. 27. *Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.*

Instabis. Octavus hujus Concilii Antiocheni Canon de sacris Imaginibus, citatur in II. Nicæno œcumenico Concilio; ergo genuinus ille Canon, ac proinde genuinum & Concilium illud Antiochenum. Resp. dist. ant. citatur in Concilio II. Nicæno ab aliquo particulari, & sine fundamento; conc. & probatur à Concilio Nicæno II. & cum fundamento; neg. ant. & conseq. quia non sequitur illum Canonem genuinum esse, licèt citetur ab aliquo particulari & sine fundamento, qualis fuit Gregorius Pessinuntis Episcopus istum citans Canonem, & malè citans ac sine fundamento; cùm, ut visum est, nullum reperiatur apud veteres hujus Concilii vestigium.

SECTIO TERTIA.

De œcumenicis Ecclesiæ Conciliis.

CUm generalia reperiantur plura habita in Ecclesia Concilia, nec tamen œcumenica omnia; quandoquidem, ut visum est suprà, licèt omne Concilium œcumenicum generale sit & universale, non vicissim omne generale propriè vocatur œcumenicum, nisi fuerit approbatum & pro œcumenico in Ecclesiam receptum. Ideò ut probata à non probatis, & spuria secernantur à legitimis & œcumenicis, sit

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ & quot fuerint œcumenica Concilia.

Licèt de Conciliorum œcumenicorum numero non conveniant eruditi communiter omnes, & alii plura, alii pauciora esse contendant; nihilominus ut rei veritas pateat,

CONCLUSIO.

Conciliorum œcumenicorum numerus & ordo.

Dico, *inter œcumenica Concilia recenseri potissimùm ista, quorum alia Orientalia & Occidentalia alia.*

Orientalia sunt, *Nicænum I.* sub Silvestro Papa contra Arium; *Constantinopolitanum I.* sub Damaso contra Macedonium; *Ephesinum I.* sub Cœlestino contra Nestorium; *Chalcedonense* sub Leone I. contra Dioscorum & Eutychem; *Constantinopolitanum II.* sub Vigilio, pro tribus Capitulis; *Constantinopolitanum III.* sub Agathone contra Monothelitas; *Nicænum II.* sub Adriano I. contra Iconomachos; *Constantinopolitanum IV.* sub Adriano II. contra Photium.

Occidentalia verò sunt, *Lateranense I.* sub Callisto II. pro tollendis inter Papam & Imperatorem dissidiis; *Lateranense II.* sub Innocentio II. contra Petrum Leonem; *Lateranense III.* sub Alexandro III. pro Ecclesiæ disciplina, & contra Albigenses; *Lateranense IV.* sub Innocentio III. contra Almaricum, aliosque hæreticos, & pro Terra Sancta recuperanda; *Lugdunense I.* sub Innocentio IV. pro expeditione ineunda, ad recuperanda veneranda Terræ Sanctæ loca; *Lugdunense II.* sub Gregorio X. contra Græcorum errores, & pro illorum ineunda cum Latinis unione; *Viennense* sub Clemente V. contra Begardos & Beguinas, & depravatos Templariorum mores; *Constantiense* quoad ea, quæ fuere approbata per Martinum V. *Florentinum* sub Eugenio IV. pro debellandis Græcorum erroribus, ipsisque Græcis cum Latina uniendis Ecclesia; *Lateranense V.* sub Julio II. & Leone X. contra Conciliabulum Pisanum, pro extinctione schismatis, reformatione Ecclesiæ, Christianorum Principum inter se digladiantium concordia, & promovenda in Mahometanos expeditione bellica; *Tridentinum* denique, sub Paulo III. Julio III. & Pio IV. contra Lutheri & Calvini, eorumque sequacium novatorum hæreses, & ad reformandos Cleri populique mores.

Objicies. Constantinopolitanum I. œcumenici Concilii conditiones non habet, cùm non fuerit à Romano Pontifice *Damaso* convocatum, cùm in eo non præfuerit ipse Damasus neque per se neque per Legatos, & in eo soli interfuerint Orientales Episcopi; ergo œcumenicum dici nequit. Resp. neg. ant. & conseq. Ratio est, quia Concilium istud considerari debet non præcisè ut Orientale fuit, sed ut moraliter junctum cum Occidentali Concilio, tunc & eodem tempore à Damaso Romæ celebrato; sic enim spectatum est moraliter unum cum illo, seu unum resultans ex illis duobus in eamdem fidem & sententiam conspirantibus, quodque ut sic œcumenici conditiones habet, & ut œcumenicum est à Damaso & à tota Occidentali Ecclesia receptum. Resp. 2. Esto non

fuerit

fuerit œcumenicum ratione convocationis, est saltem œcumenicum ratione confirmationis & approbationis, cùm sit sub Damaso Papa ab œcumenica probatum & receptum Ecclesia, & unum ex iis quatuor quæ S.Gregorius Magnus in Synodo Romana confirmavit, & ut quatuor Euangelia sacra se venerari dixit.

ARTICULUS II.

De Concilio Nicæno primo, anno 325.

Sub Silvestro primo Romano Pontifice, pro Filii Dei divinitate tuenda contra Arium: determinando festi Paschalis die contra Quartodecimanos: & sedando Meletii schismate contra Meletium.

Cum imperante Flavio *Constantino Magno*, Alexander vir sanctissimus post *Petri* & *Achillæ* decessum, Alexandrinus fuisset electus Episcopus anno juxta Hieronymum 321. id ægrè ferens *Arius* Presbyter Alexandrinus, ambitionis & invidiæ stimulis agitatus, Alexandri vitam cùm non posset, doctrinam impugnare decrevit, & novum ac impium cœpit in vulgus de Filio Dei disseminare dogma, dicens; *Erat aliquando, quando non erat; ex non extantibus factus est, non de Patris substantia genitus ex tempore, non ab æterno, haudquaquam Deus verus de Deo vero, sed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate naturaque mutabilis.* Quæ, aliaque id genus impiè delirans & seminans, multis calamitatibus diu Catholicam afflixit Ecclesiam. Hunc blandis & amicis cohortationibus ad saniorem mentem reducere conatur Alexander, sed frustrà: magis econtrà furit in dies, & sui sceleris socios aggregat quoscumque potest; ipsos etiam Ecclesiarum Pastores vertit in Lupos, & *Eusebium* in primis Nicomediensem Episcopum sibi patronum allicit. Alexander crescenti periculo quærens remedium, coacta ex Libya & Ægypto centum Episcoporum Synodo, Arium & sequaces anathemate ferit: at *Arius* qui in Palæstina apud Eusebium Nicomediæ exulabat, alio in Arianorum Concilio Eusebii factione in Bithynia coacto, in Ecclesiæ communionem recipi jubetur, & ex hoc magis invalescere Ariana cœpit hæresis.

Brevis & historica primi Nicæni Concilii summa.

Eodem tempore erat intestinum aliud, quo afflicta gemebat Ecclesia, malum, auctore *Meletio* Lycopoleos in Ægypto Præsule, quem multis convictum criminibus, eoque potissimùm quòd idolis sacrificasset, cùm Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr in frequenti Episcoporum Synodo de sede detrusisset Episcopali; is rem iniquè ferens, non modò Petrum ipsum ejusque successores Achillam & Alexandrum fœdissimis criminationibus oneravit & opprobriis, sed etiam hæresiarcha & ductor factus eorum, qui Meletiani fuere deinceps vocati, tota ferè bacchatus in Ægypto, manus imponendæ facultatem perperàm usurpans & temerè, multisque per civitates Diaconis, Presbyteris & Episcopis creatis, pernicioso schismate catholicam discindebat Ecclesiam.

Ad illos *Arii* & *Meletii* tumultus accedebat & alia gravis & inveterata dissensio, ab Asiaticis orta Præsulibus, qui non Dominico die, quo à mortuis surrexit Christus, sed ipsa decima quarta primi mensis luna, in quemcunque incidisset diem, Judaico ritu Pascha celebrabant. Hunc

ritum

ritum ut Apostolicæ traditioni dissonum, variis decretis jamdudum damnaverant *Victor* Rom. Pontifex & Martyr Romæ, *Theophilus* Cæsariensis in Palæstina, & *Irenæus* in Gallia.

Sed cùm his remediis non magis Asiani, quàm Meletius & Arius ad saniorem mentem rediissent, *Silvester* Romanus Pontifex, & Imperator *Constantinus* ut iis malis laboranti subvenirent Ecclesiæ, hoc generale Nicææ in Bithynia celebrandum indixere Concilium, anno Christi 325. Imperii Constantini 20. & Silvestri Pontificatus 12. juxta Baronium ad annum 325. Silvester quidem suo consensu, consilio, & auctoritate Pontificia; Constantinus verò sua cura, subsidio & opera: Silvestri enim Romani Pontificis assensu, & ejus, Alexandrique Alexandrini Præsulis per literas hortatu, ad expensas faciendas inductus pius Imperator, Episcopos ex universis terræ partibus Nicæam urbem Bithyniæ Metropolim convocavit, ubique paratis ad itinera vehiculis; eòque venere, *Athanasio oculato teste in epist. ad Jovinian. Imp.* præter Diaconos & Presbyteros numero multos, Episcopi trecenti decem & octo; hique, ut ex Concilii subscriptionibus constat, Orientales omnes, præter tres S. Sedis Legatos, videlicet *Osium* Cordubensem ex Hispania Præsulem, *Vitum* & *Vincentium* urbis Romanæ Presbyteros, & *Nicasium* è Gallia Diniensem Episcopum.

Hos inter venerandos Concilii Patres, præter Sedis Apostolicæ Legatos totius agminis ductores & præsides, eminuere plures alii vitæ sanctitate & eruditione celebres, quales fuere 1. *Alexander* Sedis Alexandrinæ Patriarcha cum suo Diacono *Athanasio*, vir innumeris ferè Sanctorum elogiis prædicatus; qui primus omnium in Arii blasphemias sublime vexillum erexit. 2. *Eustathius* Antiochenus, celeberrimus fidei confessor pro fide exilium passus, & demum in exilio vita functus. 3. *Macarius* Jerosolymitanus fidei defensor, & Arianæ perfidiæ insectator accerrimus. 4. pòst sequebatur *Potamion* Heracleensis in Ægypto ad Nilum Episcopus, insignis fidei confessor, ob testimonium Christi altero orbatus oculo. 5. *Paphnutius* Thebaidos superioris Episcopus, vir Apostolicis clarus miraculis; qui verbo Dæmones fugabat, ægros oratione sanabat; quique sæviente persecutione, altero privatus est oculo, & sinistro truncatus poplite; quemque tanti faciebat *Constantinus*, ut avulsum ejus pro fide oculum avidis sæpè demulceret osculis. 6. *Spiridion* Tremithuntis in Cypro Episcopus, mirabilium patrator egregius; qui ob insignem fidei confessionem, post dextrum avulsum oculum & sinistrum succisum genu, ad metalla damnatus olim. 7. *Paulus* Neocæsariensis, qui Licinii persecutione sæviente, pro fide, manu virilique membro, candente ferro semiustus, de impietate prostrata victor extitit. 8. *Jacobus* Nisibenus in Mesopotamia Præsul verè Apostolicus, doctrina & scripto celebris, mortuorum suscitator & fidei defensor insignis. 9. *Leontius* Cæsareæ Cappadociæ Antistes, vir Angelicæ vitæ & spiritu Prophetico celebris; qui dum iter haberet ad Concilium, Gregorii Nazianzeni patrem & baptismo lustravit, & futurum denuntiavit Episcopum, teste Greg. Naz. in fun. patr. 10. *Nicolaus* Myræ in Lycia Episcopus, vir sanctitate celebris, quem Deus, ut canit Ecclesia, miraculis decoravit innumeris: & plures celebres alii, ut *Amphion* Epiphaniensis, juxta *Ath. apol.* 2. confessor eximius, & *Hypatius* Gangrensis, juxta Menolog. Græc. meritis & martyrio clarus. Huic sanctissimo cœtui interfuit & ipse purpura auroque micans *Constantinus*, non

non ut judex, sed ut moderator; aureo quidem sedili, sed humili ac infra Episcopos, & non nisi annuentibus ipsis, sedens: quem *Eustathius* Antiochenus oratione salutavit eleganti, nomine totius Concilii Patrum; quos vicissim alloquens omnes Religiosissimus Imperator, ad pacem & concordiam, contentionesque vitandas peramanter cohortatus est, & eleganter. Quibus ita præmissis, recitantur impia Arii dogmata, ad quæ exhorruere Orthodoxi Concilii Patres. Invitantur Ariani, ut suas in medium proferant sententias, earumque rationes, ut his confutatis, veritas clarius elucesceret. Disputant Orthodoxi plerique cum hæreticis, Athanasius præsertim licèt Diaconus adhuc cum Ario, rebusque in utramque partem jactatis, & ad certam Scripturæ normam perpensis.

1. Communi Patrum suffragio, cum Ario & Arianis Ariana damnatur hæresis, & Dei Filius Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero ὁμοούσιος, hoc est, consubstantialis Patri conclamatur, & fidei formula, seu fidei Symbolum, omnium nomine ab *Osio* Cordubensi, Sedis Apostolicæ Legato, conscribitur, ut constat ex *Athan. Socrat. Sozom. & Theod. à Labbæo* in 2. tom. citatis.

2. Determinatur posteà Paschalis celebranda dies, non ritu Judaico, sed Apostolico, hoc est, non decimo quarto lunæ die mensis Martii, sed die Dominica decimam quartam Martii lunam post vernum æquinoctium immediatè sequente.

3. Judicata est *Meletii* causa, & statutum, ut nudo Episcopi retento nomine, sine Episcopi functionibus ullis, Lycum incoleret, seu in sua Lycopolitana civitate maneret. Qui autem ab eo sacris fuerant initiati, Alexandrino subjacerent Episcopo, aliis Ecclesiarum ministris postpositi.

4. Tandem pro firmanda vel restauranda Ecclesiæ disciplina, varii editi sunt Canones: sicque Concilium hoc œcumenicum primum cœptum anno 325. die 13. Kalendas Julii, conclusum est & absolutum 8. Kalend. Septembris ejusdem anni; imò & antequam dissolveretur, missum per Constantinum ad Silvestrum Rom. Pont. & à Silvestro Rom. Pont. in Romana Synodo ducentorum septuaginta quinque Episcoporum ex Italia aliisque vicinis provinciis in hunc finem congregata confirmatum; ita referente Dion. Exig. in præf. Conc. Nicæni apud Labbæum tom. 2.

De numero Nicæni Concilii Canonum, gravis fateor, & sub judice pendens adhuc controversia, qua non obstante, Græci & è Latinis eruditi ferè omnes, viginti dumtaxat, nec plures esse vel saltem superesse contendunt.

CANON I.

Illos, qui se sponte abscindunt sive castrant, clericos fieri vetat: id tamen permittit aliis, à medicis in ægritudine, vel à barbaris aut dominis suis violenter sectis. (Canones Nicæni numero viginti.)

CANON II.

Neophytos, hoc est à Gentili vita recens conversos & baptizatos, in Presbyteros vel Episcopos statim post baptismum ordinari prohibet, cum Apostolo dicente 1. ad Tim. cap. 3. vers. 6. *Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*

CANON III.

Clericis subintroductas inhibet fœminas omnes; his tamen exceptis, è quibus nulla potest suspicio esse, quales sunt mater, soror, avia, amita, matertera.

CA-

CANON IV.

Episcopum à Comprovincialibus omnibus Episcopis, si fieri possit, vel saltem à tribus de aliorum consensu ordinari jubet, Metropolitæ confirmationis jure servato.

CANON V.

Illum sive Clericum sive Laicum, qui excommunicatus est ab uno Episcopo, ab alio recipi vetat.

CANON VI.

Patriarcharum, præsertim Alexandrini jura confirmans, jubet ut antiqua per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim servetur consuetudo; ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat, quia & Romano Episcopo parilis mos est, nimirùm ut potestatem habeat in omnes sui Patriarchatus Ecclesias.

CANON VII.

Patriarchalem honorem vetusta consuetudine partum Jerosolymitano confirmat Episcopo; nulla tamen jurisdictione data, sed salvo Cæsariensis Metropolitæ jure.

CANON VIII.

Eos, qui ex Novatianis sive Catharis qui se mundos dicunt, ad Catholicam Ecclesiam redire volunt, suscipere jubet: & si Clerici sint in sua secta ordinati, in Clero manere decernit, modò in scriptis se Catholicæ Ecclesiæ leges servaturos, seque bigamis & lapsis communicaturos promittant: si verò veniens fuerit Episcopus, habeat Sacerdotii dignitatem, nisi fortè Catholico placeat Episcopo, ei etiam Episcopalis nominis honorem concedere; si verò non placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus aut Presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur, ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.

CANON IX.

Presbyteros sine examine promotos, vel in examine sua peccata confessos, & nihilominus contra Canones manuum impositionem assecutos rejicit, quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

CANON X.

Statuit, quòd quicumque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam vel dissimulationem ordinantium, hoc Ecclesiasticæ non præjudicet regulæ, sed cogniti deponantur.

CANON XI.

His qui Licinii persecutione sæviente, citra necessitatem atque periculum sponte lapsi sunt, pœnitentiæ modum præscribit & tempus; statuens ut tribus annis, si fideles inter audientes habeantur, & septem aliis annis omni se contritione dejiciant; duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

CANON XII.

Illis pariter, qui sæviente persecutione sese idololatriæ periculo exposuere, resumendo militiæ cingulum jam pro fide Christi calcatum, pœnitentiam injungit; videlicet ut decem annis post triennii tempus quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant; si verò lacrymis, patientia & bonis operibus se verè & non simulatè conversos ostendant, peracto auditionis tempore, fidelibus in oratione communicent; postmodum verò liceat Episcopo de his aliquid humanius cogitare.

CA-

CANON XIII.

Decernit ut extremè laborantes & in exitu vitæ positi, ultimo & maximè necessario non priventur viatico: quòd si convaluerint, communionem consecuti, sint inter eos, qui in sola communicant oratione.

CANON XIV.

Catechumenis in persecutione lapsis pœnitentiam præscribens, statuit ut tribus annis sint inter audientes tantummodo; post hæc autem cum Catechumenis orent.

CANON XV.

Translationes Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum de una Ecclesia in aliam inhibet, irritasque declarat; eos sic translatos in pristinas Ecclesias reduci jubet.

CANON XVI.

Presbyteros, aliosve quoscumque Clericos in his pro quibus ordinati sunt, Ecclesiis manere jubet, Episcopis prohibens alienos ordinare Clericos.

CANON XVII.

Clericos qui avaritiam turpiaque lucra sectantes, mutuum dantes, usuras exigunt & accipiunt, à clero dejiciendos esse declarat.

CANON XVIII.

Statuit ne Diaconi Eucharistiam Presbyteris porrigant, nec in medio Presbyterorum sedeant; quia nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus, accipiant.

CANON XIX.

Paulianistas, hoc est Pauli Samozateni sectarios ad Ecclesiam revertentes, rebaptizandos esse decernit.

CANON XX.

Occasione Quartodecimanorum, qui in die Dominica & in ipsis diebus Pentecostes orantes genua flectebant, sicut in cæteris hebdomadæ diebus; ut omnia in omnibus consonanter observentur, statuit sancta Synodus hoc Canone, ut fideles Christi Resurrectionis memores, non genuflectendo, sed stando præfatis diebus orent.

Notanda circa Nicænos Canones.

1. Notandum est circa primum hujus Concilii Canonem, qui est de his qui se abscindunt, quæ fuerit ejus occasio, quæ ratio, & quis sensus. Occasio fuit Leontius quidam Presbyter, qui accusatus de familiari quodam cum juvencula muliere commercio, jussusque cessare & ab illius abstinere contubernio, seipsum castrandum dedit, ut sic liberè ejus uti commercio posset; & nihilominus depositus est, & ad Arianos deficiens, Antiochenus Arianæ factionis factus est Episcopus; ita *Ath. de fug. sua, & in epist. ad solit.* Causa verò seu ratio Canonis patet 22. Apost. Canone idem statuente & dicente: *Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui ipsius homicida est, & Dei conditionis inimicus.* Sensus autem Canonis est, non quòd involuntaria virilium membrorum præcisio faciat irregularem, sed solùm spontanea sui ipsius procurata castra- Circa Nicænos Canones notanda nulla.

castratio, quantumvis id bono pietatis zelo contigerit, ut Origeni, qui spontaneam sui ipsius abscissionem ex zeli motivo passus est, & posteà per Alexandrum Jerosolymorum Episcopum Presbyter ordinatus, de ordinatione perperam suscepta accusatus est, & tandem à *Demetrio* Alexandrinæ Sedis Episcopo damnatus.

2. Circa secundum Canonem, qui est de Neophytis non ordinandis, notandum est, ideò Concilii quarti Constantinopolitani seu œcumenici octavi Patres Photio anathema dixisse act. 1. ejusque ordinationem irritam esse can. 4. declarasse, quia contra regulas sacras, maximè contra Canonem istum repentè de administratione curiali, sæcularique militia sublatus & ordinatus, Ignatio Constantinopolitano tyrannicè detruso subrogatus est.

Cur Nectarius, Ambrosius & Tharasius ordinati licèt non baptizati, vel adhuc laici.

Cùmque *Photius* sic ex Neophyto ordinatus, in sui defensionem allegaret exempla *Nectarii*, *Ambrosii*, & *Tharasii*; Nectarii, qui licèt nondum baptizatus, Constantinopolitanus est electus Episcopus; Ambrosii, qui licèt Catechumenus adhuc, Mediolanensis est Episcopus creatus; & Tharasii, qui è laicali ordine à cingulo militari ad Patriarchalem sedem Constantinopolitanam est pariter evectus, sic in epistola ad ipsum scripta respondet Nicolaus I.

Quod de Nectario objicis, necessitas magna urgebat, ne Domini Ecclesia in pessimæ hæreseos nimbosa caligine, destitutione Pastoris viduata remaneret; nec Synodus, ut iterùm fieret, confirmavit nec instituit; & ideò privilegia paucorum legem non faciunt: nam Ambrosius non instinctu hominum, sed divina vocatione per miraculorum prodigia electus est; & Tharasius statim ac Episcopus factus est, ne quis de sua fide dubitaret, prolixam texuit fidei confessionem.

3. Circa tertium Canonem, qui est de subintroductis mulieribus, notandum est, hujus Canonis auctoritate fretum *Basilium*, non permisisse olim septuagenario seni secum habere mulierem; sed ei dixisse: *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium; sit illa cum virginibus, tu inter viros ministra; lege Canonem à SS. Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum, qui manifestè interdixit, ne quis mulierem subintroductam habeat, epist. 17. ad Paregor.*

4. Circa quintum, qui est de excommunicatis ab uno, non recipiendis ab alio, notandum est in primis huic Canoni occasionem dedisse *Eusebium Nicomediensem*, dum *Arium*, & Arii sectarios ab Alexandro excommunicatos recipere fuit ausus. 2. Advertendum est contra hunc non valere, si quis dicat limitatam esse cujuslibet Episcopi jurisdictionem, ac proinde excommunicatum ab uno Episcopo, non esse ubique vitandum à quolibet alio; quia non dicitur vitandus, & non recipiendus propter solam excommunicantis Episcopi jurisdictionem particularem, sed propter auctoritatem totius Ecclesiæ hoc Canone præcipientis, ut excommunicatus ab uno vitetur, & non recipiatur à quocumque alio.

5. Circa sextum Canonem, qui est de Metropolitanorum jure, notandum huic Canoni occasionem dedisse Meletium; cùm enim ex antiqua consuetudine receptum esset, ut Alexandrinus Episcopus per Ægyptum, Libyam & Pentapolim sacras ordinationes faceret, vel fieri permitteret; huncque ritum & ordinem facto Schismate turbasset Meletius, varios per varias Ægypti civitates Diaconos, Presbyteros & Episcopos creando sine Alexandrini Episcopi consensu; Concilii Nicæni Patres ut huic malo remedium ferrent, & Alexandrino aliisve Patriarchis antiqua jura confirmarent,

tent, hunc sextum edidere Canonem, dicentes: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis; illud autem generaliter clarum est, quò si quis præter sententiam Metropolitani, fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere*, &c. In quo comparatur Alexandrinus Episcopus ut Patriarcha Ægypti, Libyæ & Pentapoleos cum Romano Episcopo, ut Occidentis Patriarcha est, & statuitur quòd sicut parilis mos est ut Romæ Episcopus, ut Patriarcha est, habeat potestatem in omnibus sui Patriarchatus Ecclesiis; ita & Alexandrinus Episcopus ut Patriarcha servet antiquam consuetudinem, & habeat Patriarchalem potestatem per Ægyptum, Libyam & Pentapolim. Similiter & apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis; ita ut generaliter clarum sit, quòd si quis præter consensum Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc Episcopum esse non oporteat.

6. Circa octavum, qui est de Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus, notandum est ad ultima hujus Canonis verba alludere S. Augustinum epist. 110. dum ait, se per ignorantiam, Episcopo *Valerio* adhuc vivente, ordinatum fuisse ejusdem sedis Episcopum, contra Nicæni Concilii Canonem, prohibentem duos in eadem sede Episcopos esse. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam*: Et inde est quòd solicitè curans ne aliis accideret, quod sibi contra Canones ignoranter ordinato accidisse dolebat, effecerit ut in Concilio Carthaginensi tertio, anno 397. ederetur Canon iste hujus Concilii tertius: *Placuit ut ordinandis Episcopis vel Clericis, priùs ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse afferant*.

7. Circa decimumtertium, qui est de extremè laborantibus, & quo præcipitur ut lex antiqua servetur, ita ut si quis egreditur de corpore, *ultimo & maximè necessario Viatico minimè privetur, &c.* Notandum est ibi per ly *Viaticum maximè necessarium*, non intelligendam esse Communionem Eucharisticam, ut intelligunt nonnulli; sed absolutionem Sacramentalem à peccatis, quæ est morituris magis necessaria quàm Communio Eucharistica, quæque à PP. congruenter Viaticum ideò vocatur, ut constat ex Concilio Arausicano I. anno 441. can. 3. dicente: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare, quod morientis sufficit reconciliationi, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter Viaticum nominarunt*. Nec obstat si dicas, quòd illa Communio per absolutionem data, & quam PP. Viaticum vocant, datur sine reconciliatoria manus impositione; ergo & sine reconciliatione, ac proinde non sufficit morientis reconciliationi, nec consequenter dici potest Viaticum ultimum & maximè necessarium, quod morientibus minimè negandum esse volunt Nicæni Conc. PP. hoc inquam non obstat. Ratio est, quia licèt illa Communio per absolutionem data, detur sine reconciliatoria manus impositione, non sequitur quòd detur sine reconciliatione prima & ad salutem morientis sufficienti: duplex enim erat reconciliatio, prima nempe seu minima, & altera ultima & maxima. Prima dabat jus Communionis simplicis, absolvebat

Quid ultimum & maximè necessarium Viaticum.

à peccatis, & restituebat jura omnia, excepto jure ad Eucharistiam & oblationes; altera verò seu ultima restituebat jus ad Eucharistiæ susceptionem seu ad Communionem Eucharisticam, quæ vocatur *legitima Communio*. Prima erat Sacramentalis, quia per absolutionem Sacramentalem data; ultima verò erat solemnis & Canonica, quia cum solemni manus impositione juxta Canones concessa, & de qua ultima reconciliatione & Communione loquuntur in fine ejusdem Canonis 3. Arausicani Patres, cùm sic pergunt: *Quòd si supervixerint, stent in ordine pænitentium, ut ostensis necessariis pænitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.*

8. Circa decimumquintum Canonem, qui est de migrantibus Episcopis de una Ecclesia ad aliam, & quo prohibentur hujusmodi translationes, notandum est Canonem illum editum esse occasione Eusebii Nicomediensis, è Berœensi ad Nicomediensem Ecclesiam translati: idque strictiùs posteà prohibitum in Sardicensi Concilio Can. 1. ubi expressè præscribitur, ut nec laicam Communionem habeat quisquis Episcopus de sua Civitate transiret ad aliam; idque ejusdem Eusebii Nicomediensis occasione, qui post duas sedes mutatas, se Constantinopolim transferri curaverat; imò & Episcoporum aliorum qui humanæ gloriæ libidine moti, è minoribus ad majores sedes provehi laboraverant, & ideò Athanasio & Eustathio Antiochenis primatibus ejiciendis ac deturbandis ex ambitione calumniam intulerant.

9. Circa decimumoctavum, qui est de Eucharistia à Diaconis non administranda, notandum est, hoc Canone Diaconis prohiberi tantùm, ne Presbyteris Euchatistiam porrigant; sed Can. 15. Arelatensis Concilii II. sub *Siricio* habiti anno 389. iisdem prohiberi, ne eam etiam populo, præsente Presbytero, tradant his verbis: *In Secretario Diaconis inter Presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumant: quod si fecerint, ab officio Diaconatus abscedant.* Id tamen eis urgente necessitate permittit Conc. Carthagin. IV. sub Anastasio Papa habitum anno 398. & à Leone III. confirmatum, dum Can. 38. sic ait: *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.*

Alios fuisse Nicænos Canones, sed deperditos, colligitur ex multis.

10. Denique & ultimò notandum est, circa horum omnium Canonum numerum, quòd licèt 20. præfatos dumtaxat admittant eruditi ferè omnes, plures tamen fuisse alios, sed injuria temporis deperditos, colligitur,

1. Ex eo quòd inter 20. præfatos non extet Canon ille, quo decretum est Pascha non decima quarta lunæ primi mensis die, sed die Dominica immediatè sequenti celebrandum; qui tamen unus è præcipuis fuit, juxta Eusebium lib. 3. de vita Constantini, & Athanasium in epist. de Synodo Ariminensi.

2. Ex eo quòd pariter inter 20. istos non reperiatur Canon de Bigamis ab Ordinibus arcendis, quem tamen in Nicæno Concilio constitutum dicit *S. Ambrosius* ad Vercellensem Episcopum sic scribens: *Sed priùs cognoscamus, non solùm hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuiße, sed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidiße, neque Clericum quemquam debere esse qui secunda conjugia sortitus est.*

3. Ex eo quòd nec Canon reperiatur ille inter istos de Scripturis sanctis authenticis, cujus tamen meminit S. Hieronymus epist. 3. de libro Judith loquens & dicens: *Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ.*

4. De-

4. Denique ex eo quòd ab aliis citentur Nicæni Canones alii plures; qui non reperiuntur inter 20. præfatos istos.

ARTICULUS III.

De Concilio Constantinopolitano primo, anno 381.

Sub Damaso I. Romano Pontifice, pro Spiritus Sancti divinitate, contra Macedonium & Macedonianos astruenda.

POst damnatam à 318. Nicæni Concilii Patribus impiam de Filii divinitate ac blasphemam Arianorum hæresim, ex illa pullulans paulò pòst non minùs impia in Spiritum Sanctum furere cœpit alia, auctore *Macedonio*, Præsule quidem Constantinopolitano, sed Arianorum factione per Constantium Imper. in Pauli depulsi sedem perperam intruso, & docente Spiritum Sanctum Patre Filioque minorem, nec ejusdem cum Patre & Filio substantiæ, sed meram creaturam esse. Ad quam in dies crescentem, & longè latèque serpentem protinùs evellendam hæresim, Constantinopoli habitum est hoc Orientalium Concilium, anno Christi 381. quod licèt præcisè ut Orientalium Episcoporum est, & à Theodosio Seniore convocatum, non œcumenicum esse ratione convocationis, sed solùm ratione acceptationis & approbationis pòst habitæ contendant benè multi; spectatum tamen ut junctum & moraliter unum cum Occidentalium alio tunc Romæ congregato ab eodem Rom. Pontifice Damaso, & in eamdem conspirante fidem, verè à Damaso I. Rom. Pontifice convocatum, ac proinde etiam ratione convocationis œcumenicum esse censendum. Ad illud ergo, juxta Theodoretum lib. 5. hist. Eccl. cap. 7. venere à Theodosio jussi è diversis provinciis Orientales Episcopi centum & quinquaginta; inter quos eminebant Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Jerosolymitanus, Helladius Cæsariensis Episcopus, magni Basilii successor, Gregorius Nyssenus, ejusdem Basilii frater; Amphilochius Iconiensis in Lycaonia Præsul; Acholius Thessalonicensis, qui Theodosium per baptisma in Christo genuit; & inter illos & alios insignes pietate ac eruditione viros claruit Gregorius Nazianzenus, clarissimum Ecclesiæ lumen, qui oratione ad Concilii Patres habita, sponte dimissionis libellum petiit, suoque se lubens abdicavit Episcopatu Constantinopolitano, & ejus in locum concordibus animis electus Nectarius patria Tarsensis, illustri loco natus, Senatorii ordinis vir, ætate gravis, moribus honestus, & re ipsa tunc Prætoris officio clarus.

Constantinop. Concilii primi brevis & historica summa.

Quis autem istis præfuerit Orientalibus Episcopis, Constantinopoli per Theodosium congregatis, satis obscurum & ambiguum est. Sunt enim qui Nectarium, de quo suprà, utpote quia jam Constantinopolitanum Episcopum, alii Meletium Antiochenum, alii Timotheum Alexandrinum præfuisse volunt: sed nec Nectarium, nec Meletium præfuisse credibile est; non Nectarium, is enim nec debuit, nec potuit; quia is initio Concilii nondum Episcopus, imò nec sacro baptismate tinctus erat, quique catechumenus adhuc, Constantinopolitanæ sedis Episcopus electus est; non *Meletium* Antiochenum, quia absente primæ sedis Episcopo, videlicet Romano, jus præsidendi Synodo non devolvitur ad Antiochenæ sedis Antisti-

tem, sed ad secundæ, videlicet Alexandrinæ sedis Episcopum; ac proinde non Meletium Antiochenum, sed Timotheum potiùs Alexandrinum præfuisse credendum. Idque manifestè confirmatur ex octava Synodo œcumenica, actione 6. sic dicente: *Quoniam Timotheus primus factus est prædictæ sanctæ Synodi præsidens, utpote Alexandrinus Patriarcha, & unà cum Episcopis qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham.*

Conciliantur tamen ab aliis hæ diversæ auctorum sententiæ, dicendo cum Theodoreto lib. 5. hist. Eccl. cap. 8. tres intra annum habitas esse Constantinopoli Synodos, & primæ præfuisse Meletium Antiochenum, secundæ quæ œcumenica est, & ea de qua agitur hic, Timotheum Alexandrinum jure suæ sedis; tertiæ denique præfuisse Nectarium, jam è Catechumeno ad sedem Constantinopolitanam evectum, & in locum Gregorii Nazianzeni se ipsum in œcumenica Synodo abdicantis, substitutum. In hac ergo œcumenica Synodo nedum damnata Macedonianorum hæresis, sed insuper conditi Canones, & editum Fidei Symbolum: Canones quidem septem ab Isidoro Mercatore collecti, ut volunt aliqui; vel tres tantùm à Dionysio Exiguo recensiti, ut probabiliùs opinantur alii, præsertim Nat. Alex. sæc. 4. dissert. 37. probantque ex eo, quòd hi septem ab Isidoro Mercatore relati, nihil re ipsa contineant aliud, præter id quod continent soli tres à Dionysio Exiguo ex Orientalis Ecclesiæ codice desumpti, ut seriò examinanti patebit. Sunt autem tres isti:

CANON I.

Canones Concilii primi Constantinop. numero tàtùm tres.

Ut ea quæ apud Nicæam statuta sunt à trecentis decem & octo Patribus, immota permaneant, statuit; & insuper anathematizat Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Marcellianos & Apollinarios.

CANON II.

Circa singularum diœceseon ordinem, & privilegia quæ Ægyptiis, Antiochenis, Constantinopolitanisque debentur, præcipit, ut sua quæque Ecclesiæ servent privilegia, sibi per Nicænos Canones tributa; suasque ita gubernent Ecclesias Episcopi, ut non accedant ad alias; statuens tamen ut Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd urbs ipsa sit nova Roma.

CANON III.

De Maximi Cynici inordinata constitutione Constantinopoli facta agens, Maximum illum nec Episcopum esse, nec fuisse declarat; omnes per eum ordinatos Clericos, cæteraque per eum gesta irrita esse denuntiat.

Notandum.

Quamvis omnia hujusce Concilii in Macedonium, aliosve præfatos hæreticos decreta, Romana probaverit & receperit Ecclesia; Canones tamen minimè recepit istos usque ad *Innocentium III.* & *Lateranense* Concilium IV. præsertim Canonem de primatus honore Constantinopolitanæ sedis, qui tertius est, ut constat 1. ex Greg. Magno lib. 6. epist. 31. expressè dicente: *Romana Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius, scilicet Constantinopolitanæ, hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem* eam-

eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. 2. Ex eo quòd Leo magnus numquam probaverit, imò rejecerit Chalcedonensis Concilii Canonem 28. in gratiam Anatolii furtivè & finito jam Concilio cusum, quo confirmatur Constantinopolitani Concilii Canon, tribuens primatus honorem, locumque secundum Constantinopolitanæ sedis Episcopo: unde licèt in Orientalibus Ecclesiis reciperetur ille Canon, numquam in Occidentali receptus est Ecclesia; donec tandem Innocentius III. in Lateranensi Concilio IV. primum locum post Romanum Constantinopolitano dedit Episcopo, dicens: *Antiqua Patriarchalium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum obtineat locum, servata cuilibet propria dignitate*: Idque ita prudenter sancivit summus ille Pontifex bono pacis consulens, tum ut hactenus nutantes Græcos in subjectione Romanæ sedis devinciret, tum quia jam à multis sæculis Constantinopolitano cedebant reliqui Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ.

Symbolum Fidei Constantinopolitanum.

Hoc est, Fidei Symbolum hoc in Concilio editum, quod idem est ad illud, quod inter Missarum solemnia cantatur in Ecclesia, soletque Nicænum vulgò dici, & unum & idem cum illo haberi, quia reipsa non discrepat à Nicæno, nisi penes majorem vel minorem explicationem, quantumvis Nicæno plura Constantinopolitanum addat, ut ex utriusque contextu legenti patebit: nam Symbolum Fidei Constantinop.

1. Ad primum articulum, contra *Marcionitas*, *Manichæos*, & alios, duo admittentes principia, ante hæc Nicæni Symboli verba, *Visibilium & invisibilium*, additur *Cæli & terræ* à Constantinopolitano, majoris explicationis gratia.

2. Contra *Photinum*, Verbum divinum, non æternum, nec consubstantiale, sed temporale esse, & in Virginis utero cœpisse, blasphemantem, additur *natum ante omnia sæcula*.

3. Contra hæresim *Apollinaris* volentis Filium hominis de cœlo venisse, suamque de cœlo carnem tulisse, additur *de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*.

4. Cum in Nicæno legeretur tantùm, *passus est*, additur majoris explicationis gratia, *Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, & sepultus*.

5. Contra fabulosam de millenario Christi in terris regno, addita sunt ista de Christo: *Sedet ad dexteram Patris, venturus cum gloria, cujus regni non erit finis*.

6. Contra *Macedonium*, Spiritum Sanctum Deum esse negantem, post hæc Nicæni Symboli verba, *Et in Spiritum*, additur *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per sanctos Prophetas*; & reliqua sequentia.

De Particula *Filioque.*

Cui addita particula *Filioque*, & quando.

Quandonam autem fuerit addita Nicæno Symbolo particula illa *Filioque*, & cœptum de Spiritu Sancto in Ecclesia dici, *Qui ex Patre Filioque procedit*, non satis liquet; volunt enim aliqui additam fuisse in Concilio quodam in Occidente congregato, non assignando locum neque tempus ejus; additam alii credunt à *Damaso* Papa, anno 381. in habito Romæ Concilio; alii verò à II. *Nicæno* Concilio, anno 787. alii denique anno 858. à *Nicolao* Romano Pontifice hujus nominis I. additam fuisse probabilius esse contendunt, 1. Quia non potest certò dici addita in Concilio quodam Occidentali, cujus nec nomen, nec locus, nec tempus assignatur. 2. Non potest pariter dici à Damaso addita in Concilio Romano; nam si à Damaso Papa fuisset addita, illam non improbasset, nec rejecisset sine dubio Leo III. consultus à Gallis, & rogatus à Carolo Magno, ut hæc præfata adderetur Symbolo particula. Leonem autem III. illam improbasse & rejecisse constat. Non denique dici potest in II. Nicæno Concilio ab Orientalibus addita; quia, si ita esset, sine dubio non latuisset Græcos, & aliqui saltem Codices (præter eum, quem Græcis opponebant Occidentales) ita habuissent; quod tamen falsum esse constat; ergo in illo II. Nicæno Concilio addita dici nequit, ac proinde multò probabilius est à Nicolao I. Romano Pontifice fuisse additam anno circiter 858. eo videlicet tempore, quo cœpit Photii Græcorum antesignani schisma; quia id colligitur 1. ex encyclica Photii ad sedes Orientales epistola. 2. ex eo quòd Nicolao exprobret Photius, ipsum ob additionem illam incurrisse anathema ab Ephesina Synodo latum contra quoscumque Nicænæ fidei Symbolo quidquam addentes. Dixi à Nicolao I. fuisse primò additam, auctoritate videlicet Romani Pontificis; nam præter Romani Pontificis auctoritatem, longè antè additam fuisse tenent eruditi ferè omnes à Concilio Toletano VIII. circa annum 553. in Hispania celebrato, antè ortum Græcorum schisma.

ARTICULUS IV.

De Ephesino Concilio, anno 431.

Sub Cælestino I. Romano Pontifice, pro una in Christo persona, contra Nestorium.

Brevis & historica Concilii Ephesini summa.

CUm, post *Nectarium*, in sede Constantinopolitana feliciter successisset S. Joannes *Chrysostomus*, Chrysostomo *Arsacius* Nectarii frater, Arsacio *Atticus*, & Attico *Synesius*; mortuoque Synesio, cùm Clerus pro illius eligendo successore esset in partes divisus, aliis *Proclum*, *Philippum* Presbyterum postulantibus aliis; Theodosius junior Imp. ex Antiocheno Clero *Nestorium* adscivit, virum ex Germanicia Syriæ oppidulo natum, professione prope Antiochiam Lauræ S. Euprepii Monachum, Theodori Mopsuesteni discipulum, doctrinæ & eloquentiæ fama celebrem, vultus pallore, corporis macie, vestium neglectu, sanctitatis Apostolicæ mentientem imaginem. Is omnium consensu Episcopus initiatus, hæ-

hæresibus statim omnibus bellum indixit, ut suæ uni paulò pòst disseminandæ locum pararet hæresi. Duxerat ea de causa, ex Antiocheno Clero, Presbyterum quemdam Anastasium nomine, fidissimum comitem ac familiarem. Is ad populum sermonem habens, eò dementiæ scelerisque venit, ut Beatam Mariam Θεοτόκον, hoc est, *Deiparam* dicendam esse negaverit, propterea quòd ab homine Deus nasci non posset. Excitavit impia vox magnos populi tumultus & turbas. Nestorius interim Anastasium illum tanti sceleris auctorem, & nedum anathemate, sed ultimo dignum supplicio, advocata concione magnificè laudavit; utque sacrilegia sacrilegiis obfirmaret, sublato *Deiparæ* nomine, Christum Dominum in duas distraxit hypostases, sive personas; in eo sicut naturas duas, ita & personas duas, ita & Filios duos, & Christos duos asserens; unum quidem Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex Matre, quam idcircò non Θεοτόκον, sed Χριστοτόκον, idest, *Christiparam* appellabat. Attollitur statim in Nestorium irati populi clamor, decurritur per urbem magno cum tumultu; fit ab illo multorum, nedum plebis & Senatus, sed & Monachorum, discessio; furit & sævit in illos Nestorius, Clericos rectè sentientes ab aris avellit & focis, alios fame vinculisque punit. Vulgantur interim ejus per Orientem descriptæ conciones, sanie ac veneno plenæ. Fremunt in eas quoquot fuere Orthodoxi, Cyrillus præsertim Alexandrinus, vir vitæ sanctitate & eruditione magnus, qui hanc invalescentem & pullulantem hæresim, tribus libris ad *Theodosium* & ad *Reginas*, hoc est, ad *Pulcheriam* & *Eudoxiam* missis, confutavit: scripsit & ad alios alias de eodem argumento epistolas, quibus ad Nestorium perlatis, irascitur, & furit in Cyrillum Nestorius. Hortatur Cyrillus Nestorium in visceribus charitatis, ut errorem incautè fortè prolatum emendet, & Beatam Virginem Deiparam fateri non recuset. Cyrillum quasi insolentem & indoctum frequentibus per epistolas convitiis impetere cœpit, etiam apud Imperatorem; utque in eum Romanam concitet sedem, ad Cœlestinum in ea sedentem scribit. Ne Romano Pontifici imponeret Nestorius, scripsit & ipse Cyrillus Cœlestino, qui statim coacta Romæ Synodo exitialem Nestorii damnavit hæresim, ipsique Nestorio decem dierum spatium ad resipiscendum, per literas ad eum missas, præscripsit; & ni resipiscat, anathema comminatur: scripsit & ad Cyrillum idem summus Pontifex de rebus in hac Synodo gestis, suasque illi vices committens, mandat ut Nestorium anathemate feriat, aliumve ejus in sede constituat, nisi intra decem dierum intervallum palinodiam cantet.

Acceptis Cœlestini literis, Synodum statim Cyrillus Alexandriæ coegit; in qua quatuor decernuntur Legati Episcopi ad Nestorium mittendi, cum litteris Romani Pontificis, ei decem dierum spatium ad hæresim abjurandam præscripturi, insignemque Synodi epistolam laturi, complectentem 12. capita, quæ ab anathemate in hæreticos, 12. anathematismi vulgò nuncupantur. Sprevit hæc omnia Nestorius, anathematismis anathematismos opposuit, Theodosium Imperatorem contra Cyrillum commovit, Joannem Antiochenum, cæterosque sibi amicitia conjunctos Syriæ Episcopos contra 12. Cyrilli capitula, sive anathematismos, tanquam de Apollinaristarum hæresi suspectos concitavit. Existimans itaque Theodosius Imperator, ad has componendas turbas universali opus esse Concilio, quod Cyrillus congregari postulabat, quod Basilius & Archimandritæ Monachi rogabant, de illo in sequentem annum celebrando, apud Cœlestinum Romanum

Pon-

Pontificem egit, & de illius consensu Concilium hoc generale ad sequentis anni 431. Pentecosten, Ephesi celebrandum denuntiavit.

Ad illud statim post Paschales ferias properat *Nestorius*, magna stipatus populi frequentia. Paulò pòst, cùm instaret solemnitas Pentecostes, adfuit & Cyrillus Cœlestini jussu, & ut sedis Apostolicæ Legatus; cum illo ducenti interfuere Præsules, ut Patres & Judices; interfuisset & *S. Augustinus* Hipponensis Episc. nisi morte raptum invenissent illum honorificæ, quibus invitabatur, Imperatoris epistolæ. Præfuit Concilio Cyrillus, tum jure suæ sedis, tum ut sedis Apostolicæ Legatus ad executionem sententiæ in Nestorium latæ, donec accessere tres alii, *Arcadius* scilicet & *Projectus* Episcopi, & *Philippus* Presbyter, à Cœlestino & Occidentali Synodo missi; tum quia congruum erat, ut de Occidentali essent Ecclesia, qui & Romanum Pontificem, & Occidentalem repræsentarent Ecclesiam; tum quia jam Nestorianorum fraudibus & mendaciis Imperatori decepto suspectus erat Cyrillus. Inchoatur Ephesi Synodus in Ecclesia B. Mariæ, die Pentecostes, decimo Kalendas Julias, anno 431. continuaturque per 7. actiones, sive sessiones.

Cujus actiones sive sessiones fuere septem.

In prima, cùm ritè citatus Nestorius, & scelerum conscientia perterritus non comparuisset, Conciliique jussum, ac Legatos petulanter sprevisset, tandem itum est ad judicium, publicè pronuntiata Nicæna fides, lectæ sunt Cyrilli ad Nestorium, & Nestorii ad Cyrillum epistolæ, diligenterque discussis, ac testimonio probatis cæteris Nestorii blasphemiis, lecta est in illum lata excommunicationis & depositionis sententia; damnata illius hæresis, declaratum in Christo unicam esse personam, & B. Virginem Mariam Θεοτόκον, seu *Deiparam* esse dicendam. Dum interim Joannes Antiochenus, coacto suis in ædibus conciliabulo, sententiam pariter depositionis dicit in Cyrillum, & Memnonem Ephesiorum Episcopum.

In 2. ad Concilium venere novi Romanæ sedis Legati, lectisque solemni ritu Cœlestini Romani Pontificis literis, unanimi voce acclamatum est à Concilii Patribus: *Novo Paulo Cælestino, Cælestino custodi fidei, Cælestino cum Synodo concordi, universa Synodus gratias agit*; quod sine dubio non fuisset acclamatum, si sine Cœlestini consensu fuisset ab Imperatore ista convocata Synodus, nec ad illam Legatos misisset Cœlestinus.

In 3. lecta sunt Synodi gesta in causa Nestorii, & à Legatis probata, & subscriptione firmata.

In 4. & 5. actum est in Joannem Antiochenum; conquestus est enim Cyrillus in illum, 1. quòd contra jus omne, depositionis sententiam in ipsum & in Memnonem tulisset; & 2. quòd divulgato quodam libello famoso, ipsum de Apollinaristarum hæresi perperam accusasset.

In 6. inter alia, damnatum est impium Theodori Mopsuesteni Symbolum, & prohibita est alterius à Nicæna fidei conscriptio, seu novi Symboli confectio.

In 7. denique sessione præter 13. Capitula, seu 13. Canones in Nestorii blasphemias jam editos, & initio Concilii probatos, edita sunt & alia octo capitula, sive octo Canones alii, quibus traditur modus procedendi cum Nestorii sectariis; & in octavo prohibetur Episcopis, ne in aliena Diœcesi ordinationes fiant.

Capi-

Anathematismi 12.

Capitula autem ista seu Canones illi, quorum 12. priores, quia cum anathemate definiti, ideò Anathematismi vulgò dicti, sunt isti.

ANATHEMATISMUS I.

Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea Dei Genitricem sanctam Virginem; peperit enim secundùm carnem, carnem factum Dei Verbum, secundùm quod scriptum est, Verbum caro factum est; anathema sit.

ANATHEMATISMUS II.

Si quis non confitetur carni secundùm substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eumdem scilicet Deum simul & hominem; anathema sit.

ANATHEMATISMUS III.

Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola eas connexione conjungens, eamque, quæ secundùm carnis dignitatem sit, vel etiam auctoritatem & potestatem, ac non potiùs conventu, qui per unitatem factus est naturalem; anathema sit.

ANATHEMATISMUS IV.

Si quis in personis duabus, vel subsistentiis, eas voces, quæ in Apostolicis scriptis continentur & Euangelicis, dividit; vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso, & aliquas quidem ex his, veluti homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit; illis autem tanquam Deo, soli Dei Patris Verbo deputaverit; anathema sit.

ANATHEMATISMUS V.

Si quis audeat dicere hominem Christum Theophoron, id est, Deum ferentem, non Deum esse veraciter dixerit, tanquam Filium per naturam, secundùm quòd Verbum factum est caro, & communicavit similiter ut nos carni & sanguini; anathema sit.

ANATHEMATISMUS VI.

Si quis dicit Deum esse, vel Dominum Christi Dei Patris Verbum, & non magis eumdem ipsum confitetur Deum simul & hominem, propterea quòd Verbum caro factum est secundùm Scripturas; anathema sit.

ANATHEMATISMUS VII.

Si quis velut hominem Jesum, operante Deo Verbo, dicit adjutum, & unigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit; anathema sit.

ANATHEMATISMUS VIII.

Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo & conglorificandum, & nuncupandum Deum tanquam alterum cum altero; nam *con* syllaba supradicta hæc cogit intelligi, ac non potiùs una supplicatione veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quòd Verbum caro factum est; anathema sit.

ANA-

ANATHEMATISMUS IX.

Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit à Spiritu Sancto, tanquam qui aliena virtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus posse, & coram hominibus divina signa perficere, ac non potiùs fatetur ejus proprium spiritum, per quem divina signa explevit; anathema sit.

ANATHEMATISMUS X.

Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum divina Scriptura commemorat; obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est, & homo juxta nos homines, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere; aut qui dicit quòd pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potiùs pro nobis solis; non enim eguit oblatione, qui peccatum omninò nescivit; anathema sit.

ANATHEMATISMUS XI.

Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum conjuncti eidem per dignitatem, & quasi divinam habentis habitationem, ac non potiùs vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis; anathema sit.

ANATHEMATISMUS XII.

Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundùm quòd vita est, & vivificator ut Deus; anathema sit.

ANATHEMATISMUS XIII.

Non est anathematismus, sed solùm lucida fidei de mysterio Christi Incarnationis explicatio.

Et octo Canones. *Præter illos Cyrilli anathematismos initio hujus Concilii probatos, sunt & alii octo Canones à Concilii Patribus editi.*

CANON I.

Præcipit, ut qui cum Cœlestio, aut complicibus sentiunt, deponantur; à Synodo enim recessere nonnulli numero circiter 30. qui sunt Nestorii ac Cœlestii placita tenere deprehensi, quos hoc Canone sancta Synodus communione privat.

CANON II.

Jubet, ut qui deficientibus à Synodo adhæserunt, Sacerdotio priventur.

CANON III.

Statuit, ut qui à Nestorio sunt Sacerdotio privati, restituantur.

CANON IV.

Pronuntiat, ut qui cum Nestorio aut Cœlestio sentiunt, deponantur.

CANON V.

Quos ob turpia gesta, sancta Synodus condemnavit, restitui prohibet.

CA-

CANON VI.

Gestorum Synodi perturbatores è proprio gradu deponi jubet.

CANON VII.

Alteram fidem à Nicæna proferri, aut componi, vetat.

CANON VIII.

Prohibet, ne ullus Episcopus in aliena Diœcesi ordinatiònes faciat.

His in hoc Concilio ita feliciter peractis, & prostrata Nestorii hæresi, ad reparandam injuriam B. Virgini Deiparæ à Nestorio latam, Salutationi Angelicæ addendam esse, definitum fuisse creditur, precatiunculam istam: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis, &c.* ut notat Coriolanus in sua Summa Conciliorum pag. 366.

ARTICULUS V.

De Chalcedonensi Concilio, anno 451.

Sub S. Leone Romano Pontifice, contra Eutychen & Dioscorum, pro duabus in Christo naturis.

Brevis & historica Chalcedonensis Concilii summa.

EX Labbeanæ præsertim editionis Concilii Chalcedonensis historia constat, quòd ab Ephesini Concilii Patribus damnato feliciter Nestorio, & proscripta penitùs de duabus in Christo personis hæresi, ex ea Constantinopoli non minùs impia suborta prodiit altera, unicam in Christo naturam esse tenens, auctore Eutyche, Cœnobii Archimandrita celeberrimi, & docente Dei Verbum ita esse in carnem conversum, duasque naturas divinam & humanam ita in unam esse inter se confusè permixtas, ut per divinam absorpta sit humana, solaque proinde divina remaneat in Christo natura. Quod cùm per Eusebium Dorylæi in Phrygia Præsulem illustrem audiisset *Flavianus*, post Proclum Patriarcha Constantinopolitanus, qui tunc tertio Episcoporum præsidebat Concilio, in causa Florentini Sardeorum Lydiæ Metropolitæ, & duorum suffraganeorum ejus *Joannis* & *Cossinii* convocato, cùmque idem audiissent & cæteri qui cum Flaviano congregati erant Episcopi, exhortuere protinus omnes. Placuit primùm illis, ut moneretur Eutyches per Eusebium Dorylæum, utpote quia familiarem & amicum. Rem detrectat Eusebius, quia non semel expertus sua monita quantumvis amica obstinato nihil profuisse viro: mittuntur itaque Joannes Presbyter & Andreas Diaconus, qui Concilio sisterent Eutychen venire. Renuit ille, pernegans sibi fas esse vel pedem efferre è monasterii septis, quo se veluti tumulo quodam mortuus magis quàm vivus incluserat. Tergiversantem hæreticum accersunt iterùm Concilii Patres, Synodicis literis per Mamantem & Theophilum Presbyteros missis; sed eo tum senectutem, tum solitudinis inviolabile jus opponente, re infecta rediere Legati. Vocatur & tertiò per Memnonem sacrorum vasorum custodem, duosque Diaconos Epiphanium & Germanum, quibus ad Eutychis monasterium profectis, Abrahamus alter Archimandrita Eutychen excusaturus, ejusque nomine ad propositam de fide quæstionem responsurus, ad Synodum venit: sed illo repulso Eutychis Legato à Concilii Patribus,

æquum

æquum non esse judicantibus, ut alius pro alio se obtruderet; dumque interim urgeretur Eutyches à Memnone, nec alias quas prætexeret causas haberet, venturum se quò vocabatur spondet. Impetrat septem dierum inducias, quibus languentem valetudinem repararet; quas intra inducias conversus ad dolos, obtinet ab Imp. Theodosio, ut Florentium Patricium, cum imperio ne quid Ecclesia detrimenti pateretur, Synodo jubeat interesse. Cum Florentio illo nedum Monachorum turba, sed & militum armis stipatus ad Synodum tandem venit Eutyches. A Patribus, quid de Christo crederet, interrogatur: amplecti quæ Synodus imperabat, paratum se esse respondit; sed iterùm atque iterùm prodere jussus, non quod ex imperio, sed quod ex mente sentiret, vomere cœpit illicò latentem doctrinæ saniem, & duas quidem ante unionem, unicam verò post unionem in Christo naturam asserere. Monent illum Concilii Patres, hortantur & urgent, ut ad Nicæni Symboli normam attendat, & piè damnet quod impiè protulerat: sed tam salutaria respuentem monita virum damnant tandem Concilii Patres; & nedum à Monasterii gubernio dejiciunt, sed ab orthodoxorum consortio segregant, idque 30. Episcoporum & 23. Abbatum subscriptionibus obsignant.

Ad hæc furere cœpit *Eutyches*, affixisque primùm per trivia libellis, injuriam sibi à Concilio factam publicè vulgat. Scribit S. Leoni Romano Pontifici, Constantinopoli Nestorianam revixisse hæresim, seque fictis criminationibus appetitum, oppressum, exturbatum, nec fuisse, dum ad Apostolicam sedem appellasset, auditum. Commoverat ea res statim Pontificem, sed acceptis Flaviani Constantinopolitani literis, Synodique gestis omnibus auditis, facilè conquievit. A Pontifice ad Augustum provocat Eutyches, oratque jubeat Imperator revideri gesta Concilii, & ab iisdem Episcopis coram Florentio Patricio recognosci; ea quippe corrupta à Flaviano contendebat. Annuit Imperator; releguntur acta, & quò accuratiùs inquiruntur omnia, eò clariùs enituit Flaviani incorrupta fides, & patuit aperta Eutychis fallacia. Eutyches legitimis judicibus frustrà tentatis, *Dioscori* Patriarchæ Alexandrini, Flavianoque graviter infensi patrocinium implorat. Dioscorus ut Eutychi succurrat afflicto, suadet per literas Imperatori, œcumenico res tantas indigere Concilio; repugnat ex adverso *Flavianus*, reclamat Leo Papa, obstrepunt pii omnes, sed favori plus datum quàm Religioni, & indictum à Theodosio Concilium Ephesinum II. novemdecim annis circiter ab Ephesino primo. Ad illud venit Dioscorus, & cum eo 130. & ampliùs intersunt Episcopi. Leo quoque ut pareret Imperatoris voluntati, suos mittit Legatos cum epistolis, ad Flavianum scilicet una, ad Synodum altera: quibus contra Eutychis deliria, Catholicam fidem luculenter explanat. Misit Imperator Barsumam Archimandritam, & Elpidium sacri consistorii comitem; illum ut Monachorum omnium nomine, contra Orientales Episcopos qui Eutychen damnaverant ageret; istum ut Synodi defensor esset & custos, & Episcopis qui Eutychen judicaverant, judicandi potestatem adimeret. His tam infaustè præmissis, Ephesi 4. idus Augusti in Basilica B. Mariæ aperitur hæc infausta Synodus. Jubet statim *Elpidius* de actis præfatæ Synodi Constantinopolitanæ quæstionem haberi. Obsistunt Apostolici Legati, priusque S. Leonis epistolas legi postulant: obstrepit Eutyches, eosque in suspicionem trahit, quod apud Flavianum pransi plus nimio Flavianum olerent. Abscedunt itaque Synodo Legati, tum ob suppressas & non lectas Romani Pontificis epi-

epistolas, tum ob sibi non delatum in sedendo primatum, licèt posteà redierint; sed Dioscorus & Barsumas, legitimis diffisi judiciis, militum copias congregant, Synodum irrumpunt armati, Notariis Synodi scribentibus acta digitos lacerant, tabulas frangunt, Flaviano silentium imperant, ejusque comites in ferrum & catenas adigunt, Episcoporum adversus Flavianum per terrores & minas extorquent suffragia. Ad hæc reclamant Apostolici Legati; cùmque frustrà clamarent, per alios satellites elapsi se è Synodo illa velut è sicariorum agmine subducunt: quibus egressis, recitatur & comprobatur Eutychis doctrina, & pristinum in statum restituitur Eutyches ipse: Eusebius verò Dorylæensis Episcopus, atque Flavianus hæreseos nomine conjiciuntur in vincula. Ad Apostolicam sedem provocat Flavianus, sed provocantem Dioscorus ita pugnis calcibusque contundit, ut post triduum in exilio gravi dolore plagarum obierit. Victor Dioscorus gestit, & ne quid furoris omitteret & audaciæ, Alexandriam reversus, anathematizare ipsum quoque Leonem Romanum Pontificem Ecclesiæ caput attentat.

Ut his Ecclesiæ malis remedium ferret opportunum *S. Leo* Supremus Pontifex, coacta Romæ alia quamprimùm Synodo, quidquid Ephesi fuerat actum damnavit atque rescidit, crebrisque deinde literis Theodosium & Pulcheriam urgere cœpit, ut intra fines Italiæ communi consensu cogeretur Synodus altera, quæ Ephesinam deleret ignominiam & labem. Sed Eutychianis fraudibus & dolis præoccupatus Theodosius, nullis literis precibusque nullis flecti potuit; quin potiùs Flavianum publicis legibus damnavit, Ephesinamque Synodum illam Nicænæ jussit æquari; sed non impunè; siquidem non multò pòst dum equitaret, collapso equo graviter elisus interiit, hærede relicto nullo. Theodosii soror Pulcheria succedens fratris Imperio, se ipsam cum Imperio, suffragante Senatu, in matrimonium dedit *Marciano* Senatori clarissimo. A Marciano viro religiosissimo jam imperante per literas obtinet S. Leo, quod non potuerat à Theodosio. Assensere Marcianus & Pulcheria, & Concilium illud generale convocarunt, de S. Leonis Romani Pontificis assensu, ut patet ex mutuis ultrò citròque datis inter Leonem & Marcianum epistolis: sic enim Marcianus Imp. ad Leonem scribens epist. quæ est inter præambulas ad Chalcedonense Concilium, ait: Superest ut, si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur, nostris utique desideriis vestra Sanctitas satisfaciet, & sacræ Religioni quæ utilia sunt decernet, &c. Et cui rescribens S. Leo Pontifex Maximus in sua ad Marcianum Augustum data & ibidem posita, sic ait: Poposcerim à gloriosissima clementia vestra, ut Synodum quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, etiam à nobis petitam, necessariam judicatis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent; sed quia pio studio, humanis negotiis divina præponitis, & rationabiliter ac religiosè Regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Euangelii prædicatione discordia: ego etiam vestris dispositionibus non renitor, &c. Convocatum à Marciano de S. Leonis Rom. Pont. assensu, idque Nicæam primò convocarunt: at Sedis Apostolicæ Legati à Leone Rom. Pontifice missi, permagni interesse rati ad res componendas tumultusque sedandos, si Synodo Marcianus interesset, illum enixè rogarunt,

runt, ut eò loci Concilium transferret, quò & ipse commodè se transferre posset; & ea de causa Chalcedonem urbem Bithyniæ celebrem fuit translata Synodus, ibique haberi cœpta octavo Octobris die anno 451. in sanctæ Euphemiæ V. & M. Basilica, & præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis, videlicet *Paschasino* Lilybætano & *Lucentio* Asculano Episcopis, *Bonifacio* & *Basilio* Presbyteris, & istis adjuncto Juliano Coensi Episcopo, ut constat ex S. Leonis ad Marcianum epistola 43. sic expressè dicente: Nec me quoque, ut voluit vestra clementia, ab illo credatis abesse Concilio, cùm in his fratribus quos direxi, id est Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, sed & in fratre meo Juliano quem eorum volui esse participem, etiam mea sit æstimanda præsentia. Interfuit & ipse cum sua uxore Pulcheria Marcianus Imper. non ut præesset, nec ut Judex, ut in fidei decretis canonibusque sanciendis suffragium ferret, sed ut defensor & tutor, ut turbas tumultusque compesceret, & Concilii decreta defenderet atque firmaret, ut palam ipse declarat actione sexta Concilii PP. alloquens & dicens: Nos enim ad fidem roborandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo Religiosissimi Principis Constantini, Synodo interesse volumus. Interfuere cum ipso, juxta Nicephorum, sexcenti & triginta sex Episcopi; curavit siquidem Marcianus, ut foret istius Concilii Patrum numerus duplo major Nicæni Concilii Patrum numero; ab his tandem post damnatum cum Eutyche Dioscorum 16. actionibus, conclusum est feliciter Concilium Kalendis Novemb. Cujus

In Actione prima.

Cujus Actiones numerantur 16.

Cùm jam suæ dignitati congruum quisque Prælati selegissent locum, sederentque à sinistra utpote nobiliori S. Sedis Legati, post illos *Anatolius* Constantinopolitanus Patriarcha, post ipsum *Maximus* Antiochenus, & alii post istum deinceps Episcopi: à dextera verò sederet *Dioscorus* Alexandrinus, post illum *Juvenalis* Jerosolymitanus, & alii consequenter Episcopi; statim à S. Sedis Legatis denuntiatus est Dioscorus, quòd generale Concilium inconsulta Romana Sede convocare, eique præsidere contra jus omne fuerat ausus: *Quod nusquam factum, nusquam licuit*, conclamarunt Concilii Patres; unde Concilii decreto, è Patrum consessu amotus Dioscorus, nec inter Patres ut Judex, sed ut reus judicandus in medio sedere permissus. Jussa sunt deinde legi Ephesini Conciliabuli acta, examinata à Dioscoro Ephesi lata in Flavianum sententia; ab omni hæresis labe vindicatus Flavianus; ut iniqua ejus cognita depositio, ejusque accusatores omnes, præsertim Dioscorum Alexandrinum, Juvenalem Jerosolymitanum, Thalassium Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, Eusebium Ancyræ, Eustathium Beryti, & Basilium Seleuciæ Isauriæ Episcopos, qui hoc in conciliabulo tenuere primatum, eadem pœna plectendos, & à dignitate Episcopali deponendos esse judicatum est; & tandem pro gratiarum actione, & in Dei laudem, ab omnibus sacrum illud Trisagium acclamatum, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.*

In secunda.

Cœptum est de fide tractari; lectum est Symbolum Nicænum, simul & Constantinopolitanum; lectæ duæ S. Cyrilli epistolæ, quarum una ad Ne-

sto-

ſtorium, ad Joannem Antiochenum alterą; lecta inſuper celebris illa *S. Leonis* de Verbi Incarnatione ad *Flavianum* epiſtola; declaratum eſt duas in Chriſto naturas eſſe, & ab omnibus acclamatum: *Hæc eſt Patrum fides, hæc Apoſtolorum fides, omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus, anathema qui non ita credit, Petrus per Leonem ita locutus eſt.*

In tertia.

Ter citatur ad Concilium Dioſcorus, & renuens venire deponitur; tum quòd Eutychen à proprio excommunicatum Epiſcopo in communionem recepiſſet, tum quia S. Leonis epiſtolam in Synodo Epheſina II. legi prohibuiſſet, tum quòd Leonem ipſum excommunicare fuerat auſus, & quòd demum ter ad Concilium vocatus venire renuiſſet.

In quarta.

Varii Clerici & Monachi Concilium ingreſſi, Dioſcorum in communionem reſtitui, & in Concilio ſedere poſtulant; ſed contra illos, & Dioſcorum unanimi Patrum voce clamatum: *Anathema Dioſcoro, Dioſcorum Chriſtus depoſuit, mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.*

In quinta.

Lecta eſt tandem & approbata fidei definitio, quà *unum, eumdemque Chriſtum Filium divinum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inſeparabiliter agnoſcendum declaratur.*

In ſexta.

Ad Concilii Patres orationem habens Imperator, dixit inter alia, *ſe cum uxore piiſſima Pulcheria, ad Concilium veniſſe ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam oſtendendam ſive exercendam, exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini; ut veritate inventa, non ultrà multitudo pravis doctrinis attracta diſcordet.* Poſt hæc, relecta eſt fidei definitio, & omnium ſubſcriptione firmata, & inſuper tria iſta Capitula diſciplinam ſpectantia, Concilio probanda propoſuit *Marcianus*; quorum

1. Monachis interdicit, ne præter Epiſcopi voluntatem, Monaſteria ædificent, & ne ſervos in Monaſteriis recipiant abſque dominorum conſenſu.

2. Clericis vetat, ne poſſeſſiones conducant, aut procurationem ſuſcipiant.

3. Denique eiſdem prohibet, ne è propria in alienam tranſeant Eccleſiam.

In ſeptima.

Cauſa Juvenalis Jeroſolymitani, ac Maximi Antiocheni, & judicio Synodi, & mutuo partium conſenſu compoſita.

In octava.

Theodoretus Cyri Episcopus jussu Synodi in Nestorium dixit anathema, quo peracto sibi omnium conciliavit animos, & suæ sedi restitutus est, è qua fuerat à Dioscoro in Ephesino Conciliabulo dejectus; aut potiùs approbata ejus restitutio anteà per S. Leonem decreta.

In nona & decima.

Causa Ibæ Edesseni Episcopi agitata est. Is à Dioscoro pariter in Ephesino Conciliabulo depositus; sed re ad hoc Chalcedonense Concilium delata & discussa, vitæ probatæ, & integræ fidei repertus est; quare dicto in Nestorium & Eutychen anathemate, suæ restitutus est Ecclesiæ.

In undecima & duodecima.

Bassiani & *Stephani* controversia sopita est; ille enim à sede Ephesina depositus, iste subrogatus fuerat: judicatum fuit, ut neuter sederet, tertius ordinaretur, & utrique ex ærario Ephesinæ Ecclesiæ subministraretur pensio, *Nutrimenti gratia & consolationis*; sive decretum est, ut utrique annua daretur pensio, collatis ex ærario Ephesinæ Ecclesiæ solidis aureis ducentis, quovis anno persolvendis: & hæc est prima pensionum Ecclesiasticarum origo; nullibi enim legitur hujusmodi pensionum mentio facta ante Concilium Chalcedonense, à quo cœpit statui pensio pro *Bassiano* & *Stephano* exauctoratis; imò & pro *Sabiniano* Perrhensis Ecclesiæ Coadjutore.

In decima tertia.

Eunomii Nicomediensis Episcopi, & Anastasii Nicæni pariter Episcopi lis finita est. *Anastasium* Nicænum accusabat *Eunomius*, quòd sibi Metropolitani jus usurparet contra Canones; nihil econtrà se adversùs Canones tentasse respondebat Anastasius.

In decima quarta.

Agitata est causa de contentione Perrhensis Episcopatus inter *Sabinianum* & *Anastasium*; & judicatum, quòd si intra octo menses non convinceretur *Anastasius* Perrhensis Episcopus, suæ restitueretur Ecclesiæ, à qua fuerat dejectus; *Sabinianus* verò eo casu substitutus esset, id est, Coadjutor, Ecclesiæque Perrhensis sumptibus aleretur, seu pensionem ex redditibus Ecclesiæ Perrhensis haberet.

In decima quinta.

Absentibus Sedis Apostolicæ Legatis, plures Canones à Patribus editi sunt. Græci Codices habent 30. Latini verò 28. vel 27.

In decima sexta.

Postulantibus Sedis Apostolicæ Legatis, releguntur gesta in præcedenti sessione, præsertim Canon 28. tribuens Constantinopolitanæ Sedi Primatum honoris post Romanam.

CANON I.

A præcedentibus Conciliis constitutos confirmat Canones omnes. Et Canones editi 28.

CANON II.

Simoniacas ordinationes, sicut & Beneficiorum collationes reprobat.

CANON III.

Clericis sæcularium negotiorum curas, dempta pupillorum causa, vetat.

CANON IV.

Sine Episcopi consensu Monasteria, vel Oratoria fieri prohibet.

CANON V.

Episcopis ac Clericis de una in aliam migrare civitatem inhibet.

CANON VI.

Clericos absolutè, id est, sine titulo, aut beneficio ordinari non permittit.

CANON VII.

Clericis & Monachis militiam, sæcularesque prohibet dignitates.

CANON VIII.

Pauperum, seu Mendicorum dispensatores Episcopo suo subjacere & obedire jubet.

CANON IX.

Præcipit, quòd si Clericus adversùs Concleticum causam habeat, non ad sæculare Tribunal, sed ad Episcopale deferat; si adversùs Episcopum ipsum, ad Provinciæ Synodum; si adversùs Metropolitanum, ad Primatem, vel ad Regiæ urbis Constantinopolitanæ sedem.

CANON X.

Clericis prohibet, ne in duabus conscribantur Ecclesiis, seu ne duo simul beneficia teneant.

CANON XI.

Egenis peregrè proficiscentibus epistolas pacificas, non commendatitias dari decernit.

CANON XII.

In una & eadem Provincia duos Metropolitanos esse vetat.

CANON XIII.

Clericis suam extra Ecclesiam ministrare prohibet, sine commendatitiis sui Episcopi literis.

CANON XIV.

Clericis, quibus & ubi nubere licitum est, uxorem alterius sectæ ducere vetat.

CANON XV.

Diaconissam ante annum quadragesimum ordinari vetat, & semel ordinatam, si nubat, excommunicat cum marito.

CANON XVI.

Sacras Virgines Deo dicatas, similiter & Monachos nubere prohibet.

CANON XVII.

Ad vitandas de Parochianis Ecclesiis inter Episcopos rixas, jubet Parochianas Ecclesias apud eos manere, qui eas per 30. annos rexerint.

CANON XVIII.

Clericos adversùs Episcopos, vel alios conspirantes, sive fratrias, hoc est factiones componentes, suo privat gradu.

CANON XIX.

Concilia provincialia bis in anno, juxta Regulas Patrum celebrari jubet, & Episcopos in unum convenire ut corrigenda corrigant.

CANON XX.

Clericos in una Ecclesia ordinatos, & migrantes ad aliam, communione privat, simul & qui eos suscipiunt, Episcopos.

CANON XXI.

Clericos aut Laicos passim accusantes sine probatione, ad Episcoporum, vel Conclericorum accusationem recipi vetat.

CANON XXII.

Clericos Episcopi defuncti bona diripientes gradu privat.

CANON XXIII.

Clericos & Monachos sine licentia Episcopi in regia vagantes civitate, ad propria redire loca compellit.

CANON XXIV.

Monasteria semel Deo dicata, sæcularium cœnacula fieri vetat.

CANON XXV.

Episcoporum ordinationes sex intra menses fieri, & non ultrà differri jubet.

CANON XXVI.

Occasione Ibæ Edesseni Episcopi de mala bonorum Ecclesiæ administratione suspecti, in qualibet Ecclesia œconomum institui jubet.

CANON XXVII.

Mulierum raptores, simul & cooperantes, si Clerici sint, gradu privat; si Laici, anathematizat.

CANON XXVIII.

Jus Patriarchicum, & Primatus honorem, post Romanam Constantinopolitanæ Sedi confirmat.

No-

Notandum

Hic obiter hunc 28. Canonem esse celebrem illum Canonem è Canonum numero etiam à Græcis expunctum, & à S. Leone tunc Romano Pontifice nusquam probatum, sed rejectum; non solùm, quia Anatolii Constantinopolitani Patriarchæ fraudibus, regressis Sedis Romanæ Legatis, & aliis absentibus Patriarchis, furtim & clandestinè cusum; sed quia duo continet manifestè falsa. 1. est, quòd dicat à Nicæno Concilio fuisse concessum Sedi Romanæ Primatum; alterum, quòd ideò ei concessum asserat, quia Roma Sedes est Imperii. Primum enim ex eo patet falsum, quòd sextus Nicæni Concilii Canon in genuinis Codicibus sic incipiat: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum; antiqua autem consuetudo servetur*; si semper habuit ante Nicænum Concilium, ergo non à Nicæno Concilio primitùs habuit. Alterum non minùs falsum esse docent *S. Leo* in epist. ad *Marcianum*, & *S. Gelasius* in epistola ad Episcopos Dardaniæ, ubi inter alia sic ait: *Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Trevri, & Nicomedia multis temporibus Sedes Imperii fuerunt; quibus cùm nihil plus juris, dignitatis, & prærogativæ Ecclesiæ ea de causa concessum fuerit, non immeritò mendacii arguuntur, qui dicunt prædicta de causa Romanam urbem ad fastigium Apostolici muneris evectam esse.*

ARTICULUS VI.

De Concilio Constantinopolitano II. anno 553.

Sub Vigilio Romano Pontifice pro celebri de tribus Capitulis decidenda lite; & damnanda erronea Origenis doctrina.

Tria Capitula, de quibus est frequens & celebris in historia Ecclesiastica mentio, & præcipua hoc in Concilio œcumenico quæstio, erant ista. Primum erat de Theodori Mopsuesteni libris, alterum de Theodoreti Cyrensis in Cyrillum anathematismis, & tertium de Ibæ Edesseni ad Marim Persam epistola. Hæc tria probabantur à multis: ut impia vicissim Nestorioque faventia meritò rejiciebantur ab aliis. Theodorus enim Mopsuestenæ civitatis Episcopus, ante Ephesinam Synodum, contra Eunomium & Apollinarem assertores unius in Christo naturæ ita scripserat, ut unam tamen in Christo personam, & Deum carne indutum, & Mariam Dei matrem fuisse negaret; Theodoretus verò Cyrensis Episcopus, duodecim Ephesinæ fidei Capitibus à Cyrillo conscriptis totidem objecerat anathematismos; Ibas denique Edessenæ civitatis Episcopus in sua ad Marim Persam epistola coarguit Rabulam decessorem suum, quòd immeritò anathemate damnasset Theodorum Mopsuestenum, quem de Ecclesia benè meritum, Doctoremque fuisse strenuum in multis adversùs hæreticos dimicationibus ajebat. Fuit hæc epistola multis offendiculo, trahebatque rudiores ad Mopsuesteni partes, cujus dogmata continebat. Ex iis tribus non damnatis in Chalcedonensi Concilio Capitulis, Nestoriana reviviscere cœpit hæresis, & occasio nasci quintum hoc œcumenicum celebrandi Concilium: ex eo enim quòd hæc tria Ca-

Brevis & historica Concilii Constanti-nop. II. summa.

pitula non essent à Chalcedonensi Concilio damnata, Nestorii doctrinæ licèt multùm faventia; sed econtrà auctores illi, saltem duo, videlicet Ibas & Theodoretus essent in communionem recepti, consequenter perperam & injustè ab Ephesino œcumenico Concilio damnatum fuisse eum sua doctrina Nestorium inferebant Nestorii Sectarii sive Nestoriani. Urgebant interim *Eutychiani*, ut damnarentur hæc tria Capitula: sperabant inde futurum ut Concilii Chalcedonensis, à quo fuerant ipsi damnati, minueretur auctoritas. Inter utrosque, Nestorianos videlicet & Eutychianos, dubii quid facerent hærebant orthodoxi; an damnarent vel approbarent, quòve se verterent nescii, timentes ne si approbent, faveant Nestorianis in Ephesino Concilio damnatis; si econtrà reprobent, proscriptis in Chalcedonensi Concilio faveant Eutychianis. Gravis ea de re agitatur, vigetque centenos ferè per annos controversia; cui tandem ut finem imponeret Imperator *Justinianus*, solemne condemnationis edictum in hæc tria præfata Capitula tulit: sed illi, quia in hoc Imperii limites transgressio, obstitit summus Pontifex *Vigilius*. Irascitur vehementer in Vigilium Imperator, variisque eum vexat laboribus & contumeliis; nec desistit Vigilius, planè sciens in Chalcedonensi Concilio hæc tria nec damnata, nec approbata fuisse Capitula, sed solùm auctores eorum, videlicet duos, *Ibam* & *Theodoretum* in communionem fuisse receptos, eo ipso quo Nestorio & sociis ejus anathema dixere. *Vigilii* tandem invicta constantia victus *Justinianus*, edictum sustulit, sicque edicto sublato, de communi utriusque consensu integra decisio causæ suspensa est, & ad universale Concilium remissa. Convocatum itaque est Concilium istud œcumenicum V. & Constantinopolitanum II. à Vigilio quidem saltem consentiente, auctoritate Pontificia, à Justiniano verò exequente, opera, studio & favore, anno Christi 553. eique interfuere 165. Episcopi, quos inter tres Orientales eminebant Patriarchæ, videlicet Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, & Domninus Antiochenus.

Concilio præfuit non Mennas, ut falsò docet Calvinus, sed Mennæ successor Eutychius, consentiente & per se ipsum adesse nolente *Vigilio*, licèt tunc Constantinopoli degente, & per Patriarchas & Episcopos 17. nomine totius Concilii, & iterùm per Patricios tres cum Episcopis ab Imperatore missos, etiam atque etiam interesse rogato, imò & per *Eutychium* ipsum ad præsidendum invitato, etiam ante Concilium convocatum, ut indicat ipsa *Eutychii* ad Vigilium epistola, quatuor mensibus ante Concilium data; in qua sic ait: *Necessarium conferri de tribus Capitulis, unde quibusdam quæstio nata est; & ideò petimus præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine propositis sanctis Euangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæstioni imponi Deo placitum, & convenientem his quæ à sanctis quatuor Conciliis definita sunt*; & confirmat ipsa Vigilii ad Eutychium epistola, in qua sic loquitur Vigilius: *Vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus Capitulis ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis sacrosanctis Euangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens iis quæ à sanctis quatuor sunt definita Conciliis*. Consentit itaque Vigilius, ut Concilio præsideret Eutychius, ipse verò per se ideò interesse noluit, tum ut à majorum suorum qui Synodis generalibus non interfuerunt, consuetudine non recederet, tum quia paucos secum ex Italia duxerat Occidentales Episcopos:

pos : quippe qui non ad Synodum, sed ad Imperatorem profectus fuerat. Imperator verò suam de tribus Capitulis sententiam pluribus Episcoporum suffragiis confirmari peroptans, solos Orientales, & nullos Occidentales ad Concilium vocaverat Episcopos : quod cùm improbasset, acriterque reprehendisset *Vigilius*, convenerat enim cum Imperatore tot Concilio interesse debere Occidentales, quot Orientales; inde factum ut totidem postea ex Occidente, quot ex Oriente vocaverit. Sed intereà dum expectantur vocati, Imperatore maturante Synodum ante Occidentalium adventum, congregantur Orientales ; inchoatur Concilium quarto nonas Maji, & concluditur collationibus sive sessionibus octo, quæ colliguntur omnia *ex Liberato Carthag. ex Niceph. & actis Synodi quintæ*.

In 1. Collatione.

Deputantur ad Vigilium 17. Metropolitani Episc. & 3. Patriarchæ suppliciter rogaturi, ut ad Concilium venire, eique præesse dignetur; se ob corporis ægritudinem venire non posse respondit. Vigilius, seque in hoc suorum prædecessorum exempla sequi velle, qui nusquam per seipsos generalibus Conciliis interfuisse leguntur, promittens se suam de tribus Capitulis sententiam scripto publico dicturum, & ad Imperatorem missurum. Quibus ad Concilium relatis, ad eumdem iterùm iidem remittuntur Legati Præsules, cum pluribus Patriciis & Nobilibus ab Imperatore missis, eumdem iterùm rogaturi nomine Concilii. Cujus collationes numerantur octo.

In 2. Collatione.

Suæ Legationis rationem reddentes Concilio Legati Præsules, referunt se ad Concilium venire non posse dixisse Vigilium, eò quòd Orientalium Concilii Patrum numerus esset Occidentalium sibi adhærentium numero longè major, seque seorsim, quid de tribus Capitulis sentiret, ad Imperatorem quamprimùm fieri posset, missurum.

In 3. Collatione.

Fidem Catholicam ab Apostolis traditam, & à quatuor præcedentibus Conciliis declaratam profitentur Concilii Patres, & hæreticos ab iisdem Conciliis damnatos damnant. Quibus peractis, decernitur de tribus Capitulis tractandum esse in proximè futuro consessu.

In 4. Collatione.

Cùm quarto idus Majas, quartam Collationem habituri convenissent Concilii PP. ut tria inciperent discutere Capitula præfata, mandarunt legi codices, & recitari horrendas *Theodori Mopsuesteni* blasphemias, impiumque ejus fidei Symbolum; quo audito Symbolo sancta Synodus exclamavit, anathema ei qui hoc Symbolum composuit, anathema Theodoro Mopsuesteno, anathema illis qui non anathematizant eum ; & licèt manifesta essent quæ contra eum SS. PP. leges Imperiales, & historici dixerint, tamen ne quid examinandum omitteretur, in alium diem cætera remiserunt audienda.

In 5. Collatione.

In medium producta sunt quæ SS. PP. quæ præsertim Cyrillus, Proclus & Rabula in Theodorum dixerunt, quæ leges Imperiales in eum sancitæ fuere; acta Synodi Mopsuestenæ recitata sunt, quibus constaret illum olim fuisse ex Ecclesiæ dypticis abrasum, & dictum hæc in Theodorum dicta sufficere, definitumque quod tunc apud multos in controversia erat, hæreticos etiam post obitum ab Ecclesia posse damnari, idque probatum à Sextiliano Africanæ Ecclesiæ Legato; & posteà à Theodoro ad Theodoreti scripta illa quæ erant fidei contraria, factus transitus, hoc est ad ejus in Cyrillum anathematismos: quibus recitatis, laudatum est sanctum Chalcedonense Concilium, quòd non priùs Theodoretum ad Communionem suscepisset, quàm is Nestorio anathema dixisset.

In 6. Collatione.

Post recitatam *Ibæ* Edesseni Præsulis epistolam, lecta est Procli Constantinopolitani ad Joannem Antiochenum altera, ex qua constaret apud Proclum accusatum fuisse Ibam, quòd Nestorii dogmata diligeret, & impia Theodori scripta comprobaret: lecta insuper acta Ephesini Concilii primi, lecta & S. Leonis ad Flavianum epistola, lecta & fidei professio, Concilii Chalcedonensis actibus inserta, & his omnibus cum præfata Ibæ Edesseni Præsulis epistola ritè collatis, universo placuit Concilio illam ut in multis hæreticam epistolam damnare & anathematizare: conclamarunt enim omnes Concilii PP. *Epistola hæretica est, epistolam quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus, istam omnes anathematizamus, &c.*

In 7. Collatione.

Ad suggestionem Quæstoris Imperatorii lectæ sunt illæ Vigilii Rom. Pont. literæ, quæ ad Rusticum & Sebastianum Ecclesiæ Romanæ Diaconos, ad Valentinianum Tomitanæ Ecclesiæ Præsulem in Scythia, & ad Aurelianum Arelatensem Episcopum fuerant scriptæ; easque ideò legi voluit Imperator, ut ex his Vigilium prævaricationis arguere posset, quasi anteà tria Capitula condemnasset, quæ posteà defenderet: ostensum est posteà ex Antiochenis Nestorianos sibi Theodoretum tanquam vendicasse, ejusque imaginem cum triumpho & Psalmorum cantu in civitatem Cyri duxisse.

In 8. Collatione.

Hac in 8. & ultima Collatione quarto nonas Junii habita, post breviter recensita omnia hactenus hoc in Concilio gesta, post susceptas iterùm quatuor primas sanctas Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam & Chalcedonensem, post suscepta omnia quæ ipsæ definierunt, & damnata quæ damnarunt, prolata tandem est Synodica & definitivæ damnationis sententia in hæc tria Capitula, videlicet in impium Theodorum Mopsuestenum & scripta ejus, in Theodoreti Cyrensis anathematismos contra Cyrillum scriptos, & in Ibæ Edesseni Præsulis epistolam ad

Ma-

Marim Persam scriptam; & ad sententiæ calcem appositi sunt 14. anathematismi seu Canones 14. cum anathemate à Concilii Patribus editi, in quibus nedum hæc tria Capitula, sed ipsi Origenistæ reperiuntur anathematizati; imò Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinaris, Nestorius, Eutyches, Origenes & alii cum suis impiis scriptis in quatuor primis sanctis Conciliis à Catholica & Apostolica Ecclesia damnati.

CANON I.

Anathematizat eum, qui non confitetur unam & eamdem esse naturam sive essentiam, virtutem, potentiam Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam. Et Canones sive anathematismi 14.

CANON II.

Anathematizat eum, qui non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, unam ante sæcula incorporaliter ex Patre, alteram ejusdem in tempore incarnati ex sancta gloriosa Dei Genitrice.

CANON III.

Anathematizat eum, qui dicit alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit, & alium Christum qui passus est, &c.

CANON IV.

Anathematizat eum, qui non confitetur unionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem, id est, secundùm subsistentiam factam.

CANON V.

Anathematizat eum, qui unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi ita intelligit, tanquam suscipientem multarum substantiarum significationem, & propterea conatur introducere in Christo duas subsistentias, vel personas, & ab eo introductis duabus personis, unam personam dicit per dignitatem & honorem & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanientes dicebant.

CANON VI.

Anathematizat eum, qui abusivè & non verè Dei Genitricem dicit sanctam, gloriosam, semperque Virginem Mariam.

CANON VII.

Anathematizat eum, qui in duabus naturis dicens, non ut in deitate & humanitate, unum Dominum nostrum Jesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, ex quibus inconfusa & ineffabilis unitas facta est, &c.

CANON VIII.

Anathematizat eum, qui dicens ex divina & humana natura unitionem fuisse factam, non sic intelligit, ut SS. PP. docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione secundùm subsistentiam facta, unus Christus factus est.

CANON IX.

Anathematizat eum, qui sic in duabus naturis Christum adorat, ut non una & eadem adoratione, & Deum Verbum incarnatum cum ejus

carne

carne adoret, sed duas introducat adorationes, unam Dei Verbo, alteram homini.

CANON X.

Anathematizat eum, qui non confitetur crucifixum carne Dominum nostrum Jesum Christum, esse verum Deum, Dominum gloriæ, & unum de sancta Trinitate.

CANON XI.

Anathematizat eum, qui non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, & Origenem, cùm impiis eorum scriptis, hæreticosque alios à sancta Dei Ecclesia, vel à præcedentibus quatuor Conciliis anathematizatos.

CANON XII.

Anathematizat eum, qui impium Theodorum Mopsuestenum defendit.

CANON XIII.

Anathematizat eum, qui impia Theodoreti scripta propugnat, ea videlicet, quæ contra Ephesinam primam Synodum, S. Cyrillum, & contra 12. Cyrilli Capitula, quæve pro Theodoro & Nestorio conscripsit.

CANON XIV.

Anathematizat eum, qui epistolam, quæ ab Iba ad Marim Persam dicitur scripta, defendit.

Confirmatur hoc Concilium à Pelagio II. à Greg. Mag. à Leone II. & à Vigilio.

Objicies forte & 1. Concilium istud non videtur à sancta Sede confirmatum & approbatum; ergo nec œcumenicum censeri debet. Resp. neg. ant. & conseq. Fuit enim approbatum à pluribus summis Pontificibus, & præsertim

1. A *Pelagio II.* ut patet ex libro illo quem, teste Gregorio Mag. lib. 2. epist. 36. conscripsit adversus Schismaticos illos, qui repudiantes hoc Concilium tanquam Chalcedonensi contrarium, se ab unitate Ecclesiæ separaverant.

2. A *Gregorio Magno* Pelagii successore, ut patet ex ejus ad Joan. Constant. epist. 24. lib. 1. in qua sic ait; *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, & in quo scripta quoque Theodoreti, per quæ Beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata reperiuntur; cunctas verò quas præfata veneranda Concilia prorsus respuunt respuo, quas venerantur complector, &c.*

3. A *Leone II.* ut constat ex ejus ad Constantinum Imp. epistola in Concilio œcumenico recitata.

4. Ab ipso quoque *Vigilio*; sed quo tempore, quove modo, controvertitur. *Euagrius* lib. 4. cap. 37. tenet illum per literas Synodo consensisse; at cum constet Imperatorem, tam Vigilium quàm alios orthodoxos Antistites in exilium relegasse, quòd damnationem trium Capitulorum & cætera Synodalia decreta non reciperent, non videtur verum, *ut notat Binius*, Vigilium per literas consensisse; si enim consensisset, nullam eum relegandi causam Imperator habuisset; unde verius esse censendum, tum demum Vigilium hanc Synodum approbasse, abrogato quod priùs pro defensione trium Capitulorum fecerat Constituto, quando vindicata per Narsetem à Gothis Italia anno primo post absolutum Concilium, ab exilio

lio solutus ab Imperatore acerrimo trium Capitulorum hoste, muneribus, donis ac privilegiis ornatus in Italiam redire permissus est.

5. Omnes denique Synodi œcumenicæ post hanc quintam celebratæ, eamdem quintam pro œcumenica agnoverunt & approbarunt; ac proinde ex iis sufficienter constat, hanc esse ab universali Ecclesia pro œcumenica receptam & approbatam.

Nec tamen in hoc erroris vel inconstantiæ reus dicendus Vigilius.

Instabis. Ergo erroris & inconstantiæ ac prævaricationis reus dicendus ipse *Vigilius*, quòd semel suo Constituto tria Capitula defenderit & probaverit, & posteà ad Concilii & Imperatoris mentem accedens, eadem vicissim, hoc Concilium œcumenicum quintum approbando, damnaverit.

Resp. neg. conseq. quia teste S. Greg. lib. 3. epist. 37. hoc in Concilio, in hisve disceptationibus de tribus Capitulis nulla fuit de fide, sed tantùm de personis quæstio. Quæstio autem quæ non erat de fide, sed de personis tantùm, citra periculum erroris in fide, vel alterius cujuscumque criminis pro circumstantiarum diversitate affirmari quandoque, & negari quandoque poterat, id ita exigente pacis & Ecclesiæ bono, ut in hoc Vigilii casu. Quod ut clariùs pateat, advertendum est, quòd cùm in Africana Occidentali Ecclesia Schisma fuisset ortum, ex eo quòd summus Pontifex *Vigilius* ad sententiam Imperatoris hæc tria impugnantis Capitula declinasset, hujusmodi Schismatis Occidentalis Ecclesiæ tollendi gratia, opus fuit ut pro defensione trium Capitulorum Constitutum ederet *Vigilius*, cujus vi Occidentales Orientalibus unirentur Ecclesiæ, & vitaretur Chalcedonensis Concilii contemptus à trium Capitulorum impugnatoribus intentus. Cùm verò post finem hujus Concilii, Schismatis longè majoris immineret periculum, totaque Orientalis ab Occidentali separanda metueretur Ecclesia, si Concilium istud non approbasset, & à Concilio damnata tria Capitula non damnasset, ideò hoc in casu in quo nullum erat fidei nocendi periculum, sed econtrà novi Schismatis nova timenda ratio, priorem mutavit sententiam, & istud Concilium approbans, tria Capitula cum Concilio damnavit: qua in re nec erroris, nec inconstantiæ, nec prævaricationis reus dicendus, sed de summa prudentia & sapienti œconomia laudandus est *Vigilius*, in hoc Paulum Apost. prudenter imitatus, qui quantumvis anteà in Concilio Jerosolymis habito, suum pro abroganda Circumcisione suffragium tulisset, nihilominus nova suborta circumcidendi causa, Timotheum circumcidit, ut legitur Act. cap. 16. vers. 3. novique scandali emergente periculo, Petro ad tempus dissimulanti in faciem restitit.

Nec erravit Concilium istud, nec Chalcedonensi Concilio injuriam fecit ullam tria Capitula damnando.

Objicies 2. Hæc tria Capitula fuere in Chalcedonensi Concilio recepta & probata; ergo erravit, & Chalcedonensi Concilio injuriam fecit ista quinta Synodus, dum hæc tria Capitula damnavit. Prob. ant. 1. *Theodorus Mopsuestenus* etiam mortuus laudatur à Joanne Antiocheno in epistola ad Proclum, & hanc epistolam Chalcedonense Concilium approbavit in allocutione ad Marcianum Imper. ipsiusque Theodori laudatores alios suscepit ut Patres. 2. *Theodoretus Cyrensis* à Synodo Chalcedonensi inter Patres susceptus est, ejusque fides laudata. 3. denique *Ibas Edessenus* Episc. nedum susceptus est à Chalcedonensi Concilio, sed etiam relecta ejus epistola, agnitus est ut orthodoxus à Sedis Apostolicæ Legatis: Atqui hæc sunt tria Capitula de quibus est quæstio; ergo hæc tria Capitula fuere in Concilio Chalcedonensi probata.

Resp. neg. ant. absolutè; hæc enim tria nec probaverat, nec reprobave-

baverat Concilium Chalcedonense Capitula, sed suum de iis suspenderat judicium, & solùm *Theodoretum* & *Ibam* in communionem admiserat eo ipso, quo anathema dixere Nestorio. Ad probationes in contrarium allatas repono. 1. Quoad *Theodorum* Mopsuestenum, dico *Joannem* Antiochenum non eum ita hac in epistola laudare, ut eum erroris purum asserat; sed ut ostendat tantùm eum cum hæreticis non esse damnandum, propter egregiam Ecclesiæ navatam operam, & quia in Ecclesiæ pace defunctus videbatur; de illo enim alibi sic loquitur Joannes Antiochenus, ut refertur in epistola Pelagii II. ad Episcopos Istriæ: *Multo tempore perseverans Theodorus persuasit multis & Nestorio, quòd Christus Filius Dei vivi, qui de sancta Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus est Verbum, consubstantialis Genitori, sed homo pro qualitate suæ voluntatis ex Deo Verbo cooperationem suscipiens.* 2. Quoad *Theodoretum* verò fateor cum Pelagio II. in epist. ad Episc. Istriæ, susceptum fuisse quidem à Chalcedonensi Concilio inter Concilii PP. postquam dixit anathema Nestorio Nestoriique doctrinæ; quod anathema dicendo, sua consequenter pro Nestorio, & contra Cyrillum scripta damnavit & anathematizavit. 3. Quoad *Ibam* Edessenum denique respondeo, quòd licèt ut orthodoxus à Chalcedonensis Concilii PP. fuerit susceptus *Ibas*, non sequitur illius Catholicam & orthodoxam fuisse epistolam, quia non est susceptus pariter Ibas, nisi postquam pariter dixit anathema Nestorio, quo anathemate in Nestorium Nestoriique doctrinam lato, visus est consequenter suam ad Marim epistolam Nestorio faventem reprobare & anathematizare; ac proinde licèt ut orthodoxus fuerit susceptus Ibas à Chalcedonensis Concilii PP. non sequitur ejus approbatam fuisse & ut orthodoxam admissam epistolam: & licèt unus aliquis è Chalcedonensis Concilii PP. qualis fuit *Maximus* Antiochenus, illam orthodoxam esse judicaverit, nihil inde concludi potest, quia in Conciliis Concilii judicium dici nequit, quod unus vel pauci, sed quod omnes, vel major pars judicaverit. Concilium autem Chalcedonense nec illam ut orthodoxam judicaverat, nec ut hæreticam reprobaverat; sed suum de illa, imò & de tribus Capitulis judicium tulerat nullum; ac proinde à Chalcedonensi Concilio approbata dici nequeunt tria Capitula illa, nec consequenter errasse, vel Chalcedonensi Concilio injuriam fecisse dicenda quinta Synodus, dum tria illa Capitula damnavit.

Nec jurisdictionis suæ limites excessit Theodorū Mopsuestenum licèt mortuum excommunicando.

Instabis. Injustè saltem, & ultra suæ jurisdictionis limites processit quinta Synodus ista, dum *Theodorum* Mopsuestenum jam diu vita functum anathematizavit, cùm mortui sint extra forum Ecclesiæ positi, ac proinde nullam in illos jurisdictionem habet Ecclesia; ergo, &c. Resp. neg. ant. quia licèt non possit Ecclesia in mortuos judicium ferre, & eos anathematizare seu excommunicare excommunicatione propriè & strictè sumpta, quæ fit à fidelium communione separatio, potest tamen de illorum libris, scriptis & doctrina, ac consequenter & indirectè ac illativè de illorum personis & in illarum nomen & memoriam anathema seu excommunicationem ferre, sed excommunicationem impropriè & latè sumptam, quæ nihil sit aliud, quàm declaratio detestationis in illorum nomen & memoriam; quatenus potest judicare & declarare illorum nomen ex Ecclesiæ dypticis esse delendum & detestandum, si hæretici vel schismatici ex scriptis fuisse probentur. Quod autem possit Ecclesia mortuos sic excommunicare excommunicatione quæ illorum non attingat animam, sed nomen & memoriam, probatum est in hac Synodo, quinta collat. & constat,

1. Ex

1. Ex Canone Africanæ Ecclesiæ 85. his verbis expresso : *Si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem, ei anathema dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.*

2. Ex S. August. epistola ad *Bonifacium Comitem*, dicente, *se anathema dicturum Cæciliano, si vera essent quæ in illum objiciebant Donatistæ; quamvis & si vera essent quæ ab eis objecta Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus, &c.*

3. Ex *Benigno* Heracleensi in Paphlagonia Præsule, & uno è Synodi quintæ Patribus collat. 5. dicente, *Valentinum, Marcionem, & Basilidem* à nulla Synodo, dum viverent, fuisse anathematizatos; & tamen alienum pietatis erat dogma quod tutabantur, etiam post mortem ab Ecclesia anathematizari: justè ergo post mortem anathematizari potuit à quinta Synodo *Theodorus Mopsuestenus*.

Nec in pace & Ecclesiæ communione obierat Theodorus Mopsuestenus.

Urgebis. Saltem hi qui in communione & pace Ecclesiæ mortui sunt, non possunt per Ecclesiam anathematizari, juxta illud S. Leonis ad Theodorum Forojuliensem scribentis : *Nec necesse est nos eorum qui sic obierunt, merita actusque discutere; cùm Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit*: Atqui Theodorus Mopsuestenus in communione & pace Ecclesiæ mortuus est; ergo anathematizari non potuit. Resp. dist. maj. si certum sit eos in Ecclesiæ pace obiisse, eosque non meruisse anathematizari seu ab Ecclesia rescindi dum viverent; conc. secus, neg. maj. & ad minorem, falsum esse dico Theodorum Mopsuestenum in Ecclesiæ pace obiisse, ipsumque non meruisse dum viveret anathematizari, ob suas hæreses, & obstinatum in his docendis animum: dixit enim idem Benignus Heracleensis in eadem quinta Synodo contra eos qui Theodorum in Ecclesiæ pace defunctum esse dicebant : *Ille in communicatione & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & servavit & prædicavit : quòd verò Theodorus non servavit nec prædicavit recta Ecclesiæ dogmata, certum est ex ejus blasphemiis* : unde & post mortem ex Ecclesiæ Mopsuestenæ dypticis ejus nomen erasum & expunctum.

Nec Chalcedonensi Concilio approbata, vel reprobata *Ibæ* ad Marim epistola.

Objicies 3. *Ibæ ad Marim epistola* fuit in Chalcedonensi Concilio recitata, nec tamen damnata; ergo approbata, ac proinde perperam & injustè posteà damnata sub *Vigilio* in hac Synodo œcumenica quinta. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia Chalcedonense Concilium Ibæ epistolam nec probavit nec reprobavit, sed solùm illam recitari permisit: cùm enim ad illam provocatum esset, ut ex illa de Nestorianismo convinceretur *Ibas*, allata est & recitata act. 10. cùmque *Ibas* illam à se scriptam non negasset, & se nunc aliter sentire professus fuisset, à Concilii PP. ad communionem admissus est, & nullo alio de epistola illa judicio lato Orthodoxus declaratus, non ob scriptam à se epistolam illam, sed ob declaratam suam ab illa resipiscentiam; at posteà cùm finita de fide *Ibæ* controversia, seu sublato de illius Orthodoxia dubio, Nestoriani hac abuterentur epistola, falsòque dicerent eam à Chalcedonensi Concilio receptam atque probatam, ac proinde probata in ea contenta dogmata omnia; cùmque inde fieret, ut Chalcedonense Concilium contemneretur à multis, quasi impiam illam Ibæ epistolam approbasset; ideò congruum fuit & necessarium, ut Synodali judicio decerneretur in quinta Synodo ista, impiam & hæreticam esse præfatam Ibæ epistolam, quamvis Catholicus & Orthodoxus esset Ibas auctor ejus.

Obji-

Objicies 4. Hispaniensis Ecclesia non recepit olim per multos annos quintam istam Synodum, ut ex multis constat, præsertim ex Conc. 14. Toletano, in quo sexta œcumenica in Monothelitas habita immediatè post Chalcedonense Concilium recensetur, & post illud recipiendum esse decernitur, nulla prorsus quintæ Synodi contra tria Capitula celebratæ mentione facta; & tamen Romani Pontifices à sua communione Hispanienses non rejiciebant Episcopos; ergo liberum erat quintam Synodum istam pro œcumenica recipere vel non recipere, ac proinde œcumenica dici nequit, cùm licitum non sit Synodum œcumenicam pro libito recipere vel non recipere.

Resp. perm. ant. neg. conseq. quia licèt alicujus provinciæ vel regni particularis illam non reciperet Ecclesia, non inde sequeretur illam œcumenicam non esse Synodum, si illam pro œcumenica universalis agnoscat Ecclesia; & reipsa quintam istam semper ut œcumenicam agnovit. Resp. 2. quòd si per aliquod tempus illam ut œcumenicam non receperint Ecclesiæ Hispaniensis Episcopi, ideò non recepere, quia errore facti decepti, illam Chalcedonensi Concilio oppositam esse putabant; at tandem errore facti deposito, & meliùs informati, ad communem universalis Ecclesiæ sensum accesserunt Hispani, quorum processum hactenus dissimulaverant & toleraverant summi Pontifices, quia non procaciter & palam Synodum quintam impugnabant Hispani, sed solùm illam alto prætermittebant silentio. Resp. 3. cum Sever. Binio, non ideò Hispanos Concilii Tolentani PP. can. 7. hanc Synodum quintam prætermisisse, quasi illam ut non verè œcumenicam abjicerent; sed quia eas illi tantùm enumerabant Synodos, in quibus de fidei quæstionibus actum fuerat. Quare cùm illi de fide tractarent, & in hac quinta Synodo, non de fide, sed de personis tantùm ageretur, illam velut ad fidei dogmata stabilienda minùs necessariam omiserunt. Vide Baronium ad annum 684. num. 6.

ARTICULUS VII.

De Concilio Constantinopolitano tertio, anno 681.

Sub Agathone Romano Pontifice pro duplici in Christo voluntate, contra Monothelitas.

Brevis & historica tertii Concilii Constantinopolitani summa.

QUia definierat sub *Cœlestino* Romano Pontifice Synodus Ephesina contra *Nestorium*, unam esse in Christo personam, definierat & posteà sub *Leone* Magno contra Eutychen Chalcedonense Concilium, duas in Christo naturas esse; ex illa definitione duplici, suborta est nonnullis occasio hæresim cudendi novam, & negandi duas in Chisto voluntates esse, operationesque duas: sicque ut occultè redirent isti ad priores Eutychis errores, & unicam in Christo naturam palam asserere non auderent, unicam in eo voluntatem, & operationem unicam asserebant, unde à voluntate una *Monothelitæ* cœpere dici, quicumque fuere ita sentire visi; quorum inter alios, duces fuere præcipui, *Theodorus* Pharanitanus Episcopus, *Cyrus* Alexandrinus, *Sergius* Patriarcha Constantinopolitanus, ejusque posteà successores *Pyrrhus* & *Paulus*, qui omnium primi ausi sunt asserere, quòd *sicut in Christo unus est operator, & unus volens, ita unam esse voluntatem,*

tatem, operationemque unam: idque Heraclio Imperatori ita suaserunt consulti Sergius & Cyrus, ut sententiam illam Heraclius de una in Christo voluntate operationeque una publico vulgaverit edicto, quam Ecthesim, hoc est fidei expositionem nominarunt, quamque Sergius post Constantinopoli coactam suorum Episcoporum Synodum, Imperatoris auctoritate & Episcoporum subscriptionibus, toto spectante populo, primarii Templi foribus affixit.

His magno fidei zelo non parum restitit *Sophronius*, spectatissimæ vitæ monachus, scriptis primò ad Cyrum & Sergium epistolis, & posteà ad Patriarchalem Jerosolymæ sedem evectus, suorum coacto Episcoporum Concilio, in quo hæc nascentis Monothelismi perniciosa denuntiavit & enuntiata damnavit initia. Id molestè ferens Sergius, scripsit ad Honorium Rom. Pont. contra Sophronium, quòd novis duarum voluntatum actionumque nominibus totum misceret Orientem; scripsit & Sophronius. Scripta utrinque fuere plura. Hæc inter dissidia, pro bono pacis visum est nonnullis, abstinendum esse ab unius vel geminæ voluntatis vocabulo. Consensit, ut cederet tempori, Sophronius; consensit per Sergii literas apparenter sinceras & Orthodoxas allectus summus Pontifex Honorius, scribens & ipse ad Sergium, virum in specie bonum; sperans ingens bonum inde futurum, & silentium fore fibulam pacis. Sed conventionis leges perfidè transgrediens Sergius cum suis, unam in Christo voluntatem, idque, sed falsò, ex sententia Honorii Rom. Pontificis prædicat. Serpit hæc hæresis per 40. circiter annos, ab Honorii scilicet primi Pontificatu ad Agathonis usque tempora.

Tandem ne latiùs ultrà serperet, hortatu, consilio & opera *Constantini Pogonati*, & *Agathonis* Romani Pontificis auctoritate indictum & congregatum Constantinopoli hoc universale Concilium, anno Christi 680. Egit enim *Constantinus Pogonatus* primùm cum Domno Rom. Pontifice, deinde cum Agathone Domni successore, de œcumenico Constantinopoli cogendo Concilio, præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis. Annuit statim *Agatho*, cogitque Romæ 125. Episcoporum Synodum, ut Occidentales Episcopi, qui vel per ætatem ipsi, vel per corporis morbum, aut ob itineris difficultates Synodo œcumenicæ præsentes esse non possunt, sua legatione præsentes forent, mittendo videlicet Legatos, qui Occidentalium Episcoporum nomine profiterentur, quid pro fide Catholica contra Monothelitas decernendum esse censerent. Misit ipse qui suo nomine, & ut Sedis Apostolicæ Legati Concilio œcumenico præessent, quatuor istos, videlicet *Theodorum* & *Georgium* Presbyteros, *Joannem* Diaconum, & ut scribit Anastas. in Agathone, *Constantium* Subdiaconum. Misit verò Romana Synodus & tres alios, videlicet Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem, & Joannem Regiensem sive Regitanum Episcopos; dato illis commonitorio tali, ut de incertis & dubiis nihil contendant, eaque dumtaxat in universali Patrum consessu proponant, quæ in hac Romana Synodo de fide fuerant constituta. Dedit & suis Agatho Legatis egregias & eruditas ad Imperatorem epistolas, quibus fidem Orthodoxam clarissimis sacrorum Voluminum, Patrumque sententiis ac traditionibus explicabat. Hoc commonitorio, hisque literis sic instructi, tam Romanæ Synodi quàm Agathonis Romani Pontificis Legati, Constantinopolim simul ad Concilium universale profecti sunt: cum his Concilio interfuere diversarum provinciarum Episcopi numero 289. si credamus Theophani

i phani

phani & Cedreno in suis annal. at 170. tantùm, si Photio in lib. de Synodis, licèt in actis Synodi actione ultima, 166. nec plures reperiantur subscripti. Interfuit & ipse Imperator *Constantinus Pogonatus*, non ut judex & suffragator, sed ut defensor & moderator. Cœptum est Concilium septimo idus Novemb. annò 680. in ipso Palatii Secretario, cui quia in altum porrecto & in rotundum concamerato, Trullus sive *Trulla* nomen erat; ibique tandem 18. actionibus feliciter conclusum die decima sexta Decembris, anno 681. post Monothelitarum hæresim conciliari processu damnatam, ut constat tom. 6. Conc. ex sextæ Synodi generalis historia.

In Actione I. 7. die Novembris habita.

Cujus Actiones fuere 18.

A sinistris, loco utpote in Ecclesia digniore, sedentes fedis Apostolicæ Legati, dum à dextris sedebant Constantinopolitanus & Antiochenus Patriarchæ, nec non vacantium Alexandrinæ & Jerosolymitanæ Sedium Legati, indicti Concilii causam exponentes, dixerunt ideò præsertim hoc indictum esse Concilium, ut nova de unica in Christo voluntate hæresis à Sergio & successoribus ejus invecta damnaretur. Cùmque Macarius Antiochenus Patriarcha & Monothelita, Imperatoris jussu ad Legatorum objecta suo suorumque Sectariorum nomine responderet, nullam à se novitatem inductam vel hæresim, sed potiùs se credere & prædicare, quæ à sanctis Conciliis & Patribus accepta Honorius Papa & Cyrillus Alexandrinus professi essent; utque probet, quinque primarum Synodorum œcumenicarum deferuntur codices à Stephano Macarii discipulo, legiturque Synodus Ephesina usque ad illum Cyrilli locum, *est enim ejus omnipotens voluntas*: ex quo intulit statim Macarius unam in Christo voluntatem esse; sed frustrà, perperam & ineptè: ostenderunt enim illicò Sedis Apostolicæ Legati, præfatum Cyrilli locum de divina dumtaxat Christi voluntate loqui.

In Actione II. 10. Novemb. habita.

Chalcedonense legitur Concilium; ex quo nihil contra fidem orthodoxam pro sua firmanda hæresi invenire vel objicere potuit Macarius, sed potiùs Legatorum instantia, quando legebatur S. Leonis ad Flavianum epistola, qua duæ naturæ, & operationes duæ in Christo manifestè prædicantur, suis quasi jaculis confossus Macarius turpissimus, convictus mendacio quæsivit effugium, & auctoritate Dionysii Areopagitæ usus, voluit ut Dei virilis tantùm operatio Christi diceretur, duarumque voluntatum & operationum vocabulis abstineretur.

In Actione III. 13. Novemb. habita.

Legitur quinta œcumenica Synodus, ad cujus initium, cùm commentitia quædam Mennæ Constantinopolitani Episcopi ad Vigilium epistola legeretur, in qua dicebatur unam in Christo voluntatem esse, hanc suppositítiam esse, & Monothelitarum fraudibus, actis insertam esse, ex eo probarunt Legati, quòd sex annis ante quintam Synodum sub Vigilio habitam, Mennas ille præfatus ex hac vita migrasset.

In

In Actione IV. 15. Novemb. habita.

Lecta est Agathonis ad Imperatorem epistola; lecta est & Synodi Occidentalis altera, demonstrans utraque Catholicum esse dogma, duas in Christo voluntates asserere, additque *Agatho* in sua, nullum Prædecessorum suorum usquam ab Orthodoxa & Catholica fide deflexisse.

In Actione V. 7. Decemb. habita.

Duos Macarius protulit codices, quibus, ut asserebat, de unica in Christo voluntate & operatione continebantur testimonia; quibus perlectis, decretum est, ut reliqua, si quæ haberet, in proximè futura sessione proferret.

In Actione VI. 12. Decemb. habita.

Reliqua testimonia pro sua confirmanda sententia protulit Macarius: quæ cùm perlecta essent, truncata esse dixere sedis Apostolicæ Legati; idque ut probarent, ex urbis Patriarchio authenticos deferri codices petiere; qua occasione jussit Imperator, utriusque partis probationes exhibitas sigillo consignari, diligenterque custodiri, & de iis sequenti sessione fideliter inquiri; & hæc anno Christi 680.

In Actione VII. die 13. Febr. anno 681. habita.

Pro duplici asserenda in Christo voluntate, varia SS. Patrum testimonia protulere sedis Apostolicæ Legati; quibus perlectis, rogati Georgius Constantinopolitanus & Macarius Antiochenus, an iis essent convicti, cum codicibus Constantinopolitanis ea conferri petiere, & an Latina exemplaria sint cum Græcis consona, in præsentia plurium examinari.

In Actione VIII. die Martii 7. habita.

Georgius Constantinopolitanus, aliique plures Episcopi, qui præfatorum exemplarium interfuere collationi, retulerunt se loca Patrum à sedis Apostolicæ Legatis pro duabus in Christo voluntatibus allata, fideliter allegata cognovisse, eaque authenticis Patrum codicibus planè consona reperiisse, seque ea occasione motos, cum SS. Patribus de Christi voluntatibus & operationibus sentire ac credere, desertaque Monothelitarum perfidia fidem orthodoxam profiteri; quasque direxerat Agatho Papa sua in epistola suggestiones, tanquam ex Spiritu Sancto dictatas per os Petri, & digito ipsius Agathonis scriptas suscipere & amplecti. Macario econtrà non resipiscenti, sed se potiùs membratim incidi passurum protestanti, unanimi PP. voce, tanquam novo Dioscoro dictum est anathema, jussusque deponi.

In Actione IX. die 8. Martii habita.

Testimoniorum Macarii collatione publicè facta, eorumque deprava-

tione palam manifestata, lata est depositionis sententia in illum, ejusque Diaconum, perfidiæ socium ac discipulum Stephanum.

In Actione X. 18. Martii habita.

SS. Patrum testimonia ab Agathone per Legatos missa, ad duas in Christo voluntates asserendas, fuere cum Græcis Codicibus collata, & cum eis in omnibus convenire dicta.

In Actione XI. 20. Martii habita.

Postulante Theodoro Jerosolymitano, lecta est Sophronii ad Sergium epistola, & omnium judicio probata. Lecta post hæc ad medium usque Macarii, ejusque discipuli Stephani scripta; sed inventa blasphemiis plena, ulterius legi prohibita.

In Actione XII.

Post lectionem epistolarum Sergii ad Cyrum & Honorium, nec non confictarum Mennæ ad Vigilium & Vigilii ad Mennam, lectæ sunt & cum originalibus collatæ aliæ: quibus simul consentientibus, rursus à S. Synodo declamatum est in Macarium, velut indignum qui ad Synodum admitteretur ulteriùs, & posteà petitum à Syriæ Episcopis ac Clericis, ut in locum ejus Orthodoxus Ecclesiæ Antiochenæ subrogaretur Episcopus, eique subrogatus est Theophanes actione sequenti, videlicet 13. Illud colligitur ex eo quòd Theophanes in singulis sequentibus actionibus, titulo Præsulis Antiocheni reperiatur nominatus, & cùm de hujus Theophanis in locum Macarii subrogatione nullà fiat actione 13. mentio, hinc infert Binius vitiata, corrupta & mutilata fuisse hujusce Concilii sessionis acta.

In Actione XIII. die 28. Martii habita.

Lecta est damnationis sententia in Monothelitas omnes, & nominatim Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum, imò & in ipsum Honorium summum Pontificem, ejusque ad Sergium literas, ut Concilii testantur acta; sed mendosè, ut notat Sev. Binius, & per imposturam Theodori Constantinopolitani Episcopi, quem Synodali judicio de hæresi condemnatum fuisse testatur Anastasius in vita Agathonis, licèt nomen ejus nullibi reperiatur in actis Concilii: Is enim Theodorus cùm Vitaliani nomen, invito Imperatore, è sacris dypticis expunxisset, non tantùm Episcopatu privatus, sed etiam propter hæresim à Concilio damnatus fuit, ei substituto Georgio; sed post obitum Georgii orthodoxum se esse simulans, sequenti anno sedi suæ restitutus est, teste Nicephoro in Chron. Nactus itaque exemplar originale Concilii ea occasione, ut illud auctoritate Pontificia confirmandum ad Leonem II. mitteret, suo ubique nomine expuncto, in odium Rom. Pontificis, nomen Honorii ubique substituit, & sic acta Concilii in Honorii causa corrupit.

In

In Actione XIV. 2. Aprilis habita.

Libelli Mennæ ad Vigilium, & Vigilii ad Justinianum, ut supposititii & conficti, universo PP. consensu fuere declarati.

In Actione XV. 26. Aprilis habita.

Polychronius Presbyter & monachus Monothelita, homo insanus & falsis Dæmonum illusionibus deceptus, ad Concilium vocatus, & de fide interrogatus, non solùm se Monothelitam, sed se præstigiatorem & impostorem esse prodidit, dum fidei suæ formulam in chartula descriptam, qua profitebatur unam in Christo voluntatem, & Dei-virilem operationem unam, super mortuum poni postulavit, spondens se illum suscitaturum, ad suæ fidei veritatem comprobandam: cùmque pluribus horis defuncto cui chartula imposita erat, astitisset, eique plura, sed frustrà in aures insusurrasset, se tandem mortuum suscitare non posse confessus est. Post hæc rursus à Concilio citatus & à Patribus interrogatus, num errorem revocare & resipiscere vellet, in errore contumaciter perseverans, ut impostor & hæreticus depositus & anathematizatus est.

In Actione XVI. 9. Augusti habita.

Constantinus quidam, Apameensis Ecclesiæ Presbyter & Monothelita ad Concilium accessit, dicens se ad concordiam inter Monothelitas & Catholicos ineundam invenisse modum, videlicet ut dicerentur in Christo duæ operationes, voluntas autem una. Cùmque interrogatus à Synodo, dixisset Christum ab humana voluntate, carne & sanguine, tempore crucis desertum esse, responsio ejus explosa est, & damnata ut Manichæa; ille verò foras ejectus ut hæreticus. Quo expulso, rogat Georgius Constantinopolitanus cum suæ sedi subditis Episcopis, ut si fieri possit, non nominatim anathematizentur sui prædecessores Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus & alii: sed nominatim anathematizandos esse respondet Synodus.

In Actione XVII. 11. Septemb. habita.

Edita est à Patribus & promulgata fidei definitio, posteà Nicænum cum reliquis quatuor œcumenicis Conciliis suo decreto corroborarunt, eorumque Symbola recitari mandarunt. His peractis, Monothelitarum hæresim ejusque auctores, sectarios ac defensores, juxta regulam ac normam ab Agathone Papa & Romano Concilio ut profitentur sibi præscriptam, magno omnium Catholicorum applausu condemnarunt.

In Actione XVIII. die 16. Decemb. habita.

Fidei definitio jam promulgata coram Imperatore, rursus legitur & approbatur; cùmque petiisset Imperator, an Episcoporum omnium subscriptione promulgata esset, omnes ad unum exclamarunt, *Omnes ita credimus, hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum*: &

iteratæ acclamationes, iterata anathemata *in Theodorum Tharanitam, Sergium & Honorium, Pyrrhum & Paulum, Cyrum & Petrum, Macarium, Stephanum & Polychronium.* Gratias deinde cùm egisset Imperator Concilii Patribus ob extinctam hæresim, lectus est acclamatorius Concilii PP. sermo ad Imperatorem, quo rogarunt eum Concilii PP. ut Concilium edicto firmaret Imperiali, ut his quæ in eo gesta erant nullus contradicere, vel novam machinari quæstionem auderet. Scripta est posteà, & per Legatos ad *Agathonem* missa Synodica relatio, petitaque confirmatio & obtenta, non quidem ab *Agathone*, quia è vivis inter illas moras rapto, sed ab ejus successore *Leone II.* per Imperatorem rogato. Subscripsere Concilio Legati, Patriarchæ, cæterique præsentes Episcopi, & post ipsos Imperator piissimus hunc in modum : *Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum, legimus & consensimus.* Vide Binium, & novam Conc. edit. tom. 6.

Confirmatum non ab *Agathone* jam morte rapto, sed à *Leone II.*

De Honorio I. Romano Pontifice.

Honorium hoc in Concilio non esse damnatum contendunt aliqui.

Quæritur hìc, & celebris est ac antiqua inter eruditos controversia, an *Honorius* Papa hujus nominis primus, fuerit hoc in Concilio cum Monothelitis damnatus. Damnatum fuisse videtur certum, cùm id testentur non semel sed pluries acta Concilii, ut actione 13. & actione 16. sed econtrà non fuisse damnatum, vel injustè fuisse damnatum, suadere videtur *Agathonis* ad *Constantinum Pogonatum* epistola, in hoc Concilio lecta, laudata & probata; in qua nullum prædecessorum suorum, nec consequenter *Honorium* in fide errasse testatur *Agatho*. Hanc controversiam ut dirimant, respondent varii varia.

1. Sunt qui dicunt cum *Baronio & Binio*, acta hujus Concilii *Honorium* cum Monothelitis damnatum fuisse testantia, Græcorum manu fuisse corrupta, & in odium Romanæ Sedis, substitutum fuisse nomen *Honorii*, pro nomine *Theodori* Constantinopolitani Præsulis, & de hæresi Synodali judicio damnati. Quòd autem *Honorius* non fuerit damnatus hoc in Concilio, variæ suadent rationes, quarum

Prima est, quia non potuit Concilium istud *Honorium* damnare, nisi cùm *Agathonis* epistola pugnaret, sibique ipsi contradiceret; *Agatho* enim in sua ad *Constantinum Pogonatum* epistola apertè dicit, nullum suorum prædecessorum Pontificum in fide vera defecisse & errasse; & hanc epistolam ita laudant & approbant hujusce Concilii Patres, ut dicant Petrum in ea per Agathonem fuisse locutum, eamque à Spiritu Sancto dictatam : Si ergo fateantur hujus Concilii Patres hac in epistola Petrum per Agathonem fuisse locutum, & hanc epistolam à Spiritu Sancto dictatam, & Agatho hac in epistola dicat, nullum suorum prædecessorum, nec consequenter *Honorium* in fide vera defecisse ; quis audeat asserere Concilium istud *Honorium* damnasse ut Monothelitam & hæreticum ? Nisi ipsum sibi contradicere Concilium, imò & ipsum secum pugnare Spiritum Sanctum, dum hanc dictat Agathonis epistolam, & istud dirigit Concilium, quod Honorium ut hæreticum damnat.

Secunda est, quia dici non potest Concilium istud *Honorium* sine causa justa innocentem damnasse : Atqui sine causa justa damnasset illum ut hæreticum, cùm ejus epistolæ ad *Sergium* scriptæ, & quarum causa in actis Concilii damnari dicitur, Catholicæ sint & nulla hæreseos suspicione labo-

rent,

rent, ut prolixè notat *Binius* in epistolis ipsis, & in vita ipsius Honorii; ambæ enim clarissimè testantur ipsum sensisse & docuisse duas in Christo voluntates, & operationes esse, & solùm voluisse abstineri à vocabulis *unius* vel *duarum*, pro bono pacis, & ad tollendum scandalum contentionesque sedandas; & non possit quis justè de hæresi damnari, qui rem ipsam confitetur, licèt nomen, præsertim ante definitionem Ecclesiæ, justa de causa tacendum esse dicat: alioquin B. Hieronymus posset jam pro hæretico damnari, quia in epistola ad Damasum censuit, non esse dicendum in Deo tres hypostases esse, cujus contrarium Ecclesia non semel posteà definivit. Ergo dici non potest de sanctissimo Concilio isto, quòd Honorium ut hæreticum damnaverit; & si in actis Concilii reperiatur damnatus, dubium non est quin hæc Concilii acta fuerint in causa Honorii corrupta atque vitiata. *Ita Coriolan. in Sum. Conc.*

2. Respondent & asserunt alii, verè damnatum fuisse; idque negari non posse, cùm id non semel sed pluries ipsa Concilii testentur acta, ut actione 13. & iterùm 16. in qua expresse legitur: *Theodoro Pharanitano hæretico anathema, Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema, Honorio hæretico anathema.* Verè damnatum esse contendunt alii.

Dices cum *Baronio*, *Binio* & aliis, post Concilium, hoc est, paucis mensibus post Concilium, corrupta fuisse ac depravata hujusce Concilii acta, ubicumque anathematizant vel hæreticum asserunt *Honorium*; idque factum à *Theodoro* Constantinopolitano, ob hæresim paulò antè Synodali judicio damnato ac deposito, sed post obitum Georgii substituti, & emissam fidei professionem restituto; qui inde occasione data, Synodi actis suum nomen expunxit, & *Honorii* nomen intrusit; ac proinde ex iis depravatis Concilii actis, Honorium fuisse hoc in Concilio cum Monothelitis damnatum concludi nequit; ergo, &c. Resp. neg. ant. 1. Quia non est credibile, hujus Concilii acta sic corrumpere & depravare potuisse Theodorum; nam quamvis corrumpere potuit authenticum exemplar illud, quod in suæ scriniis Ecclesiæ asservabatur Constantinopoli, non tamen corrumpere potuit exemplaria authentica alia ad sedes Patriarchales alias è Concilio translata, ibique pariter asservata: delata siquidem fuisse Concilii actorum exemplaria authentica ad singulas quinque Patriarchales sedes, Romanam videlicet, Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam, & Jerosolymitanam, constat ex eo quòd actione 18. post sermonem acclamatorium, id ab Imperatore sic expresse petierunt Concilii PP. *Ad majorem orthodoxæ fidei confirmationem, ut subscripta exempla definitionis relectæ præsente vestra serenissima potestate, edantur quinque Patriarchalibus, unà cum pia vestra subsignatione.* 2. Quia pugnantia loquuntur hi, qui cum Baronio volunt, Theodorum paucis post Synodum mensibus restitutum hæc corrupisse acta, cùm non fuerit restitutus Theodorus in suam sedem, nisi post obitum Georgii, & paucis mensibus post Synodum nondum obiisset Georgius, qui tres post Synodum vixit annos, ut suo in Chronico manifestè docet *Theophanes*.

Instabis cum eodem Baronio. Hujus sextæ Synodi Patres in epistola ad *Agathonem* expresse dicunt, se Monothelitas damnasse juxta tenorem sententiæ per ipsum in eos sua in epistola latæ: *Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras literas de iis priùs lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharanitanum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum & Petrum*: Atqui Agatho Papa sua in epist. ad Constantinum Pogonatum non

damnavit, nec nominavit **Honorium** cum aliis **Monothelitis Sergio**, **Cyro**, **Pyrrho**, **Petro & Paulo**. Ergo nec sexta Synodus ista; ac proinde corrupta dici debent sextæ Synodi acta illa, quæ Honorium cum aliis Monothelitis damnatum vel anathematizatum asserunt. Resp. verè à sexta Synodo ista damnatum fuisse **Honorium**, idque non contra, sed juxta *Agathonis* sententiam, licèt *Agatho* ipse **Honorium** nominatim & expresè non damnaverit. Ratio est, quia *Agatho* solos Monothelismi auctores, sectariosque præcipuos nominatim damnavit, non autem omnes absolutè Monothelitas vel Monothelismi fautores; unde non mirum, si Honorium expresè non damnaverit, qui nec auctor nec sectarius, sed solùm Monothelismi fautor fuerat: at sexta Synodus ista nedum Monothelismi auctores ac sectarios, sed & fautores ipsos, ac proinde Honorium anathematizavit, idque juxta latam de iis omnibus ab Agathone sententiam; quia licèt præcipuos illos tantùm nominaverit Agatho, non tamen illos solos, sed omnes sive auctores, sive sectarios, sive fautores damnandos à Synodo præscripsit, dicens: *Restat ... ut & novitatis error cum suis inventoribus, & iis qui eorum doctrinam secuti sunt, propriæ præsumptionis pœnam exsolvat.* Unde sicut Macarium, Stephanum & Polychronium damnavit sexta Synodus, licèt eos nominatim non damnaverit Agatho; ita & Honorium licèt ab Agathone non damnatum, damnavit eadem sexta Synodus.

Urgebis cum eodem Baronio. Summus Pontifex *Agatho* in sua ad Constantinum epistola scribit, neminem prædecessorum suorum in fide vera defecisse, sed suos fratres semper in fide confirmasse; sic enim ait: *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.* Et hæc Agathonis epistola fuit in hac Synodo lecta Act. 4. & approbata Act. 8. tanquam à Spiritu Sancto dictata per os sancti ac beatissimi Principis Apostolorum Petri; ergo **Honorium** Agathonis prædecessorem ut hæresis fautorem non damnavit sexta Synodus; vel si damnavit, erravit illum damnando, aut erravit Agathonis epistolam approbando. Resp. dist. ant. cum Nat. Alex. summus Pontifex *Agatho* scribit de suis prædecessoribus, eos numquam in vera fide defecisse, quoties locuti sunt ex Cathedra, hoc est, quoties aliquid universis fidelibus credendum vel observandum proposuere; conc. Quoties ut privati homines vel Doctores aliquid dixere, scripsere vel definiere, qualis fuit **Honorius I.** dum suas ad Sergium privatas scripsit literas, illas in Synodo posteà damnatas, & ob quas ille pariter damnatus; neg. ant. & conseq. Quia nullus ibi Synodi error in hoc sensu **Honorium** damnando, vel præfatam *Agathonis* epistolam approbando.

Addes. Si ut privatus homo illas ad **Sergium** scripsit literas **Honorius**, & propter illas fuerit cum hæreticis Monothelitis damnatus; ergo ut privatus homo hæreticus fuit Honorius. Resp. neg. conseq. ratio est, quia cùm hæresis sit hominis Christiani error in fide cum pertinacia conjunctus, ille solùm propriè hæreticus dicendus est, qui errorem in fide cum pertinacia defendit: & hoc dici non potest de **Honorio**, qui licèt Monothelismi, hoc est Monothelitarum hæresis fautor fuerit, numquam tamen illius defensor vel sectator.

Super-

Superaddes. Si vetè hæreticus non fuit *Honorius*; ergo perperam & errando, illum ut hæreticum anathematizavit sexta Synodus, dicendo non semel & præsertim Act. 16. *Honorio hæretico anathema*. Resp. neg. conseq. quia ideò sexta Synodus ista Honorium anathematizando vocat hæreticum, non quòd hæreticus fuerit electione propria, proprioque judicio & sententia propria, sed solùm favore, silentio & negligentia; hoc est, non quòd ipse fuerit hæresis auctor, sectator aut defensor, sed quòd fuerit suo silentio, & sua negligentia hæresis hæreticorumque fautor, seu non quòd ipse hæresim docuerit aut defenderit, sed quòd nascentem hæresim non extinxerit, ut debebat, sed negligendo confoverit, ut manifestè declarat *Leo II.* in epistola ad Episcopos Hispaniæ de Honorio dicens: *Qui flammam hæretici dogmatis non ut decuit, Apostolica auctoritate incipientem extinxit, sed negligendo confovit*; unde hæreticus non fuit, hæresim docendo, sed hæresim docentibus non resistendo; non hæreticis consentiendo, sed hæreticos, ut par erat, non coercendo; ac proinde non perperam nec injustè damnatus *Honorius*, licèt non hæreticus ipse, quia hæresis hæreticorumque silentio suo, suaque negligentia fautor; cùm ejusdem culpæ rei censeantur erroris fautores & auctores, & dicat Cœlestinus ad Galliarum Episcopos scribens: *Meritò namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori*.

Nec tamen ut hæreticum propriè hæresim sua electione docentem, sed impropriè hæresim sua negligentia foventem.

Repones. In suis ad Sergium literis scripsit & asseruit Honorius unam in Christo voluntatem, & duas apertè negavit; ergo eamdem hæresim ac hæretici Monothelitæ docuit & asseruit. Resp. dist. ant. duas in Christo voluntates negavit in sensu Catholico, & à sensu hæreticorum longè alieno; conc. ant. In sensu Monothelitarum hæretico; neg. ant. & conseq. Quia non duas absolutè voluntates negavit, quarum una esset divinitatis, & humanitatis altera; sed duas solius humanitatis & contrarias negavit esse voluntates, quarum una esset carnis, & altera spiritus: id constat ex S. Maximo Martyre pro Honorio ex persona Joannis IV. dicente: *Cùm enim scripsisset Sergius, esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus, Christum non habere duas contrarias voluntates, carnis inquam & spiritus, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est*.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Nicæno II. anno 787.

Sub Adriano I. Romano Pontifice, pro restituendo sacrarum Imaginum cultu contra Iconomachos.

Brevis & historica secundi Nicæni Concilii summa.

CUm *Paulus*, Patriarcha post *Nicetam* Constantinopolitanus, ob simulatam fidem, & juramento confirmatam Iconoclastiæ perfidiam, pœnitentia ductus relicta sede in Flori monasterium secessisset, & facti rationem quærentibus spectatissimis è Senatu patriciis ab *Irene* Augusta missis dixisset: *Nisi Synodus universalis fiat, & error qui est in medio vestri corrigatur, salutem non habebitis*: Eoque dicto designatum successorem *Tharasium* adeò commovisset, ut non nisi ea conditione ut œcumenicum cogeretur Concilium, oblatum Episcopale munus Paulique sedem suscepe-

rit; promisere lubenter *Constantinus* Augustus, & *Irene* mater Augusta. Inauguratur *Tharasius*, inauguratusque statim fidei suæ professionem, supplicesque pro convocatione Concilii literas misit ad *Adrianum I.* Rom. Pont. Ad eumdem scripsere pariter *Constantinus* & *Irene*, rogantes ut Constantinopolim venire dignaretur ipse Concilio præfuturus, vel Legatos mitteret per quos præesset. Extant hæ literæ in 6. Conciliorum tomo edit. Labb. inter præambulas alias ad septimam Synodum litteras, & in quibus sic ad Pontificem: *Scit vestra paterna Beatitudo, quæ pridem facta sunt in hac nostra Regia Civitate propter venerabiles Imagines; qualiter qui ante nos regnaverunt, eas destruxerunt, & in dehonestatem atque injuriam posuerunt* ...... Cum Concilio decrevimus ut fieret universale Concilium, & rogamus vestram paternam Beatitudinem, &c...... *Ut det seipsam, & nullam tarditatem faciat, & ascendat huc in stabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis super venerabiles Imagines. Si enim non potuerit ascendere huc, quod putamus non fieri, scimus enim eum studiosum esse circa divina, eligat viros honorabiles habentes scientiam, & dirigat unà cum syllabis, ut inveniantur ex persona sacra & paternæ vestræ Beatitudinis hic.*

Convocatur itaque primò Constantinopolim Concilium istud œcumenicum septimum anno Christi 786. rogatu quidem, auxilio & opera Imperatorum, sed assentientis Adriani primi Rom. Pontificis auctoritate: verùm Iconomachorum factione Constantinopoli seditione suborta, in sequentem annum dilata est Concilii celebratio, & tandem Nicæam translata, ibique inchoata octavo Kalendas Octobris, anno Christi 787. & actionibus sive sessionibus septem feliciter conclusa die 22. Octobris ejusdem anni, à trecentis & quinquaginta vel sexaginta Orientalibus Episcopis: quibus præfuere ut sedis Apostolicæ Legati, Petrus Archipresbyter Ecclesiæ Romanæ, & Petrus Abbas S. Sabæ; licèt de istorum consensu & permissu præcipua Concilii dirigendi cura fuerit relicta Tharasio Patriarchæ Constantinopolitano, viro utpote in rebus arduis exercitato, & Græcæ linguæ peritissimo. Quid autem hoc in Concilio contra Iconomachos pro sacris Imaginibus, vel pro disciplina Ecclesiastica fuerit decisum, patebit ex brevi singularum actionum historia summatim ex septimo Conciliorum tomo deprompta.

In Actione I.

Cujus Actiones sive sessiones fuere 7.

Post apertum à Tharasio, brevi sed eleganti sermone Concilium, lectæ sunt Constantini & Irenes matris ad Concilii Patres directæ literæ; in quibus inter alia, & ipsæ Adriani Rom. Pontificis literæ jubentur juxta Synodicam consuetudinem publicè legi. Discutitur posteà lapsorum Episcoporum causa, & Basilius Ancyranus, Theodorus Myrensis & Theodorus Amorii Episcopi, qui Conciliabulo Constantinopolitano sub Leone Isauro habito, Imagines cum aliis damnaverant, coram istius Concilii septimi PP. consessu, suo explorato lapsu, cantata palinodia & ejurata hæresi, suas in sedes restituuntur, dilata in aliam sessionem aliorum lapsorum Episcoporum causa, utpote difficiliori, quia istorum longior fuerat sive diuturnior in hæresi mora.

In

In Actione II.

Ad Concilium ductus est Episcopus lapsus alius, Gregorius Neocæsareæ dictus, qui suum lapsum confessus & veniam deprecans, in proximè sequentem remissus est sessionem. Interim jubetur legi Adriani primi Rom. Pontificis ad Constantinum & Irenem Augustam epistola, in qua inter alia, multa sunt pro sacrarum Imaginum cultu relata, & quod notatu dignum, historia ipsa de lepra & baptismo Constantini Magni fusè descripta. Lecta est posteà ejusdem Adriani Pontificis ad Tharasium epistola: quibus perlectis, sedis Apostolicæ Legati, suffragii prærogativa utentes, petiere à Tharasio, deinde à Concilio, an has reciperent vel non Adriani Pontificis literas; & universi respondere Synodi Patres: *Sequimur, suscipimus & admittimus*: Idemque rogati & ex Synodi privilegio suffragantes, respondere reverendissimi Archimandritæ Monachi.

In Actione III.

Discussa est in primis Gregorii Neocæsariensis Episcopi causa: quem cùm nonnulli ad Ecclesiam, non autem ad Episcopatum pristinum recipiendum esse dixissent, eò quòd Iconoclastarum antesignanus fuisset, & orthodoxos persecutionis tempore vexasset, decretum est tamen, ut tam ille quàm lapsi alii suas in sedes restituerentur; quòd objectum illi persecutionis crimen probari non posset. Lectæ sunt posteà Tharasii ad Patriarchas alios Orientales literæ, quibus eos ad Synodum invitabat; lectæ & eorumdem ad Tharasium epistolæ, quibus suam à Concilio ob prementem Barbarorum tyrannidem excusabant absentiam.

In Actione IV.

Varia sunt in medium prolata tam Scripturæ quàm veterum PP. testimonia, ad legitimum probandum sacrarum Imaginum usum. Lecta post hæc Gregorii III. Rom. Pontificis ad S. Germanum Constantinopolitanum epistola; lectæ & ejusdem S. Germani aliæ ad Joannem Synnadensem, ad Constantinum Natoliæ, & ad Thomam Claudiopolitanum Episcopos. Quibus peractis, varia sunt in hæreticos anathemata prolata à S. Synodo, dicente inter alia:

His qui assumunt dicta S. Scripturæ, quæ sunt contra idola, in venerabiles Imagines, anathema.

His qui non salutant sanctas ac venerabiles Iconas, anathema.

His qui appellant sacras Imagines idola, anathema.

His qui dicunt quòd veluti ad Deos Christiani, ita ad Iconas accedunt, anathema.

His qui communicant scienter injuriam & inhonorationem inferentibus venerabilibus Imaginibus, anathema.

His qui dicunt, quòd excepto Christo Domino nostro, alius nos eruerit ab idolis, anathema.

Edita est posteà fidei professio, & singulorum Episcoporum subscriptione munita, primo loco subscribentibus Sedis Apostolicæ Legatis, & post illos subscribente Tharasio Constantinopolitanæ Patriarchalis Sedis Episcopo: post Tharasium verò aliis Sedium Patriarchalium Legatis.

In

In Actione V.

Variis Patrum testimoniis ostensum est, Iconomachos suæ hausisse hæresis venenum à Judæis, Saracenis, Gentilibus, Samaritis & Manichæis: & inter alia productum est pro sacrarum Imaginum usu Joannis Thessalonicensis Episcopi testimonium, desumptum à libello sive sermone, in quo disputat cum Gentili viro de usu Imaginum, & an Angeli sint corporei, interrogante Gentili, & respondente Joanne, ac asserente Angelos esse corporeos; ideòque pingi posse definivit Concilium: sed rationem illam Joannis, nimirùm quòd corporei sint, nec definivit nec ad illam attendit, utpote quia de solo retinendo Imaginum usu tunc quæstio erat: undè à Legatis Sedis Apostolicæ suffragii prærogativam conservaturis editum est de restituendis Imaginibus decretum, & iterata in Iconomachos anathemata.

In Actione VI.

Prolixa initur disputatio, qua hæreticorum qui in Conciliabulo Constantinopolitano Imagines damnaverant, discutiuntur argumenta, à Gregorio jam ad meliorem mentem converso relata, & ab Epiphanio locum tenente Thomæ Sardiniæ Præsulis impugnata; hoc est, hac in sessione sexta relicta est, & per capita refutata Synodi pseudo-septimæ definitio, seu conciliabuli Constantinopoli ab Iconomachis habiti, & Concilii œcumenici septimi falsò dicti.

In Actione VII.

Edita est fidei definitio, qua 1. sex prima approbantur & confirmantur œcumenica Concilia, dicendo: *Cuncta Ecclesiæ dogmata conservamus, & sex universalibus Conciliis inhærentes, eorum acta comprobamus.* Recitatur deinde fidei Symbolum, & posteà anathematizantur iterùm hæretici à sex prioribus Conciliis œcumenicis damnati, & profitentur Concilii Patres, se traditiones Ecclesiasticas sive scripto sive consuetudine valentes & decretas retinere velle; de quarum numero est Imaginum affiguratio, &c. unde definiunt cultum adorationis, non latriæ soli Deo debitæ, sed adorationis dumtaxat honorariæ, sacris Imaginibus exhibendum esse, dum dicunt: *Regiam viam incedentes, & Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ in qua Sanctus Spiritus habitat, traditionem observantes, definimus cum omni diligentia & cura venerandas & sanctas Imagines.... in templis esse collocandas, ut omnes qui eas contemplantur, in prototyporum memoriam veniant, illis salutationem & honorariam adorationem exhibeant: Imaginis enim honor in prototypum resultat...... sancta Synodus exclamavit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscribimus; hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmavit; credentes in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas Imagines amplexamur; qui secùs agunt, anathemate percelluntor; qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntor. Nos antiquæ Ecclesiæ legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus, nos adjicientes aliquid aut auferentes Ecclesiæ anathematizamus, nos venerandas Imagines*

gines suscipimus, nos qui secùs fecerint anathemate percellimus: iterantur-que cætera anathemata jam suprà act. 4. relata; & sic peracto Concilio, & editis qui sequuntur posteà pro Ecclesiæ disciplina canonibus, scripsit Tharasius ad Adrianum I. qui Concilii suscepit acta & approbavit, licèt Concilium ritu solemni & data ad omnes Ecclesias, aut ad Imperatores epistola non confirmaverit.

CANON I.

Antiquos confirmat Canones tum Apostolicos, tum à sanctis & universalibus sex prioribus Conciliis, vel à particularibus provinciatim editos. Et Canones 22.

CANON II.

Statuit ut nemo deinceps in Episcopum ordinetur, nisi Psalterium benè noverit, nisi ad scrutabiliter & non cursim sacros Canones, Euangelium, divini Apostoli librum, & omnem Scripturam legendam parato promptoque sit animo; cùm apud Oseam cap. 4. propheticè dicat Deus: *Tu repulisti scientiam, & ego te repellam, ne sis mihi sacerdos.*

CANON III.

Omnem electionem Episcopi, Presbyteri & Diaconi à Magistratibus factam, irritam manere declarat, juxta Canonem Apost. 31. expresse dicentem: Si quis Episcopus sæcularibus Magistratibus usus, per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur, & omnes qui cum eo communicant; oportet enim eum, qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi, ut à Nicæni Concilii primi Patribus decretum est can. 4. dicentibus; Episcopum oportet, maximè quidem ab omnibus qui sunt in provincia constitui; vel si omnes venire non possint, à tribus saltem præsentibus, aliis per literas suffragium ferentibus, eligi, & sic electum à Metropolitano confirmari.

CANON IV.

Vetat Episcopis, ne aurum vel argentum aut quævis munera alia à Clericis vel Monachis sibi subditis exigant, cùm non debeant parentibus liberi, sed parentes liberis thesaurum parare: illos verò qui alicujus hujusmodi exactionis causa, sibi subditis interdictionis vinculum injecerint, legi talionis obnoxios fore decernit.

CANON V.

Punit eos, qui solo facultatum Ecclesiis datarum intuitu fuerant ordinati, ideòque vilipendebant pauperes alios, solo virtutis intuitu à Spiritu sancto selectos & ordinatos; jubetque eos primò, ultimum sui Ordinis locum tenere; si verò perseverent, inflicta quoque pœna corrigi decernit; & si deinceps aliquem sic ordinari contingat, tam ordinantem quàm ordinatum, nec non mediatores, ut simoniæ reos punit, juxta Canonem Apostolicum trigesimum & Chalcedonensis Concilii secundum.

CANON VI.

Synodos provinciales, quas bis in anno fieri decreverat Concilium Nicænum, semel saltem in anno juxta Trullanum Canonem octavum celebrari jubet: Principes verò qui id prohibuerint, communione privat.

C A-

CANON VII.

In templis sine Sanctorum reliquiis, sæviente Iconomachorum hæresi consecratis, sacras reliquias cum precibus consuetis poni jubet; & Episcopum qui deinceps templa sine sanctis reliquiis consecraverit, ut transgressorem Ecclesiasticarum traditionum deponendum esse declarat.

CANON VIII.

Judæos illos qui suscepto baptismo se Christianos fingunt, & clam judaizant, non admittendos in Ecclesiam, sed impunè dimittendos, nec eorum baptizandos pueros aut eorum emendos servos definit.

CANON IX.

Hæreticorum scripta sive libros contra sacras Imagines editos retineri vetat, & ad Patriarcham Constantinopolitanum deferri jubet, ut cum aliis reponantur hæreticis libris: eum autem qui eos celaverit, si fuerit Episcopus, Presbyter vel Diaconus, deponi jubet; & segregari si Laicus vel Monachus.

CANON X.

Clericos eos deponi jubet, qui propria relicta parœcia ad aliam convolant, vel apud Magnates se recipiunt, in eorum Oratoriis sacrum facturi sine licentia Episcopi; imò & eos qui id de Episcopi consensu faciunt, si sæculares & mundanas suscipiant curas; monetque istos ut se potiùs ad filios vel servos divinas Scripturas edocendos offerant.

CANON XI.

Canonem Chalcedonensis Concilii 26. de instituendo œconomo in singulis Ecclesiis ac monasteriis servari præcipit: & si suis in Ecclesiis œconomum instituere neglexerint Metropolitani, institui posse decernit à Constantinopolitano Patriarcha suis in diœcesibus; similiter & à Metropolitano in suis, si id neglexerint Episcopi.

CANON XII.

Episcopos & Abbates suæ Ecclesiæ vel monasterii alienantes bona, deponi mandat, ut qui malè dissipent quæ non congregaverint, & alienationem irritam esse decernit.

CANON XIII.

Monasteria Deo dicata, sæcularium habitacula fieri vetat, & ea quæ fuerunt ab Iconomachis profanos in usus mutata, restitui jubet.

CANON XIV.

Prohibet eos qui à pueritia, clericali sunt tonsura insigniti, & lectores ab Episcopo nondum ordinati, in Missa & sacris officiis ad ambonem legere, etiam in Monasteriis. Lectores autem à Chorepiscopis ex Episcoporum mandato ordinari permittit; imò & Abbatibus, Presbyteris, & Episcopali benedictione inauguratis in propriis monasteriis tantùm.

CANON XV.

Clericum duabus in Ecclesiis collocari, seu plura beneficia possidere vetat, tanquam negotiationem, turpe lucrum, & rem ab Ecclesiastica consuetudine penitùs alienam.

C A-

CANON XVI.

Episcopos & Clericos, qui se pretiosis, splendidis & serica textura variatis exornant vestibus, corrigi jubet & puniri; si secùs faciant correctioni tradantur: similiter eos qui viles ac modestas Clericorum vestes irrident, Iconomachorum more.

CANON XVII.

Clericis vetat ac Monachis nova inchoare oratoria vel monasteria, nisi sumptus habeant ad consummandum necessarios, ut nonnulli præesse cupientes & parere fugientes, relictis suis monasteriis faciebant Monachi.

CANON XVIII.

Ut omnis pravæ suspicionis tollatur occasio, fœminas in Episcopiis vel virorum monasteriis versari prohibet: si secùs fiat, tam Episcopum quàm monasterii præfectum puniri jubet, & deponi si perseverent.

CANON XIX.

Invehitur in Episcopos, Abbates, & Abbatissas, sive monasterii præpositos vel præpositas, qui eos qui ad sacerdotalem ordinem vel vitam monasticam accedunt, pecuniis admittunt; & non aliter; eosque qui talia faciunt, si Episcopus sit vel Abbas, cessare jubet vel deponi, juxta Chalcedonensis Concilii Canonem secundum: si verò sit monasterii præfecta sive priorissa vel abbatissa, à monasterio detrudi suo, & in aliud ad subjectionem intrudi præcipit. De iis autem quæ dantur liberis à parentibus, instar dotis, vel quæ ex propriis rebus suis offerunt ipsi postulantes sive candidati, ea post professionem emissam Deo in perpetuum dicata, & inter monasterii propria manere decernit, sive exierint sive perseveraverint, nisi is qui præest, in culpa fuerit.

CANON XX.

Duplicia monasteria, monachorum scilicet & monialium fieri vetat: si quæ autem duplicia sint, ut ea quæ militant sub regula S. Basilii, servari præcipit constitutionem S. Basilii dicentis: *In uno monasterio ne versentur monachi & monachæ, nec monachus liberè cum monacha loquatur, &c. Si autem eveniat, aliquam cognatam monachus velit aspicere, præsente præfecta cum ea colloquatur exiguo & brevi sermone; mox ab ea recedat.*

CANON XXI.

Monachis & monialibus, propriis relictis monasteriis ad alia se transferre prohibet: si autem id contigerit, ipsos ut hospites accipi necessarium esse dicit.

CANON XXII.

In conviviis Christianorum modestiam commendans, scenica vetat cantica, citharœdicas meretriciasque voces; & clericis ac monachis cum mulieribus etiam cognatis secretò manducare non sinit, nisi fuerint in itinere, vel non haberent ea quæ sunt ad usum necessaria.

Notanda.

Notandum I. circa Canones istos, quòd licèt incertum sit, qua in actione sive Concilii Sessione fuerint editi; certum tamen est Canonem hujus Concilii primum, qui antiquos præcedentium Conciliorum confirmat Canones etiam

Notanda circa Canones Nicæni Concilii secundi.

etiam Apostolicos, non esse ex omni parte receptum & approbatum ab Ecclesia Romana, cùm Ecclesia Romana non omnes, sed 50. dumtaxat Apostolicos agnoscat Canones, nec tres Concilii Constantinopolitani primi, imò nec Chalcedonensis Concilii vigesimum octavum, sicut nec Trullanos unquam probaverit.

Notandum 2. Circa octavum hujus Concilii Canonem, qui est de Judæis post baptismum judaizantibus non admittendis, illum pariter non ab Ecclesia probatum, esseque unum ex iis quos Anastasius Bibliothecarius in præfatione Synodi septimæ ad Joannem VIII. Rom. Pont. scripsit, *Prioribus Canonibus vel decretis sanctorum sedis Romanæ Pontificum, aut certè bonis moribus adversari*; adversatur enim octavus ille Canon nedum S. Gregorio Magno lib. 1. epist. 45. lib. 4. epist. 6. sed etiam Toletano Concilio IV. Can. 55. expressè decernenti, Judæos ad fidem non esse cogendos: eos autem qui jam ad fidem venire & baptismum suscipere coacti fuerant, ut contigerat sub Sisebuto Rege, fidem tenere cogendos: *Oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur; ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, contemptibilis habeatur.*

Damnati quidem à Francofordiensi Concilio, sed errore facti decepto.

Objicies forsan nedum contra hujus Concilii Canones, sed contra Concilium ipsum, sive contra Synodum istam septimam, & dices illam fuisse damnatam à 300. Francofordiensis Concilii Patribus, ex Conc. Franc. Can. 2. sic dicente: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur, qui suprà sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt*; ergo inter œcumenicas numerari nequit ista septima Synodus seu Nicæna secunda. Resp. perm. ant. neg. conseq. Damnatam fuisse quidem fateor Synodum istam septimam à Francofordiensis Concilii PP. sed errore facti deceptis, & æquivoco adorationis vocabulo delusis: putabant enim Francofordiensis Concilii PP. à septima Synodo Nicæna secunda fuisse decretum, adorandas esse Imagines adoratione latriæ soli Deo debita, quod falsum omnino erat, & contra præfatæ Synodi septimæ mentem; quæ dum definivit sacras Imagines esse adorandas, hoc intellexit non de adoratione latriæ, sed de adoratione dumtaxat honoraria & infra latriæ cultum posita; & illo errore facti decepti, non mirum si septimam Synodum damnaverint Francofordiensis Concilii PP. eòque liberiùs, quò illam pro œcumenica nondum agnoscerent, sed solum pro nationali Græcorum Synodo, cui penè totius Occidentis suffragia deerant, & quam solemni ritu non confirmaverat Adrianus primus, missa ad omnes Ecclesias vel ad Imperatores epistola.

Instabis. Francofordiensis Concilii Patres damnaverunt Iconomachorum Synodum Constantinopolitanam, sub *Constantino Copronymo* contra sacras Imagines habitam, quia in ea cultum & adorationem Imaginum prorsus omnem damnarunt Iconomachi; ergo non damnarunt iidem Francofordienses secundam Nicænam Synodum pro sacris Imaginibus habitam, quia in ea Imagines adorari & coli decreverunt orthodoxi; alioquin sibi ipsi adversi fuissent, & contraria damnassent Francofordiensis Conc. PP. ergo aliis de causis eam damnarunt, quibus eam non legitimam judicarunt. Resp. Francofordienses Concilii PP. damnasse quidem utramque Synodum

illam,

illam, Constantinopolitanam videlicet contra Imaginum cultum, & Nicænam secundam pro Imaginum cultu celebratam, nec tamen sibi adversari; quia dum Constantinopolitanam Iconomachorum damnarunt, ideò damnarunt, quia sacrarum Imaginum usum & cultum prohibebat omnem; ideò verò Nicænam secundam damnarunt, non quia Imaginum usum & adorationem præceperat, sed quia dum Imagines adorari præceperat, putarunt errore facti decepti Francofordiensis Concilii PP. Nicænam secundam Synodum præcepisse seu definiisse, sacras Imagines esse supremo adorationis gradu seu cultu latriæ venerandas; quæ tamen non erat Nicænæ secundæ Synodi mens. Definierat quidem Nicæna secunda Synodus eas esse adorandas, sed adoratione dumtaxat honoraria, quam non reprobant Francofordiensis Concilii Patres, & quam rejecerat Constantinopolitana præfata Iconomachorum pseudo-Synodus, omnem damnans sacrarum Imaginum cultum & usum.

ARTICULUS IX.

De Concilio Constantinopolitano IV. anno 869.

Sub Adriano II. Rom. Pont. contra Photium Patriarcham Constantinopolitanum fraudulenter intrusum, pro restituendo Ignatio perperam & injustè detruso.

Brevis & historica quarti Concilii Constantinop. summa.

UT hujusce Concilii Constantinopolitani IV. œcumenici octavi, & Orientalium ultimi, clariùs innotescat convocationis occasio, ex historia Ecclesiastica sciendum occurrit, quòd decimus tertius jam currebat annus, ex quo *Michael* Theophili Imperatoris filius sub Theodoræ matris tutela feliciter regnabat, cùm grandior factus ambiensque regnare solus, *Bardæ* germani Theodoræ fratris, suique rectoris & avunculi malis artibus persuasus, *Theodoram* matrem Augustam sapientissimam ab omni prorsus Imperii ministerio dejecit, & ad vitæ privatæ sortem reduxit, præfato *Bardæ* avunculo rerum administratione credita, quibus temporibus Constantinopolitanam regebat Ecclesiam *Ignatius*, Michaelis Curopalatæ, vulgò Rengabis Imperatoris filius, Nicephori Augusti ex filia Procopia nepos, vir sanctissimus; qui *Leonis* Armeni tyranni jussu cum fratribus Eunuchus factus, in insulam translatus, & in monasterio reclusus, ibique ob egregiæ vitæ sanctimoniam Abbas electus, & ex Abbate post sancti *Methodii* felicem obitum, Constantinopolitanus inauguratus Episcopus anno Christi circiter 847.

At ibi digni & intrepidi implens officium Episcopi, ac Patriarchæ sanctissimi; cùm *Bardam* paternè pluries sed frustrà monuisset, quòd sponsa repulsa legitima, cum propria nuru damnabile commercium haberet, illum tandem vir sanctus Ecclesiæ communione privavit. Ex qua censura licèt justè lata iratus ac furens *Bardas*, nihil non tentavit ut *Ignatium* deprimeret ac detruderet: idque faciliùs ut impleret, Imperatori suasit ut juberet *Theodoram* matrem ab *Ignatio* Patriarcha velari, ne fortè si nuberet, ad Imperii regimen cum marito rediret. Quod suaserat, nimis credulus jussit Imperator; sed *Theodoram* invitam velare renuit *Ignatius*: ex quo protinùs ad Imperatorem juvenem accurrit callidè *Bardas* dicens: Heus!

Heus! non advertis nunc saltem ò Imperator, à *Theodora* partibus stare Patriarcham, tibique simul cum illa moliri ruinam? His motus juvenis Imperator, *Theodoram* è Regio dejecit palatio, & *Ignatium* à regimine Patriarchatus abegit, & ejus in locum *Photium* virum nobilem, sed laicum adhuc, contra Canones & venerandas leges, repentè *Bardæ* suggestione supplevit; Gregorius enim Syracusanus Episcopus tunc Constantinopoli degens, utpote quia sua depulsus sede, & ab Ignatio Patriarcha paucis abhinc annis seditionis, schismatis & aliorum criminum causa depositus, *Photium* illum sex dierum spatio è laico ad omnes omnium Ordinum gradus repentè promovit; prima siquidem die Monachum, altera Lectorem, tertia Subdiaconum, quarta Diaconum, quinta Presbyterum, & sexta tandem Episcopum simul & Patriarcham ordinans illum, *teste Niceta in vita S. Ignatii*.

Et hæc repentina & inordinata *Photii* promotio & in sedem Constantinopolitanam intrusio, prima fuit mali Græcorum labes, sive causa & occasio schismatis inveterati, quo à Romana scissa manet Ecclesia Græca; *Photius* enim vir ingenio potens & opibus, *Tharasii* quondam Patriarchæ nepos, Imperatoris protospatharius, Bardæ amicissimus, sæcularique literatura nulli secundus omnem movit lapidem, ut suam ordinationem ut canonicam, & legitimam Ignatii depositionem propugnaret. Suggessit in primis Imperatori, Ignatium etiam in exilio res moliri novas, suasitque ut ad eum satellites mitteret, qui illum in Mitylenem insulam deportarent. Varios interim ipse cogit Episcoporum sibi præmiorum spe vel exilii metu faventium conventus, in quibus *Ignatium* ritè exauctoratum solemniori judicio declarat & anathematizat. Legatos sanctæ Sedis à *Nicolao I.* Rom. Pont. missos ad inquirendum de causa Ignatii, minis & pœnarum formidine terret, & suas in partes trahit. Legatos ut prævaricatores damnat summus Pontifex *Nicolaus*, & causa maturè discussa *Photium* deponit, & *Ignatium* restituit. Nec quiescit *Photius*, sed convocata Synodo, ausu temerario ipsum *Nicolaum I.* Romanum Pontificem excommunicat, & in Romanam Ecclesiam calumniis plenas encyclicas scribit literas, & altera convocata Synodo schisma confirmat.

His ut occurreret Ecclesiæ præsertim Constantinopolitanæ malis *Adrianus II.* Romanus Pontifex, *Nicolai* primi jam vita functi successor, Constantinopoli generale Concilium celebrari jussit, missa hunc in finem ad *Basilium* Imperatorem epistola, & suorum vicariorum qui præsiderent legatione promissa, dicens inter alia: *Volumus autem per vestræ pietatis industriam, Constantinopoli numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque Legati præsidentes, delictorum hominumque discrimine perspecto, statim cuncta impii conciliabuli exemplaria ab iis qui illa retinent ablata, ignibus concremanda tradant.* Et re ipsa acceptis Adriani II. literis sive mandatis, Concilium istud Constantinopolitanum quartum, & œcumenicum octavum convocavit piissimus Imperator Basilius anno 869. ut patet ex acclamatione S. Ignatii ad Synodum actione 8. dicentis: *Quoniam verò universali paci consulens piissimus & prudentissimus Imperator noster, multam habuit curam & solicitudinem colligendi sanctissimos Vicarios ex cunctis aliis Patriarchalibus sedibus, & Synodum universalem celebrandi.* Hoc ad Concilium venere Episcopi sive Patres non 383. ut vult Auctor Biblioth. Theolog. sed 102. ut communis fert opinio, quibus præfuere, ut Adriani II. Rom. Pontificis Legati, *Donatus* Ostiensis Episcopus, *Stephanus* Nepesinus pariter

riter Episcopus, & *Marinus* S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus. Cœptum est Concilium in templo S. Sophiæ 5. Octobris die, anno Christi 869. & conclusum ultima Februarii sequentis die, Actionibus decem, & Canonibus editis 27. Quid autem in toto Concilii decursu factum fuerit, brevis hic annexa singularum Actionum sive sessionum enarrabit historia, ex octavo Conciliorum tomo deprompta.

In Actione I.

Cujus Actiones enarrantur decem.

Feria quarta die Octobris 5. in Templo S. Sophiæ primo loco sedentibus pro more sedis Apostolicæ Legatis, post illos Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, aliisque sedium Patriarchalium Vicariis, præsentibus Patritiis ab Imperatore missis, S. Cruce & Euangeliorum libro in dextera Catechumeniorum parte decenter pro more locatis; ingressi sunt Legatorum sedis Apostolicæ jussu, Episcopi 12. qui ab Ignatii & sedis Apostolicæ partibus steterant, & pro justitiæ causa fortiter & invictè certaverant, suumque secundùm ordinem sedere jussi, dicentibus sedis Apostolicæ Legatis, *Sedeant secundùm ordinem suum, quia digni sunt, & beatos, & ter beatos hos æstimamus.* Deinde iisdem annuentibus Legatis, lectum à Bahane Patritio Epanagnosticum ab Imperatore missum, hoc est, scriptum palam & coram Synodo legendum; quo universos Synodi Patres hortabatur Imperator, ut privatis semotis affectibus, & omni contentione postposita, Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum componerent. Ab eodem Bahane Patritio rogati sunt postea sedis Apostolicæ Legati, ut suæ Legationis literas, & ejus à quo missi erant, mandatum exhiberent: quæ petitio cùm insolens visa esset Legatis, dixere: *Hoc nos usque nunc non invenimus in universali Synodo factum, ut Vicarii Senioris Romæ à quolibet examinentur, utrùm talem æstimationem habeant. Respondit Patritius: Et nos propter inhonorantiam Apostolici throni non dicimus hoc, sed quia anteriores vestri accedentes missi, Rodoaldus scilicet & Zacharias deceperunt nos, alia in mandatis habentes à Nicolao I. & alia facientes.* Ad quæ dixere Legati, *Ecce epistola Sanctissimi Papæ Adriani: si vultis, legatur.* Et lecta est, jubente Synodo, hæc Adriani II. ad Basilium Imp. directa commendatitia Legatorum epistola. Lectus insuper & approbatus libellus, ab omnibus Episcopis, Sacerdotibus, Clericis & Monachis subscribendus, in quo erat definitio Romanæ Synodi sub Nicolao celebratæ, omnes hæreses simul cum Iconomachis, & Photium anathematizantis: & tandem huic definitioni consona lecta est Episcoporum Orientalium super Ignatii depositione decisio, ante Legatorum adventum edita; qua perlecta, exclamarunt Concilii PP. *Ecce audivimus sententiam Orientalium, sequentem & faventem judicio sanctissimi Papæ Nicolai, & convenimus in eam.*

Catechumenia dicuntur loca in quibus instruebantur Catechumeni.

In Actione II.

Septima die mensis Octobris ejusdem anni, dum secunda haberetur Synodi sessio, ingressi sunt qui lapsi fuerunt Episcopi, hoc est Episcopi illi qui à S. Methodio vel ab Ignatio ordinati, Photii partes secuti fuerant; lectoque libello supplici, quo veniam deprecabantur & pœnitentiam, admissi sunt, rogatique à sedis Apostolicæ Legatis, num libello à Romana sede misso subscribere vellent: lubenter subscripsere, subscriptumque super sancta

Euangelia & S. Crucem Ignatio Patriachæ suo tradidere; à quo de consensu Synodi, suæ dignitatis receptis insignibus, suo in ordine sunt sedere jussi. Recepti postea pari modo similiter lapsi, & veniam petentes Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, ea tamen lege ut ob lapsum epitimii pœnam subirent, seu epitimium, hoc est, pœnam Ecclesiasticam lapsis impositam, sitam in certo abstinentiæ modo, & præscripto precum numero usque ad natale Domini; ante quod tempus eis non liceret suorum Ordinum obire munia.

In Actione III.

Die ejusdem mensis 11. dum ista haberetur actio 3. duo refractarii Archipræsules, *Ancyræ* nimirùm & *Nicææ*, petitam non obtinuere veniam, ideò quòd libellum à Pontifice missum ad satisfactionem suscipere noluerint: deinde S. Sedis Legatorum jussu, lectæ sunt epistolæ tres, *Basilii* Imperatoris ad *Nicolaum* Papam una; *Ignatii* ad eumdem altera; & *Adriani* ad *Ignatium* de Photii damnatione, tertia.

In Actione IV.

Eodem mense decimatertia die ad 4. actionem celebrandam congregatis Synodi Patribus, duo ex iis qui ex parte Photii ad Nicolaum I. fuerant Legati, nempe Zacharias & Theophilus ad Synodum intromitti & audiri petiere; sed illos quia jam à Nicolao I. damnatos, initio audire renuerunt Sedis Apostolicæ Legati, contendentes retractari non posse sententiam Romani Pontificis, nec rursus audiendos jam semel damnatos; ex indulgentia tamen & rogantibus patritiis, postea intromissi, & ultimo loco sedere jussi: dumque urgerentur ut subscriberent libello à Romana sede misso, audacter dixere, se unà cum Photio non tantùm à Nicolao I. sed etiam à Patriarchalibus Ecclesiis fuisse receptos. Ad hoc reclamarunt Sedis Apostolicæ Legati, eosque ut de mendacio convincerent, Nicolai primi literas plures jussere legi: unde lectæ sunt duæ aliæ Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem epistolæ, & ejusdem ad Photium una. Prima ostendit Imperatori, laicum hominem non subitò, sed per gradus ad Sacerdotium esse promovendum; in altera ad eumdem & ultimò lecta, de eodem tractat argumento; & in tertia ad Photium scripta, reprehendit ipsum propter usurpatum, spreto Canonum ordine, Sacerdotium; respondetque ad tria, quibus nitebatur Photius, Patrum exempla, *Nectarii* videlicet, *Tharasii* & *Ambrosii*, dicens de *Nectario*, illum fuisse quidem à Concilio Constantinopolitano I. à laicali statu ad Episcopatum repentè promotum, sed necessitatis causa; cæteris quippe Clericis, grassante tunc hæresi maculatis. De *Tharasio* verò respondet, ejus promotionem ab Adriano I. fuisse reprehensam, quia non Canonicam, toleratam tamen ob magnum Tharasii meritum, ejusque ad Iconomachos impugnandos zelum. De *Ambrosio* denique è Catechumeno in Episcopum promoto, id non instinctu hominum, sed divina vocatione factum ait. Ex quibus de mendacio manifestè convicti, magno cum dedecore foras ejecti sunt illi duo pseudo-Episcopi.

In

In Actione V.

Ejusdem mensis Octobris 15. die, sub quintæ sessionis initio, per laicos viros dedecoris causa à Laico in Episcopum inordinatè promotus, ad Concilium citatus venit Photius, & ter interrogatus à Legatis, num SS. Patrum constitutionem susciperet, nihil respondit; urgentibus eum senioris Romæ Vicariis ut responderet, tandem dixit: *Vocem meam, etiam me tacente, Deus audit.* Ad hæc dixere Legati: *Per silentium non effugies manifestiorem damnationem.* Quibus reposuit Photius: *Nec Jesus tacendo damnationem evasit.* Eo præsente, iterùm lectæ Nicolai ad Michaelem & Photium epistolæ, & approbatæ; commonitus est ad pœnitentiam Photius, & dimissus.

In Actione VI.

Sextò congregatis Synodi Patribus die 25. mensis ejusdem, eleganti oratione sessionem aperuit Metrophanes Sirmiensis Episcopus, Basilio Imperatore præsente. Qua finita, primò ea quæ contra Photium decreta fuerant à summis Pontificibus Nicolao I. & Adriano II. executioni mandari ab Imperatore petiere sedis Apostolicæ Legati. 2. Imperatoris jussu, introducti sunt Episcopi quotquot erant Photii sectarii. 3. Ad Photii damnationem affirmandam, lectæ sunt iterum Nicolai I. ad Imperatorem & Photium epistolæ. 4. Orientales rursus fusa oratione coram Imperatore dixere, suis à Patriarchalibus Ecclesiis numquam receptum fuisse Photium, seu numquam probatam Photii ordinationem, & Ignatii depositionem. 5. Interrogati posteà sectarii Photii Præsules ab Imperatore, num tam manifesto & communi de Photiana causa judicio acquiescerent; sed illi nedum non acquievere, sed Photii causam propugnandi veniam sibi concedi petiere: qua obtenta, unus ex iis, nomine Zacharias, Chalcedonensis Episcopus, Ignatii depositionem justam fuisse prolixa oratione conatur ostendere, sed frustrà; Metrophanes enim Sirmiensis antistes singula ejus resumens argumenta, vana esse probavit & diluit. Quibus peractis, hos alloquens omnes Photianæ partis sectarios Episcopos Basilius Imperator, eorum ordinationem graviter taxans, hortatur eos ad resipiscentiam, concesso illis 9. dierum spatio, quo expleto se iterùm sisterent.

In Actione VII.

Die 29. mensis pariter Octobris, septimam Actionem inchoantibus Concilii Patribus, ad Concilium reversus est *Photius*, pastorali innixus baculo, cum Gregorio Syracusano Episcopo; sed avulso è manu ejus illo quo nitebatur baculo, urgente *Marino* sanctæ sedis Legato & dicente, hoc illum uti non debere pastorali signo, qui lupus est, non pastor; interrogatus Photius à Legatis Concilii Præsidibus, an pœniteret, & libellum supplicem offerre paratus esset, respondit ipsos potiùs pœnitere debere. De quo responso acriter cùm reprehensus esset, nec resipisceret ad pœnitentiam; interrogati sunt alii Photianæ partis Episcopi, num pœnitentiæ libellum offerre cuperent; sed pervicacius obstinati quàm anteà reperti: unde Lega-

torum jussu lecta sunt *Nicolai* & *Adriani*, de illius intrusione, & Ignatii depositione judicia; & tandem à Stephano Diacono, Conciliique Notario proclamata sunt in Photium, ejusque sectarios anathemata.

In Actione VIII.

Quinta Novembris die congregatis octavò Concilii Patribus, Basilii Imperatoris & Concilii jussu, igui tradita sunt omnia habitorum à Photio contra Nicolaum Papam & Ignatium Conciliabulorum acta, combustaque omnia per ipsum promulgata volumina. Deinde Legatorum Sedis Apostolicæ jussu, lectus est Canon 20. Synodi Romanæ sub Martino I. celebratæ, editus in eos qui falsa vel corrupta supponunt monumenta, ut fidei alterius expositiones, aut typos, aut leges, aut definitiones, aut libellos, relationes, epistolas, subscriptiones, testimonia falsa vel Synodos; idque occasione Photii, qui falsos Orientalium Sedium Vicarios, confictaque Synodica acta in Nicolaum I. Rom. Pont. supposuerat. Actum est posteà de Iconomachis; & introducti eorum nonnulli, quorum caput erat *Theodorus*, cognomine *Critbinus*, cui Bahanes Patritius illustris ostendens numisma, cui excusa erat Imperatoris imago, quæsivit num illam veneraretur, & affirmativè respondente, reposuit; si mortalis Regis imaginem veneraris, cur imaginem venerari renuis Christi Regis immortalis, sanctissimæque Matris ejus, ac omnium Sanctorum? & inducias petenti ac dicenti, se sacras etiam Imagines veneraturum, si sibi ea de re ostenderetur Christi præceptum, responsum fuit, de eo quod est ab Ecclesia Catholica definitum, non esse quærendum Christi præceptum: Cùmque ille obstinatus permaneret, nonnulli alii, ut Nicetas Clericus, Theophilus Laicus, & Theophanes tabellio pœnitentes, & hæresim ejurantes, nedum in sinum Ecclesiæ sunt admissi, sed etiam ab Imperatore peramanter osculo recepti, & tandem in Iconomachos alios & Photium anathema dictum est.

In Actione IX.

Anno Domini 870. die Februarii 12. sessionem novam celebrantibus Concilii Patribus, nuntiatur venisse Josephum Sedis Alexandrinæ Vicarium, sive Legatum. Lecta est ejus commendatitia ad *Basilium* Imperatorem epistola; lecta deinde coram illo, & ab illo approbata jam in Concilio gesta; examinati posteà falsi in *Ignatium* testes, & pœnitentia ducti, cum cæteris qui ad Photium defecerant, recepti. Legatorum posteà Sedis Apostolicæ jussu, ad Synodum citati sunt Laici tres illusores sacerdotii, qui per urbem Constantinopolitanam progredientes sacerdotalibus induti vestibus, Episcoporum ac Sacerdotum personas agere consueverant. Interrogati de facto, confessi sunt se id mandato Michaelis Imperatoris egisse, & petentes ad pœnitentiam recipi, ad futuram sessionem sunt remissi.

In Actione X.

Eodem anno Christi 870. die Februarii ultima, dum Synodi celebraretur hæc Actio ultima, editi sunt ac promulgati Canones 27. lecta deinde fidei definitio, in qua damnatis jam hæresibus, rursus anathematizatis, iteratur

Photii damnatio, cui subscripsere sedis Apostolicæ Legati; Imperator, cæterique Patres, *calamis non atramento, sed ipso Salvatoris sanguine tinctis*, ut testatur Nicetas in vita S. Ignatii. Subscripsere quidem omnes, sed hoc ordine & ritu, ut cùm Basilius Imperator omnes interrogasset Concilii Patres, an definitioni Synodique decretis acquiescerent, & unanimi voce universi conclamassent: *Omnes ita sapimus, omnes ita prædicamus, omnes concinentes & consentientes promptè subscribimus; hoc est veritatis judicium, hoc justitiæ decretum, hæc est Canonum expositio, hæc Ecclesiasticæ ordinationis defensio*. Cùmque posteà gratiarum actionem cum adhortatione gravissima tum ad Episcopos, tum ad Laicos habuisset idem Imperator piissimus, acta Synodi subscriptione sua muniere primi, non Imperator Basilius licèt rogatus, sed Sedis Apostolicæ Legati: deinde Patriarchæ vel Sedium Patriarchalium Vicarii; post illos verò non definiens, sed suscipiens & consentiens subscripsit Basilius Imperator, hac modesta protestatione prævia dicens, suum non esse subscribere Synodo, nisi post Episcopos, exemplo Constantini Magni, Theodosii, & Marciani; se tamen subscribere post Patriarchas, honoris gratia sibi à Synodi Patribus collata. Canones autem 27. hoc in Concilio editi, sunt sequentes isti.

Et Canones 27. explicantur.

CANON I.

Canones tam Apostolorum, quàm Conciliorum, sive universalium, sive localium, ut secunda eloquia Dei, servandos esse monet.

CANON II.

Nicolai I. & Adriani II. Synodica decreta, pro defensione Ecclesiæ Constantinopolitanæ, restitutione sanctissimi Patriarchæ Ignatii, & Photii Neophyti invasoris expulsione ac damnatione, observari jubet.

CANON III.

Imagines Christi omnium Salvatoris, B. Virginis Deiparæ, Angelorum, omniumque Sanctorum, æquo honore cum libro SS. Euangeliorum adorandas esse decernit.

CANON IV.

Ordinationes vel consecrationes à Photio intruso & invasore factas, irritas esse, & ipsummet invasorem, nusquam verè Episcopum fuisse declarat.

CANON V.

Vetat ne quis Laicus nuper tonsus assumatur in Episcopum, & nisi probatus fuerit per varia, quæ hìc definit temporum interstitia, nimirùm per annum unum integrum in Lectoratus ordine, per duos in Subdiaconatu, per tres in Diaconatu, & per quatuor denique in Presbyteratus ministerio permanserit annos.

CANON VI.

Photium iterùm anathematizat, ob adductos falsos sedium Orientalium Vicarios, & ob conficta contra Nicolaum I. virum sanctissimum, & in suo Conciliabulo ventilata carmina.

CANON VII.

Sacrarum Imaginum hostes ab hac Synodo anathematizatos, ad sacras

pingendas Imagines, vel ad scientias divinas vel humanas docendas admitti prohibet.

CANON VIII.

Vetat ne Episcopi vel Patriarchæ subscriptiones ab ordinandis, vel ab aliis, more Photii, extorqueant, quibus sibi adhæsuros promittant.

CANON IX.

Extortas per Photium subscriptiones illas neminem obligare declarat.

CANON X.

Vetat, ne quis ante sufficientem examinationem, & Synodicam sententiam à suo Patriarcha, Metropolita, vel Episcopo, sub causæ cujuscumque criminalis fuco, se separet, & ut nomen ejus inter divina referre mysteria desinat; qui verò contrà fecerit, ab omni sacerdotali officio & honore cadat.

CANON XI.

Impiam de duabus hominis animabus opinionem, quam Photius tenuisse dicitur, anathematizat, ut divinæ Scripturæ & SS. Patribus adversam.

CANON XII.

Statuit, ne favore aut tyrannica Principum potestate eligantur Episcopi.

CANON XIII.

Ad magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitates neminem assumi jubet, nisi ex ejusdem Ecclesiæ Clero, si in eo inveniantur digni.

CANON XIV.

Decernit, ut digno honore habeantur Episcopi, tam à Principibus sæcularibus, quàm à cæteris; arguitque nonnullorum Episcoporum ignaviam, qui abjectè viventes, suam dehonestant dignitatem & deprimunt.

CANON XV.

Vasa sacra alienari, vestesque sacras, aut rurales alias Ecclesiæ possessiones, sive prædia vendi, aut in emphyteusim tradi prohibet, nisi ob captivorum redemptionem.

CANON XVI.

Anathematizat eos, qui per ludum res sacras imitantur & fingunt.

CANON XVII.

Patriarchæ ad Synodum vel ad emendationem vocanti Metropolitas parere jubet, irritamque declarat excusationem asserentium, se à Principibus detineri, cùm id non possint licitè Principes; sicut & aliorum alteram dicentium, se Concilia bis in anno celebrare debere, cùm Concilia Patriarchalia sint Provincialibus Conciliis longè utiliora. Reprobat denique aliorum imperitorum excusationem, sine Principis præsentia Synodum celebrari non posse dicentium; cùm nusquam sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.

CA-

CANON XVIII.

Res & privilegia Ecclesiæ per spatium 30. annorum possessa, secura fore, nec auferri posse decernit.

CANON XIX.

Vetat, ne prætextu Visitationis, Metropolita subditos sibi gravet Episcopos.

CANON XX.

Bona Ecclesiæ in emphyteusim tradita repeti vetat prætextu non servatæ fidei circa pensionis pactum, nisi per tres continuos annos solutus non fuerit pensionis census, idque fiat ordine juridico coram competente Judice.

CANON XXI.

Anathematizat sæculi Principes & Magnates, qui reverentiam & honorem Patriarchis, præsertim Romano Pontifici debitum violaverint; imò cavet, ne Synodus universalis sententiam audacter dicat contra summos senioris Romæ Pontifices.

CANON XXII.

Vetat, ne Princeps sæcularis se promotionibus Episcoporum immisceat.

CANON XXIII.

Prohibet Episcopis sub pœna segregationis, ne alienæ Ecclesiæ possessiones invadant, conferant, aut locent, neve in ea Presbyteros vel Clericos constituant, absque proprii voluntate Episcopi.

CANON XXIV.

Quorumdam Metropolitanorum castigat negligentiam & desidiam, qui sæcularibus impliciti curis, suffraganeos sibi subditos Episcopos per vices vocabant, iisque utebantur quasi Clericis, cogendo eos etiam propriis stipendiis Episcopalia obire munia.

CANON XXV.

Illos Clericos etiam à Methodio & Ignatio ordinatos, qui Photio pertinaciter adhærebant, nec resilire voluerant, depositos declarat absque ulla restitutionis spe.

CANON XXVI.

Cuilibet Clerico læso ad majores sedes gradatim appellare permittit, hoc est, Clericis à proprio Episcopo læsis, ad Metropolitam, & Episcopo per Metropolitanum gravato, ad Patriarcham provocare finit.

CANON XXVII.

Vetat Episcopis pallio utentibus, ne eo utantur extra tempora & loca per Canones statuta; & Monachis ad Episcopatum assumptis, ne Monasticum exuant habitum.

His peractis, & omnium Concilii Patrum subscriptione munitis, scripta ad Adrianum II. epistola, Concilii confirmationem postulant Patres; scripsit & Basilius Imperator. Patrum votis annuisse Adrianum, & Acta Concilii confirmasse constat ex ejusdem Adriani ad Basilium Imperatorem epistola, ad Concilii calcem posita.

E quibus Canon quartus Photium declarat non verè Episcopum, quia non licitè licèt validè ordinatum.

Quæres fortè 1. circa Canones istos, quid octava Synodus intelligat Canone 4. dum *Photium* numquam Episcopum fuisse declarat, & ordinationes ac consecrationes ab eo factas, irritas esse denuntiat? numquid enim *Photius* non verè fuit ordinatus seu consecratus Episcopus à *Gregorio Syracusano* vero Episcopo? & si verè consecratus fuit Episcopus, cur non Episcopus? si Episcopus, cur irritæ ordinationes ejus? Resp. octavæ Synodi mentem esse hoc Canone 4. dicendi tantùm, *Photium* numquam Episcopum fuisse, quoad jurisdictionem & legitimum suæ potestatis Episcopalis usum; sed non asserendi, eum non fuisse verè Episcopum quoad dignitatem & characterem Episcopalem, hoc est, non negat *Photium* verè ordinatum fuisse Episcopum, sed eum legitimè ordinatum fuisse negat; non negat eum verè ordinatum fuisse Episcopum, quia ordinatum à Gregorio Syracusano verè Episcopo; sed negat eum legitimè & licitè ordinatum, quia ordinatum à Gregorio Syracusano Episcopo quidem, sed canonicè deposito, exauctorato & anathematizato, ac proinde impedito ab omni legitimo & licito suæ potestatis Episcopalis usu, ac consequenter *Photius* ab eo ordinatus verè ac validè ordinatus fuit, sed non licitè ac legitimè. Unde est quòd Joannes VIII. summus Pontifex restituens Photium, eum restituit absque nova ordinatione ulla, quia validam, quamvis non legitimam ejus supponebat ordinationem.

Et ordinationes ab eo factas irritat, quia non licitè, licèt validè factas.

Instabis. Si verè Episcopus fuit *Photius*, cur ergo ordinationes ab eo factas irritas esse declarat octava Synodus hoc præfato Can. 4.? Resp. Synodum octavam eas irritas declarare, non quia non validas, sed quia nec licitas nec legitimas. Fuere quidem validæ, quia à *Photio* verè Episcopo; sed non licitæ nec legitimæ, quia à Photio invasore illegitimo, & in anathemate existente Episcopo.

Urgebis. Si validæ fuerint ordinationes à *Photio* factæ, & verus Episcopus fuerit *Photius*, cur eas reprobat *Adrianus II.* in epist. ad *Ignatium* Patriarcham Constantinop. quæ habetur Actione 3. hujus octavæ Synodi, & Gregorium Syracusanum, Photium, & quos Photius ordinavit, ab Episcoporum numero & dignitate sequestrat? dicens inter alia: *Quia Photius vir forensis curialis Neophytus, invasor atque adulter, necnon & anathemate condemnatus existens nihil habuit, nihil dedit, nisi fortè damnationem habuit quam se sequentibus propinaverit.* Resp. Adrianum II. ordinationes à Photio factas reprobare, non quia invalidas, sed quia illegitimas & illicitas: & dum ait *Photium* nihil habuisse, nihil dedisse, hoc ita dicit ut intendat dumtaxat Photium nihil habuisse de legitima ordinatione, sed non ita ut intendat eum nihil absolutè habuisse de ordinatione in se & quoad substantiam & valorem spectata; validè enim fuerat ordinatus à *Gregorio Syracusano*, licèt deposito & anathematizato; *Gregorius* enim ille quantumvis depositus & anathematizatus, non amiserat characterem Episcopalem; ergo potuit illum transfundere in *Photium*, ordinando sive consecrando illum: & pariter *Photius* licèt anathematizatus, non amisit illum; ergo potuit illum in alios transfundere, & illos validè, licèt non licitè consecrare.

Quæres 2. num Canon 12. reprobans promotiones & consecrationes Episcoporum, potentia & mandatis Principum factas, repugnet Regiæ Episcoporum nominationi in Gallia fieri solitæ. Resp. negativè: ratio est, quia hoc Canone reprobat solum octava Synodus Episcoporum promotiones vel consecrationes versutia, malis artibus, vel tyrannide Principum

factas,

factas, non autem alias à Principibus jure patrocinii & tuitionis Ecclesiæ, vel ex privilegio & Ecclesiæ concessione factas, quales sunt illæ Episcoporum promotiones, quos summo Pontifici in Gallia nominant Christianissimi Reges.

Instabis. Canon 22. anathematizat Laicos Principes, qui se Episcoporum electionibus immiscent; ergo videtur ille Canon Regiam etiam Episcoporum nominationem reprobare. Resp. perm. ant. neg. conseq. ad hoc enim ille Canon tendit tantùm, ut electionum libertatem restituat; non tamen ut jus nominandi ab iis auferat, quibus de jure vel ex privilegio competit, quale est in Gallia Regiæ nominationis jus.

ARTICULUS X.

De Concilio Lateranensi I. anno 1122.

Sub Callisto II. Rom. Pont. pro tollenda Sacerdotii & Imperii discordia, ex usurpatis Beneficiorum investituris orta; & pro ineundo sacro Jerosolymitano vel Hispanico in Saracenos bello.

Brevis & historica Concilii Lateranensis primi summa.

QUamvis generalis octava, sive Constantinopolitana quarta Synodus Canone 22. laicis Principibus ac potentibus sapienter inhibuisset omnibus, ne se Episcoporum electionibus vel promotionibus immiscerent; fuere tamen Principes, Imperatoresque nonnulli, qui Episcopatus, Abbatias, Ecclesiæque beneficia cætera conferendi jus ita sibi perperam usurparent, ut ea turpi ac damnabili mercatu venalia facerent, & indignis persæpè conferrent: unde varia oriebantur in Clero mala; contra quæ, ut par erat, insurrexere summi Pontifices, & præcipuè Gregorius VII. Ecclesiasticæ libertatis vindex acerrimus, qui octavæ Synodi renovans Canonem 22. Clericis inhibuit omnibus, ne quis è manu Imperatoris, Regis, vel alterius Laicæ personæ beneficii cujuscumque sumeret investituram, hoc est, beneficii collationem à Principibus Laicis per baculum & annulum fieri consuetam. Henricum quoque Imperatorem hujus nominis quintum sæpè literis & Legationibus paternè monuit, ut ab hujusmodi beneficiorum investituris, nec non à simonia, aliisque sceleribus abstineret; verùm cum obstinatus ille nedum *Gregorii VII.* sed & Gregorii successorum, nimirum *Victoris III. Urbani II. Paschalis II.* & *Gelasii II.* imò & istorum omnium successoris *Callisti II.* monita contemneret & anathemata, verisque Pontificibus illis pseudo-Pontifices opponeret, *Guibertum* modò, modò *Burdinum*, Guibertum scilicet Gregorio, Victori, Urbano & Paschali; Burdinum verò Gelasio, ejusque successori Callisto.

Tandem anno Christi 1121. *Callistus II.* è Gallia, ubi Cluniaci post *Gelasium* electus, Romam veniens, capto & in carcerem ad pœnitentiam detruso pseudo-Pontifice *Burdino*, Aldebertum Archipræsulem Moguntinum adversus Henricum Imperat. in Germania Legatum constituit; isque ita strennè suæ Legationis munus implevit, ut Saxones universos, Episcopos, Principes & Catholicam plebem adversus Henricum commoverit, & ingen-

ingentem exercitum paraverit; qui cùm ab ejus castris non procul abesset, singulari Dei beneficio factum est, ut non ad pugnandum, sed ad deliberandum de pace inter Pontificem & Imperatorem ineunda, 12. ex utraque parte fuerint electi viri primates, qui Vvilteburgum accessere: ibique post varia per continuam hebdomadam habita comitia, cum Imperatore convenere de tollendo omninò Ecclesiæ schismate, mittendisque hunc in finem ad *Callistum* Romanum Pontificem Legatis, qui illum enixè rogarent, ut ad stabiliendam & firmandam Ecclesiæ pacem, generale Concilium indiceret.

Hanc pacis Legationem incredibili cum gaudio suscepit pacis amans summus Pontifex Callistus secundus, auditosque Oratores ad Imperatorem illicò remisit unà cum Legatis suis, Lamberto scilicet Cardinali Ostiensi Episcopo, & duobus Cardinalibus aliis, qui de pacis conditionibus cum Imperatore convenirent: dumque apud Vvormaciam in Germania conveniunt, hoc ipse Romæ Generale Concilium in Lateranensi S. Joannis Ecclesia celebrandum indixit anno 1122. unde Lateranense primum vulgò dictum Concilium istud; cui interfuit ipse Callistus secundus summus Pontifex cum trecentis & ampliùs, teste Suggerio Abbate Sandionysiano; imò si credamus Pandulpho Callisti secundi vitam describenti, cum nongentisnonaginta septem Patribus, Episcopis, vel Abbatibus. Quo in Concilio, post habitum Vvormaciæ conventum inchoato, anno juxta Gab. Coss. 1123. postque reversos Imperatoris Oratores, & Callisti II. Cardinales Legatos

In quo inita pacis conventa de investitura inter Imperatorem & Papam.

1. Probata fuere & confirmata pacis conventa, sive concordata Vvormaciæ decreta, hoc est receptæ fuere & approbatæ inter Pontificem & Imperatorem ineundæ pacis conditiones, in eo præsertim sitæ, ut Imperator investituras Romanæ restitueret Ecclesiæ, summus Pontifex vicissim Imperatori concederet Regalia per sceptrum tradere, hoc est, ut Imperator liberas Ecclesiæ relinqueret Episcoporum & Abbatum electiones, summus verò Pontifex Imperatori permitteret, ut electis Regalia per sceptrum daret, sacrasque electiones inspiciendi, & saniori parti assentiendi jus haberet: ut sic iis quæ sunt Dei Deo, & quæ Cæsaris Cæsari redditis, firmissima stabiliretur inter Sacerdotium & Imperium concordia. Quæ pacis conditiones finito Concilio fuere utrimque receptæ, & utrimque mutua subscriptione firmatæ, juxta tenorem qui sequitur:

Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem, possessiones & Regalia Beati Petri. Quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem ablata sunt quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum & Principum, & aliorum tam clericorum quàm laicorum, consilio Principum & justitia, quæ habeo ut reddantur, fideliter juvabo; & do veram pacem Domino Papæ Callisto, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt, & in quibus sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo.

Ego Callistus servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abba-

tum

tum Teutonici Regni, quæ ad regnum pertinent in præsentia tua, fieri absque simonia & aliqua violentia; ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure tibi debet faciat: ex aliis verò partibus Imperii consecratus, infra sex menses Regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, secundùm officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Kalendas Octobris. Quibus pacis conditionibus sive conventis, ob multitudinis infinitæ conventum in loco campestri juxta Rhenum lectis, datis & acceptis, Lambertus Card. Ostiensis Episcopus & sedis Apostolicæ Legatus Imperatorem cum exercitu cæterisque schismatis labe pollutis absolvit ab excommunicatione, & in communionem Ecclesiæ recepit, ut constat ex 10. Conciliorum tomo edit. Labb. ubi de conv. Vvorm. & de Later. Conc. I.

2. Hoc in Concilio Lateranensi primo rescidit summus Pontifex Callistus omnia *Burdini* pseudo-Pontificis acta, hoc est omnes ordinationes à *Burdino* Antipapa, ex quo à Romana Ecclesia damnatus est, vel ab Episcopis per ipsum consecratis factas, irritas esse decernit. Et rescissa omnia *Burdini* pseudo-Pontificis acta.

3. Ut Schismaticorum factionibus labefactatam & penè collapsam Ecclesiæ disciplinam restauraret, 22. infrà positos edidit Canones, quorum unus è præcipuis undecimus est, de bello sacro Jerosolymitano vel Hispanico contra infideles Saracenos ineundo.

CANON I.

Per pecuniam in Ecclesia ordinari & promoveri quemquam prohibet, sicque ordinatum vel promotum acquisita privat dignitate. Et Canones editi 22. quorum undecimus est de ineundo in Saracenos bello.

CANON II.

Nullum in Præpositum, vel Archipresbyterum assumi posse decernit, nisi Presbyterum; sicut nec in Archidiaconum, nisi Diaconum.

CANON III.

Presbyteris, Diaconis, vel Subdiaconis concubinarum & uxorum contubernia penitùs interdicit, aliarumque mulierum cohabitationem, præter matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias hujusmodi, de quibus justè non possit oriri suspicio, juxta Nicæni Concilii Canones.

CANON IV.

Rerum Ecclesiasticarum, sive possessionum dispensationem, sive donationem Principibus, aliisque Laicis vetat sub pœna sacrilegii.

CANON V.

Consanguineorum conjunctiones divinis humanisque legibus prohibitas vetat, & infames esse declarat.

CANON VI.

Ordinationes à Burdino Antipapa, ex quo à Romana damnatus est Ecclesia, aliasque ab aliis per ipsum consecratis factas, irritas esse decernit.

C A-

CANON VII.

Ab Archidiaconis, Archipresbyteris, Præpositis, vel Diaconis curam animarum, vel Præbendas conferri vetat, sine judicio vel consensu Episcopi, sub pœna excommunicationis.

CANON VIII.

Ut Romanæ Ecclesiæ possessiones securas reddat & tutas, Beneventanam B. Petri civitatem invadentes anathematizat.

CANON IX.

A suis Episcopis excommunicatos, ab aliis Episcopis vel Abbatibus in communionem recipi vetat.

CANON X.

Episcopum non canonicè electum consecrare vetat, sub pœna depositionis consecrantis & consecrati.

CANON XI.

Christianis, ad pugnandum contra Infideles Jerosolymam pergentibus indulgentias concedit, eorumque familias & bona sub beati Petri & Ecclesiæ Romanæ protectione suscipit, lato in invasores & prædones anathemate: Cruce verò signatos, seu eos qui pro Jerosolymitano vel Hispanico itinere, Crucem sibi in vestibus posuisse noscuntur, & viam dimisisse, Cruces resumere, & viam ab instanti Paschate usque ad proximum sequens perficere jubet sub pœna excommunicationis, eorumque terras interdicto subjicit.

CANON XII.

Vetat, ne porticanorum, id est peregrinorum in porticibus urbis Romanæ residentium, & sine hæredibus morientium bona pervadantur.

CANON XIII.

Decernit, ut si quis treugam sive inducias à privatis bellis auctoritate Ecclesiæ indictas fregerit, & ter monitus satisfacere contempserit; Episcopus vel cum Metropolitani consilio, aut cum duobus, aut cum uno vicinorum Episcopo, in rebellem anathematis sententiam dicat, & per scripturam Episcopis circumquaque denuntiet.

CANON XIV.

Oblationes Ecclesiis factas, à Laicis auferri sub pœna anathematis vetat; Ecclesiasque ab iisdem incastellari, seu usurpari ut sibi proprias, aut in servitutem redigi prohibet.

CANON XV.

Falsæ monetæ cusores tanquam maledictos, & pauperum oppressores ac Reipublicæ perturbatores, à Fidelium consortio removet.

CANON XVI.

Eadem pœna castigat eos, qui Romipetas & Peregrinos Apostolorum limina & aliorum Sanctorum Oratoria visitantes capere vel spoliare, & Mercatores Novistelloniorum seu Pædagiorum exactionibus molestare tentaverint, donec satisfecerint.

CANON XVII.

Interdicit Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias injungere, infirmosque visitare, eis scilicet Sacramenta ut administrent, unctiones facere, & Missas publicas cantare; jubetque ut Chrisma & oleum infirmorum, consecrationes Altarium, ordinationes Clericorum ab Episcopis, in quorum Diœcesibus manent, accipiant.

CANON XVIII.

In parochialibus Ecclesiis Presbyteros ab Episcopis constitui jubet, ipsis de animarum cura responsuros; eos verò, qui decimas & Ecclesias à Laicis absque Episcoporum consensu susceperint, canonicæ subjicit ultioni.

CANON XIX.

Servitium quod Monasteria, aut eorum Ecclesiæ à tempore Gregorii VII. Episcopis hucusque fecere, confirmat; possessiones Ecclesiarum tricennales, Abbates & Monachos habere prohibet.

CANON XX.

Anathematizat eos, qui Ecclesiis, earumque bonis ac personis, scilicet Clericis, Monachis, Conversis, Oratoribusque molestiam intulerint.

CANON XXI.

Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitùs interdicit, contracta dirimit, & contrahentes, juxta Canones, puniendos esse decernit.

CANON XXII.

Alienationes possessionum Ravennatis Exarchatus, & generaliter omnes alias bonorum Ecclesiasticorum, quocumque modo & à quocumque factas damnat & irritat; similiter & ordinationes ab Episcopis sive intrusis, sive canonicè electis absque communi Clericorum Ecclesiæ consensu, sive per simoniam factas, irritas esse declarat. *Id sine dubio, non quoad characterem, sed quoad privilegium, executionem & exercitium Ordinis intelligendum esse, notandum.*

Quæres primò quis fuerit ille *Burdinus*, cujus ordinationes irritas esse decernit Canon sextus. Resp. quis fuerit & cujas, fuisse dubitatum ab auctoribus antiquis; quidam enim eum Hispanum natione fuisse dixere, sed ut notat Stephanus *Baluzius* in notis ad Can. Conc. Later. I. huic sententiæ repugnat Rodericus Archiepiscopus Toletanus, vetustus Hispanicæ historiæ scriptor, qui eum patria Lemovicem fuisse docet, sed in Hispaniam abductum à Bernardo Archiepiscopo Toletano, ibique posteà, ut ajunt alii, suæ industriæ viribus fuisse ad Archiepiscopalem Bracarensis Ecclesiæ sedem evectum. Sanè vir magnus fuit *Burdinus*; adeò ut Lemovices meos pudere non debeat hujus viri, nisi prioris vitæ sanctitatem infelici schismate fœdasset, inquit ibid. idem Baluzius Lemovix.

Quæres quinam fuerint illi porticani, de quibus agit Canon duodecimus? Resp. aliquos esse qui velint, porticanos illos fuisse Portuenses, sive Romani portus incolas; ita ut porticani fuerint dicti à portu, sicut Africani ab Africa, Anglicani ab Anglia, & similes alii. Sed hoc ita esse negant aliqui, ex eo quòd numquam Ostiensis portus incolæ in Pontificum constitu-

stitutionibus aut diplomatibus fuerint porticani vocati, sed semper & invariabili vocabulo, Portuenses ubique dicti: unde rectiùs arbitrantur alii, per Porticanos intelligi peregrinos & advenas illos, qui in Romanæ urbis porticibus recipiebantur & hospitabantur; unde Porticani à porticibus dicti: erant enim Romæ ante Barbarorum vastationes & incendia, ingentes porticus, in quibus peregrini recipiebantur & advenæ, teste Sigonio in hist. Italiæ; & illorum peregrinorum his in porticibus degentium, ab inrestato & sine hæredibus morientium bona sibi Urbis præfectus vindicabat, Callisti II. temporibus; quam pravam consuetudinem sive abusum abolere contendit hoc Canone summus ille Pontifex.

ARTICULUS XI.

De Concilio Lateranensi II. anno 1139.

Sub Innocentio II. Rom. Pontifice, contra schisma Petri-Leonis Antipapæ, hæreticosque Petrobusianos & Arnaldistas, & pro restauranda collapsa Ecclesiæ disciplina.

Brevis & historica secundi Lateranensis Concilii summa.

UT hujus Concilii causa præcipua pateat & occasio, ex historia Ecclesiastica breviter prænotandum est, *Honorio II.* Romano Pontifice *Callisti II.* successore è vivis rapto, majorem Cardinalium partem Gregorium, sancti Angeli Cardinalem Diaconum, in summum Pontificem elegisse, eumque *Innocentium II.* nominasse; reliquos verò Cardinales numero pauciores Petrum Leonis potentissimi civis Romani filium elegisse, & *Anacletum II.* appellasse, qui pseudo-Papa propinquorum innixus viribus, Basilicam sancti Petri, cæterasque Urbis invasit Ecclesias: sicque Innocentius II. canonicè licèt electus, unà cum Cardinalibus ex urbe Romana coactus discedere, in Gallias se contulit, ubi à Christianissimo Rege Ludovico VI. benignè receptus & honorificè, ut verus ac legitimus Christi Vicarius; similiter & à *Lothario* Imperatore, Galliæ Regem imitato, necnon ab Henrico Angliæ Rege, aliisque permultis Principibus, ac regionibus, teste *S. Bernardo* hujus schismatis debellatore, & Innocentii II. defensore strenuissimo, & de illo dicente Epist. 125. *Meritò illum recipit Ecclesia, cujus opinio clarior & electio sanior inventa est, nimirum eligentium numero vincens & merito.* Porrò Innocentius II. ex Gallia in Italiam reversus, Lotharii viribus adjutus Schismaticos repressit, mortuoque tandem Petro pseudo-Papa, illius in locum à Schismaticis suffectus est alter, *Victor*que nomine dictus; qui Pontificalibus depositis vestibus, ad Innocentium II. properavit, eumque ut verum ac legitimum Pontificem agnovit; sicque extinctum schisma, & ex parte reddita est Ecclesiæ pax.

Verùm quia non soli Ecclesiæ pacem turbabant Schismatici, sed etiam Hæretici, *Petrus de Bruis*, illiusque secutus errores *Arnaldus Brixiensis*, asserentes inter alia, Baptisma nihil prodesse parvulis, Templa esse destruenda, confringendas Cruces, & similia impia alia; ideò ad iis omnibus medendum Ecclesiæ malis, convocatum est Concilium istud generale ex universis Christiani orbis partibus, anno 1138. Romæque celebratum in Lateranensi Basilica; unde Lateranense II. anno 1139. ab ipso Innocentio

tio II. per seipsum Præside, & præsentibus mille circiter Patribus; in quo tria ista potissimùm gesta. 1. Rescissa fuere & irritata omnia Petri-Leonis pseudo-Pontificis acta. 2. Damnati cum suis hæresibus Petrus de Bruis, Arnaldusque Brixiensis cum sequacibus. 3. Denique pro restauranda diuturno schismate collapsa Ecclesiæ disciplina, triginta Canones editi vel saltem octo suprà viginti, pro Ecclesiæ disciplina; alii duo, vigesimus tertius scilicet & trigesimus contra Hæreticos vel schismaticos, qui ferè idem sunt, ac Canones Concilii Rhemensis, cui præfuit & ipse *Innocentius II.* & in quo pseudo-Papa Anacletus II. unà cum fautoribus Schismaticis excommunicatus est anno 1133.

CANON I.

Simoniacè ordinatum Clericum ab officio deponendum esse decernit.

In quo Canones editi fuere 30. scilicet pro restauranda Ecclesiæ disciplina 28.

CANON II.

Rerum sacrarum, Sacramentorum vel dignitatum emptores, venditores, ipsosque interventores execratur, malè partis honoribus privat, infamiæ nota percellendos esse declarat; & nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis, antè vel pòst quid exigi vel dari debere declarat, quia simoniacum est.

CANON III.

A suis excommunicatos Episcopis, ab aliis recipi prohibet sub pœna excommunicationis.

CANON IV.

Clericos vestium superfluitate, scissura, colore, vel in tonsura, aut forma intuentium aspectum offendentes, si moniti ab Episcopis emendari noluerint, Beneficiis Ecclesiasticis privandos esse declarat.

CANON V.

Quod in Concilio Chalcedonensi, Canone 22. constitutum est, irrefragabiliter observari præcipit; ut videlicet decedentium Episcoporum bona à nullo omninò hominum diripiantur, sed ad opus Ecclesiæ & successoris sui in libera œconomi, & Clericorum permaneat potestate.

CANON VI.

Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros uxores ducentes, vel concubinas habentes Ecclesiastico privat Beneficio.

CANON VII.

Gregorii VII. Urbani II. & Paschalis II. renovans decretum, præcipit, ne ullus eorum Missas audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit.

CANON VIII.

Id ipsum quoque de Sanctimonialibus fœminis, si, quod absit, nubere attentaverint, observari decernit.

CANON IX.

Monachis & Canonicis regularibus professis, jus civile seu leges & medicinam, temporalis lucri gratia, addiscere, exercere, & Patronum agere vetat; & Episcopos, Abbates vel Priores id permittentes, honoribus spoliari, & ab Ecclesiæ limitibus arceri jubet.

C A-

CANON X.

Decimas Ecclesiarum à sæcularibus Laicis possideri vetat.

CANON XI.

Præcipit, ut Presbyteri, Clerici, Monachi, peregrini, mercatores, & rustici euntes & redeuntes, & in agricultura persistentes, & animalia cum quibus aratur, & semina portantur ad agrum, ac oves omni tempore securi sint.

CANON XII.

Treugam, sive inducias à privatis bellis, certis diebus inviolabiliter observari jubet, sub pœna anathematis.

CANON XIII.

Usurarios infames haberi jubet; & nisi resipuerint, Christiana privat sepultura.

CANON XIV.

Detestabiles illas nundinas, vel ferias prohibet, in quibus milites ex condicto convenire solebant, & ad virium ostentationem congredi, unde hominum mortes sæpè, & animarum pericula contingebant; jubetque hoc in congressu mortuis gladiatoribus pœnitentiam & Viaticum poscentibus non negare, sed Christianam sepulturam.

CANON XV.

Ait, quòd si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumar absolvere, nisi mortis urgente periculo; donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. Prohibet etiam sub eadem pœna, in eos manum mittere, qui ad Ecclesiam vel Cœmeterium confugiunt.

CANON XVI.

Quoniam honores Ecclesiastici, sanguinis non sunt sed meriti, & Ecclesia Dei non hæreditario jure aliquem, neque secundùm carnem successorem expectat, sed ad sua regimina & officiorum suorum dispensationes honestas, sapientes & religiosas personas exposcit; ideò prohibet Ecclesiastica Beneficia hæreditario jure possideri: quòd si quis ea sic obtinere tentaverit, eum debita plecti pœna, & postulatis carere jubet.

CANON. XVII.

Incestas consanguineorum conjunctiones in usum versas, quas sanctorum Patrum instituta, & sacro-sancta Dei detestatur Ecclesia, fieri prohibet.

CANON XVIII.

Incendiarios, eisque consilio, præcepto vel auxilio faventes excommunicar, Christiana sepulrura privat, nec absolvendos esse decernit, nisi pro facultatibus resarciro damno, & injuncto in pœnitentiam onere permanendi in servitio Dei, seu in bello sacro Jerosolymis, aut in Hispania per annum integrum.

CANON XIX.

Archiepiscopum vel Episcopum hoc relaxantem damnum, restituere, & per annum ab officio Episcopali jubet abstinere.

C A-

CANON XX.

De hoc tamen, aliisve criminibus facultatem jus dicendi, consultis Archiepiscopis & Episcopis, non negat Regibus & Principibus.

CANON XXI.

Presbyterorum filios ab Altaris ministerio removet, nisi Cœnobiticam vel Canonicam fuerint professi vitam.

CANON XXII.

Sacerdotes monet, ut circa falsas Laicorum pœnitentias invigilent; quæve sit falsa pœnitentia, notat.

CANON XXIII.

Illos, eorumque fautores, qui Religiositatis speciem simulantes, Eucharistiæ Sacramentum, Baptisma parvulorum, Sacerdotium, aliosque Ordines, & Matrimonium damnant, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei repellit & damnat.

CANON XXIV.

Pro Chrismate, Oleo sacro, Christianaque sepultura pretium exigi vetat.

CANON XXV.

Beneficium Ecclesiasticum de manu Laici accipi vetat; & si quis acceperit, indignè suscepto eum privari jubet, quia juxta SS. Patrum decreta, Laici quamvis Religiosi sint, nullam tamen disponendi de Ecclesiasticis facultatibus potestatem habent.

CANON XXVI.

Sub habitu Sanctimonialium, fœminas aliquas nec S. Basilii, nec S. Benedicti, nec S. Augustini regulam servantes, in privatis domibus habitare, & viros hospitio recipere solitas arguit; & ne id ulteriùs fiat, sub pœna anathematis vetat.

CANON XXVII.

Sanctimonialibus prohibet, ne simul cum Canonicis vel Monachis in unum Chorum conveniant ad psallendum.

CANON XXVIII.

Defunctis Episcopis, Ecclesias ultra tres menses vacare prohibet; vetatque ne Cathedralis Ecclesiæ vacantis Canonici ab electione viros Religiosos excludant, alioquin irrita maneat electio.

CANON XXIX.

Mortiferam, Deoque odibilem Ballistariorum & Sagittariorum artem adversùs Christianos exerceri sub anathemate prohibet.

Penultimus est cōtra Ballistarios, & ultimus ad rescindenda Petri-Leonis pseudo-Pontificis acta.

CANON XXX.

Ordinationes à Petro-Leone Antipapa, cæterisque Schismaticis factas, irritas esse declarat.

Notandum.

Ex his omnibus patere, eò solùm tendisse hoc in Concilio summum Pontificem *Innocentium II.* ut Petri-Leonis Antipapæ, aliorumque Schismaticorum acta rescinderet, hæreticos Petrobusianos damnaret, & pro restauranda collapsa Ecclesiæ disciplina Canones ederet; quorum unus è præcipuis est decimus quintus, quo cùm per id tempus debitus Sacerdotibus & Clericis non redderetur honor, sententiam excommunicationis tulit summus Pontifex in eos, qui suadente diabolo violentas manus in Clericos injecerint. *Vide editionis Labb. 10. Conciliorum tomum.*

Circa 25. Canonem notandum, quòd licèt Laici habeant jus præsentandi interdum ut Patroni, non tamen conferendi Beneficium institutione canonica; & ratio est, quia cùm Beneficia spiritualia annexa habeant ministeria, non possunt nisi à spirituali potestate conferri, maximè ea quæ annexam habent animarum curam, vel Sacramentorum administrationem, vel divini verbi prædicationem, ut Episcopatus, Abbatiæ, Decanatus, Præpositur æ, Archidiaconatus, Pœnitentiariique vel Theologalis dignitas; possunt tamen Laici, ex Ecclesiæ concessione, jus conferendi Beneficia consequi.

ARTICULUS XII.

De Concilio Lateranensi III. anno 1179.

Sub Alexandro III. Rom. Pont. pro reformanda Ecclesiæ disciplina, præsertim circa electionem summi Pontificis, damnandisque Catharorum, Valdensium, & Albigensium hæresibus.

Brevis & historica Concilii Lateranensis tertii summa.

ADriano IV. Romano Pontifice morte rapto, & congregatis de more pro successoris electione Cardinalibus, duo fiere summi Pontifices electi, *Rolandus* videlicet Senensis, dictusque *Alexander III.* & Cardinalis *Octavianus* Romanus, *Victor IV.* appellatus. *Alexander III.* à viginti & uno, *Victor IV.* à tribus dumtaxat Cardinalibus est electus. Uterque à suis proclamatur & agnoscitur ut summus Pontifex; & ex hac Cardinalium discordia grande subortum est schisma, quo diù vexata gemuit Ecclesia: nam etsi *Alexander III.* verus ac legitimus summus Pontifex esset, & pro vero ac legitimo haberetur à majori, nedum Italorum sed & Christianorum parte, *Octavianus Victoris IV.* sibi assumpto nomine, quamvis non legitimus sed intrusus & pseudo-Pontifex, ut verus tamen & canonicus agnoscebatur ab altera. Stabat pro Octaviano Fridericus Imperator; pro Alexandro III. econtrà stabant Galli, Hispani, Britanni, & Christiani ferè cæteri cum suis Regibus populi. Pro suo Papa vel Antipapa contenditur & disceptatur utrimque.

Hæc inter dissidia, *Fridericus* Imperator ut suo intruso faveret Octaviano, sibique invisum Alexandrum excluderet, Ecclesiasticæ pacis conciliandæ prætextu, Concilium Papiæ celebrandum indixit, ad quod totius Imperii, aliorumque Regnorum Episcopos & Abbates convocavit, ipsumque Alexandrum; ut utriusque partis discussa causa, de vero ac legitimo Pon-

Pontifice constaret. Alexander verò acceptis hujusmodi convocatoriis Friderici literis, inito cum fratribus consilio, generosè respondit inter alia, se Imperatorem venerari ut advocatum & specialem S. R. E. defensorem, sed Imperatorem suos extra fines excurrere, dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium convocandi sibi potestatem arrogat; dumque ipsum quoque Pontificem ad præsentiam suam, sicut homo super illum potestatem habens, præcipit convenire: additque se potiùs extrema passurum, quàm ad Concilium ab Imperatore convocatum accessurum, ut ejus sententiam subeat, sicque Ecclesiæ libertatem opprimi sinat. Hæc constant ex actis Alexandri III. ex Vaticano codice à Baronio sæpè laudatis. Celebratur nihilominus indictum ab Imperatore *Papiense* Conciliabulum anno 1160. cui interfuere 44. vel juxta Rodericum 50. Archiepiscopi vel Episcopi; & in quo, *Alexandro III.* reprobato, probata est & confirmata Antipapæ *Victoris* electio; meliùs dixerim, intrusio. His ita hoc in Papiensi Conciliabulo gestis, & in altero apud Laudam anno 1161. cura Friderici confirmatis:

Alexander III. anno Christi 1162. in Galliam, solitum summorum Pontificum asylum, confugit; quò cùm pervenit, statim apud Montem Pessulanum aliquot Gallicanæ Ecclesiæ convocatis Archiepiscopis & Episcopis, Concilium habuit, in quo Victorem Antipapam, & ejus complices excommunicavit, ut constat ex ipsius Alexandri ad Omnibonum Veronensem Episcopum epistola. Parisios inde profectus, Concilium anno sequenti, hoc est, anno 1163. *Turonis* celebrandum indixit; & reipsa 12. Kalendas Julii cœptum est *Turonense* Concilium in Ecclesia S. Mauritii, præside ipso Alexandro, præsentibus septemdecim Cardinalibus, Episcopis centum viginti quatuor, & Abbatibus quadringentis & quatuordecim, ad dexteram summi Pontificis sedente S. Thoma Cantuariensi Archipræsule, & ejusdem summi Pontificis jussu sermonem ad Concilii Patres habente Arnulpho Ecclesiæ Lexoviensis Episcopo. Quo in Concilio, in præfatis Alexandri III. actis memorato, damnata sunt Conciliabuli Papiensis acta, Victor Antipapa cum suis fautoribus excommunicatus, & decem editi Canones, quorum nonus ordinationes Victoris Antipapæ aliorumve schismaticorum irritas esse declarat.

Inde Romam rediit *Alexander*: moriturque interim Victor Antipapa, nec tamen extinguitur schisma. Victoris in locum eligitur à schismaticis *Guido* Cremensis, qui *Paschalis III.* sumpto nomine, Friderici fultus armis & auxilio schisma fovet. Isto pariter Paschali pseudo-Pontifice morte rapto, illi statim subrogatur ab iisdem tertius Antipapa, scilicet *Joannes* Strumensis Abbas, qui *Callisti III.* nomen usurpat. Sed iste tandem paulò pòst cum Imperatore Friderico se *Alexandro III.* lubenter subdidit, eumque ut verum ac legitimum Pontificem agnovit: Imperator enim Fridericus tandem bello victus & profligatus, paulatim resipuit, & ejurato schismate, cum sibi adhærentibus Episcopis ac Principibus ad unitatem Ecclesiæ rediit, & Venetiis inita pace, ad *Alexandri* pedes provolutus arma deposuit & odia, ut Alexandri III. suprà laudata referunt acta, nec non Vvillelmus Tyrius lib. 18. de bello sacro. Sicque pacato bello & extincto schismate,

Concilium istud Generale Romæ celebrandum indixit *Alexander III.* anno Christi 1179. idque triplici de causa, 1. ad damnandos schismaticos. 2. Ad damnandas tunc in Occitania & Aquitania grassantes Catharorum,

Vvaldensium & Albigensium hæreses. 3. Ad restituendam abusibus collapsam Ecclesiæ disciplinam. Ad illud ergo sic convocatum, cui præfuit Alexander ipse, Episcopi venere trecenti, Vvillelmo Tyrio ex illis uno testante lib. 21. de bello sacro cap. 25. cœptum celebrari die 5. Martii ejusdem anni Romæ in Lateranensi Basilica; unde Lateranense œcumenicum tertium vulgò dictum; & in quo,

In quo statutum est, ne ullus deinceps habeatur pro summo Pontifice, nisi electus à duabus tertiis Cardinalium partibus.

1. Ad futura deinceps vitanda schismata summorum Pontificum, & electionis occasione statuit summus Pontifex *Alexander*, ut nullus haberetur summus Pontifex Romanus, qui non esset à duabus tertiis Cardinalium partibus electus, resciditque ordinationes omnes à schismaticis pseudo-Pontificibus *Octaviano*, *Guidone* & *Joanne*, vel ab aliis per eos ordinatis effectas.

2. Anathematizavit hæreticos omnes, illosque qui cum illis communicassent, vel auxilium eis quocumque modo præbuissent, imò illos armis comprimendos esse decrevit.

3. Quia tunc vigebat in Ecclesiis & Monasteriis simonia, in Clericis fastus & avaritia, in Laicis usura, in beneficiorum collationibus injustitia; ideò ad restaurandam corruptam his abusibus Ecclesiæ disciplinam, varia constituit alia Canonibus 27. hic sequentibus expressa.

CANON I.

Statuit, ne deinceps ullus in summum Pontificem legitimè censeatur electus, nisi à duabus tertiis Cardinalium partibus fuerit electus.

CANON II.

Ordinationes omnes à Schismaticis pseudo-Pontificibus Octaviano, Guidone & Joanne habitas rescindit, & irritas esse decernit.

CANON III.

Prohibet, ne ullus promoveatur in Episcopatum, vel ad aliquem Ordinis gradum, nisi legitimæ sit ætatis, & de legitimo susceptus matrimonio; seu ne quis minor 30. annis eligatur in Episcopum, aut minor 25. in Parochum, Archidiaconum, aut in aliam dignitatem, curam animarum annexam habentem.

CANON IV.

Statuit, ne Prælati suos subditos gravent in visitationibus, nimio hominum equorumque comitatu.

CANON V.

Nullum sine titulo, in Diaconum vel Presbyterum ordinari decernit; quòd si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, ordinaverit Episcopus, obligat illum ad ei invenienda necessaria, donec ei in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis assignet; nisi fortè talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.

CANON VI.

Agit de appellationibus, vetatque Monachis, Religiosisque cæteris appellare à sui Prælati correctione.

C A-

CANON VII.

Vetat, ne quid exigatur pro Episcoporum, Abbatum, aliarumque personarum benedictione; sicut nec pro sepulturis exequiisque defunctorum, aut nubentium benedictionibus.

CANON VIII.

Prohibet, ne ulla conferantur vel promittantur Ecclesiastica Beneficia; antequam vacent; ne desiderare quis mortem proximi videatur.

CANON IX.

Prohibet, ne viri Religiosi, vel quilibet alii, Ecclesias vel decimas de Laicorum manu suscipiant sine Episcoporum auctoritate; & ne, nisi semel in anno, Templarii sive Hospitalarii S. Joannis Ecclesias sub interdicto positas aperiant, neve tunc corpora ibi sepelire præsumant.

CANON X.

Monachos aut Religiosos in Monasterio pretio recipi vetat, eisque peculium habere prohibet.

CANON XI.

Jubet, ut Clerici intra sacros Ordines constituti continenter vivant; & si in illa nefanda incontinentia, quæ contra naturam fit, deprehensi fuerint laborare, excommunicentur; & à Clero ejiciantur si Clerici, vel ad pœnitentiam in Monasteria detrudantur.

CANON XII.

Vetat Clericis, ne coram sæculari Judice causas agant, nisi proprias vel Ecclesiæ suæ causas defendant; neve litium procurationes suscipiant, nisi pro miserabilibus fortè personis, & ex charitate; quia hoc est contra doctrinam Apostoli dicentis, Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.

CANON XIII.

Plura ab uno & eodem Ecclesiastica possideri Beneficia prohibet.

CANON XIV.

Ne Clerici à Laicis Ecclesias accipiant absque proprii auctoritate Episcopi, vetat sub pœna excommunicationis; & sub eadem pœna mulctat Laicos, qui personas Ecclesiasticas in suo judicio seu tribunali stare compellunt; eosdem laicos sepultura privat Ecclesiastica, qui decimas in alios laicos transferre præsumunt,

CANON XV.

Ecclesiastica bona à Beneficiariis acquisita, eorum post mortem ad hæredes transire vetat, & penes Ecclesiam remanere jubet.

CANON XVI.

Præcipit, ut in electionibus vel Ecclesiasticis ordinationibus consequatur effectum, quod à majori & saniori Concilii parte fuerit constitutum.

CANON XVII.

Statuit, ut dum plures se ejusdem Ecclesiæ fundatores dicunt, & il-

lius Rectores esse volunt, ille præficiatur, qui majoribus juvatur meritis; & plurimorum eligitur ac probatur assensu.

CANON XVIII.

Præcipit, ut unaquæque Cathedralis Ecclesia Magistrum habeat, qui pauperes scholares, & alios doceat; & pro licentia docendi pretium exigi vetat.

CANON XIX.

Onera super Ecclesias, vel Clericos imponere vetat sæculi potestatibus, sub pœna anathematis.

CANON XX.

Torneamenta exercere prohibet, & in torneamentis mortuos Ecclesiastica privat sepultura; quod idem sanxerat Canon 14. Concilii II. Lateranensis.

CANON XXI.

Præcipit, ut statutæ fideliter atque religiosè serventur treugæ.

CANON XXII.

Ne novæ statuantur exactiones, aut statutæ augeantur sine Regum aut Principum auctoritate, vetat sub pœna excommunicationis.

CANON XXIII.

Statuit ut leprosi, si excludantur ab hominum cohabitatione, Oratorium habeant proprium, propriumque Sacerdotem ac cœmeterium, eorumque hortos ac pecuaria ab obligatione decimarum eximit.

CANON XXIV.

Illos anathematizat Christianos, qui arma, ferrum, ligna, aut quid simile Saracenis in Christianos pugnantibus ministrant, sicut & eos qui naufragantium invadunt bona.

CANON XXV.

Manifestos usurarios communione & Ecclesiastica sepultura privari jubet.

CANON XXVI.

Judæis vel Saracenis servire prohibet Christianis; si tamen ad Christi fidem conversi fuerint, eos à suis possessionibus excludi vetat.

CANON XXVII.

Albigenses hæreticos, eorumque fautores anathematizat, & sacri belli expeditionem ad eosdem reprimendos indicit.

Fuit insuper hoc in Concilio à quibusdam accusatio delata ad Alexandrum Papam, adversus scriptum Petri Lombardi Parisiensis Episcopi, quòd in eo malè sensisset de Christi humanitate. Circa quod nihil aliud tunc decisum ab Alexandro III. sed solùm scriptum ad Vvillelmum Senonensem Archiepiscopum his verbis:

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Vvillelmo Senonensi Archiepiscopo salutem. Cùm in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisiis tibi adscitis abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, quòd Chri-

Christus secundùm quòd est homo, non est aliquid, omninò intenderes & efficacem operam adhiberes: inde siquidem est quòd fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quòd tibi cùm præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & unà cum illis & aliis viris Religiosis & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & à Magistris scholaribus ibidem in Theologia studentibus, Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore consistentem præcipias edoceri; universis firmiter & strictè injungens, quòd doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.

Quod Alexandri præceptum à Vuillelmo Senonensi executioni mandatum fuisse constat, cùm dicat Matthæus Parif. in hist. Anglic. hanc Lombardi propositionem jussu Alexandri summi Pontificis fuisse damnatam in Parisiensi Concilio quodam, idque post Petri Lombardi obitum annis novemdecim. Vide 10. tom. Conciliorum edit. collect. Labb.

ARTICULUS XIII.

De Concilio Lateranensi IV. anno 1215.

Sub Innocentio III. Rom. Pont. pro recuperanda Terra Sancta, restauranda Ecclesiæ disciplina, damnandisque præsertim Albigensium & Almarici Doctoris hæresibus, & Joachimi Abbatis erroribus.

Brevis & historica Concilii Lateranensis quarti summa.

POst *Cœlestini III.* summi Pontificis obitum, successor ejus *Innocentius III.* vir doctrina & moribus insignis, Terræ Sanctæ è Saracenorum manibus eripiendæ, & universalis Ecclesiæ reformandæ zelo fervens; eo ipso quo ad supremum evectus est Pontificatum, ei in spem venit fore ut sui voti compos fieret illis præsertim temporibus, cùm Latini Principes nonnulli expugnata Constantinopoli Græciam sibi subjugassent, & *Balduinus* Flandriæ Comes, Constantinopolitanus Imperator esset electus: ideò ad hæc omni adhibita cura, variisque ad varios expeditis literis atque Legatis, Sanctorum Patrum vestigia secutus, hoc generale & Patrum numero maximum Concilium indixit, Romæ celebrandum anno 1215. in quo simul damnarentur tunc grassantes Albigensium & *Almarici* Lutetiæ Parisiorum impietatis Doctoris hæreses, & *Joachimi* Abbatis errores, depravati corrigerentur fidelium mores, & ad sacram expeditionem pro Terra Sancta Principes adducerentur Christiani. Scripserat biennio antè literas Patriarchis omnibus & Episcopis, quibus eos ad Concilium vocaret. Scripsit Imperatori, scripsit & Regibus, ut & ipsi quoque suos Oratores ad Concilium destinarent.

Cogitur itaque Romæ in Lateranensi S. Salvatoris Ecclesia Concilium, Patrum numero magnum, anno salutis 1215. ad quod, teste Abbate Urspergensi illius temporis viro, venere ex universi Christiani mundi partibus vocati Patres 1285. videlicet summus ipse Pontifex *Innocentius III.* ut Præses, anno sui Pontificatus 18. duo Patriarchæ, Constantinopolitanus nimirùm & Jerosolymitanus, 70. Archiepiscopi, 400. Episcopi, & 12. Abbates, 800. Priores, Decani vel Præpositi conventuales, cum utriusque Imperii Orientalis & Occidentalis Regumque Jerosolymorum, Franciæ,

Hispaniæ, Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, Siciliæ, Cypri, aliorumque Principum, Magnatum & civitatum Legatis; Antiochenus verò Patriarcha gravi languore detentus non venit, sed pro se Anthedonensem Episcopum misit; sicut & Alexandrinus, qui sub Saracenorum dominio gemens, Germanum Diaconum, qui suas vices ageret, deputavit.

His omnibus simul congregatis, Concilium aperuit summus ipse Pontifex *Innocentius III.* eleganti sermone, pio simul & egregio, sumptis pro themate his Christi verbis apud Luc. cap. 22. dicentis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*; quibus testatur se ex corde, desiderio desiderasse hoc antequam pateretur, solemne Concilium celebrare; ut per illud, Pascha sive phase triplex celebraret, videlicet Pascha corporale, spirituale & æternum. *Corporale*, quo fieret transitus de loco in locum pro miserabili Jerusalem liberanda; *Spirituale*, quo fieret transitus de statu ad statum, pro universali reformanda Ecclesia; & *æternum*, quo fieret transitus de vita in vitam, pro cœlesti consequenda gloria. Quo in Concilio sic ritè inchoato, die 11. Novembris S. Martino sacra, & die 30. ejusdem mensis S. Andreæ Apostolo dicata feliciter concluso,

In quo damnatæ sunt Albigensium hæreses, damnatus Joachimi Abbatis libellus contra Lombardum, & damnati Almarici Doctoris errores.

1. Contra varios Hæreticorum errores explicata est Catholicæ Ecclesiæ fides, damnatæ sunt Albigensium hæreses, damnatus & Abbatis Joachimi de unitate seu essentia Trinitatis Libellus contra Petrum Lombardum, sed non ejus damnata persona, quia non obstinata, sed Ecclesiæ Catholicæ submissa: damnata quoque sunt perversa impii Almarici Carnotensis dogmata, viri nedum hæretici, sed ita insanientis, ut infernum & paradisum negaret; nec aliter Corpus Christi esse in pane altaris, quàm in alio quocumque; Deumque sic in Ovidio, sicut in Augustino locutum assereret; aliaque similis impietatis non pauca: quique hoc in Concilio ea de re præsertim convocato, nedum anathemate perculsus Romæ, sed etiam Lutetiæ Parisiorum, Regio Philippi jussu, illius effossa & tradita flammis ossa.

2. Decreta est posteà ad Terram Sanctam expeditio sacra, variis privilegiis & indulgentiis ad eam properantibus benignè concessis.

3. Varia tandem pro restauranda Ecclesiæ disciplina constituta decreta, sequentibus Canonibus distincta. Sunt autem hi Canones computato capite *Firmiter* de summa Trinitate, quod est de fide Catholica, numero 70.

Et editi Canones 70. pro restauranda disciplina ferè omnes, duobus vel tribus prioribus exceptis.

CANON I.

Qui inseritur in 1. Decretalium libro cap. Firmiter credimus de summa Trinitate, *contra varios Hæreticorum errores, fidem explicat Catholicam, dicens*: Unus est Deus individuus in essentia, & discretus in personis, Creator omnium, &c. Is ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, corporalem & spiritualem; Angelicam scilicet & mundanam; deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam, &c.

CANON II.

In eodem Decretalium libro positus, cap. Damnamus, damnat libellum sive tractatum Abbatis Joachimi contra Petrum Lombardum, de unitate sive essentia SS. Trinitatis; damnat pariter perversa impii insanique Almarici dogmata.

C A-

CANON III.

Excommunicat omnes alios cujuscumque nominis hæreticos, extollentes se adversus hanc sanctam Orthodoxam & Catholicam fidem suprà expositam, eosque post damnationem, sæcularibus potestatibus puniendos relinqui, eorumque bona confiscari decernit: Hæreticorum exterminio invigilantibus privilegia concedit: Dominos temporales hæresim sua in ditione patientes punit; Episcopos ad eam expurgandam negligentes deponit; excommunicatque eos, qui sine Episcopi licentia prædicant.

CANON IV.

Græcos illos, qui Latinorum Sacerdotes ita execrabantur, ut in eorum Altaribus nisi priùs lotis sacrificium offerre nollent, & baptizatos ab iisdem Latinis rebaptizarent, excommunicat, & ab officio deponit, si id in posterum attentaverint.

CANON V.

De sedium Patriarchalium ordine agens, jubet ut post Romanam sedem, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, & Jerosolymitana quartum obtineat locum.

CANON VI.

Præcipit, ut singulis annis provincialia celebrentur Concilia à Metropolitanis.

CANON VII.

Jubet, ut Ecclesiæ Prælati in corrigendis subditorum, maximè Clericorum, excessibus invigilent; ut post monitionem Episcopi, per Capitulum corrigi consueti, Cathedralis Ecclesiæ corrigantur Canonici; alioquin eos corrigat Episcopus.

CANON VIII.

Contra delinquentes, triplici modo procedi posse declarat, per accusationem, denuntiationem & inquisitionem; ita tamen ut accusationem legitima præcedat inscriptio, denuntiationem charitativa admonitio, & inquisitionem clamosa præveniat insinuatio, sive infamia publica, &c.

CANON IX.

Est de diversis ritibus in eadem fide per Episcopum tolerandis.

CANON X.

Generaliter sancit, ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium assumant, potentes opere & sermone; qui plebes sibi commissas, vice ipsorum cùm per se id ipsi non potuerint, solicitè visitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipsi cùm indiguerint, congruè necessaria ministrent: quos habebunt Episcopi Coadjutores & Cooperatores, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad animarum salutem pertinent.

CANON XI.

Statuit, ut præter Magistrum in qualibet Cathedrali Ecclesia instituendum, aliis etiam Ecclesiis idoneus constituatur Magister, qui Clericos

ricos gratis in Grammatica doceat, & alius in Metropolitana, qui Sacerdotes & alios in sacra pagina, cæterisque ad curam animarum spectantibus erudiat.

CANON XII.

Statuit, ut singulis provinciis, sive regnis communia celebrentur de triennio in triennium Monachorum Capitula; in quibus diligens habeatur tractatus de reformatione & observantia regulari.

CANON XIII.

Novos religiosos Ordines institui vetat, & Abbatem unum pluribus præesse monasteriis prohibet.

CANON XIV.

Clericos incontinentes puniri jubet.

CANON XV.

Clericos à crapula & ebrietate abstinere jubet, & venari prohibet.

CANON XVI.

Statuit, ut Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maximè inhonesta, mimis, jaculatoribus & histrionibus non intendant, & tabernas prorsùs evitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti; ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint; coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in officiis divinis, & aliis bonis exerceant studiis diligenter. Jubet insuper, ut modesta ferant indumenta, ut Pontifices in publico, & in Ecclesia superindumentis lineis utantur, nisi Monachi fuerint, quos habitum deferre Monachalem jubet.

CANON XVII.

Sub pœna suspensionis, Prælatorum comessationes, confabulationes illicitas, negligentiam in divinis officiis, & celebratione Missarum prohibet, distinctèque præcipit in virtute sanctæ Obedientiæ, ut divinum Officium diurnum pariter & nocturnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent & devotè.

CANON XVIII.

Ne Clerici judicio sanguinis intersint prohibet, neque Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos illam Chirurgiæ partem exerceant, quæ ad ustionem vel incisionem inducit.

CANON XIX.

Firmiter prohibet, ne profana in Ecclesiis admittantur supellectilia, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, vel alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium; & præcipit ut Oratoria, vasa, vestimentaque sacra, munda conserventur & nitida.

CANON XX.

Statuit, ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur, ut non possit ad illa temeraria manus extendi; si verò is ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus suspendatur ab officio.

C A-

CANON XXI.

Præcipit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere; suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis ob rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura: monetque, quòd si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote; jubetque confessionis secretum ita inviolabiliter observari, ut Sacerdotem, si violaverit, in arctum monasterium ad perpetuam agendam pœnitentiam detrudendum esse decernat.

CANON XXII.

Præcipit Medicis ad infirmos vocatis, ut cùm infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, ante omnia curent advocare Medicos animarum, ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur: alioqui ab Ecclesiæ ingressu eos arceri jubet; cùmque anima sit multò præstantior corpore, vetat eisdem sub pœna anathematis, ne quid pro corporis salute suadeant ægroto, quod in periculum animæ convertatur.

CANON XXIII.

Ne pro defectu pastoris, gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata, grave dispendium patiatur..... Statuit ut ultra tres menses, Cathedralis vel regularis Ecclesia Prælato non vacet; infra quos, justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, & ipsa eligendi potestas ad eum qui proximè præesse dignoscitur, devolvatur; is verò ad quem devoluta fuerit potestas, non differat ultra tres menses.

CANON XXIV.

Triplicem statuit electionis legitimæ viam, per inspirationem Spiritus Sancti, per scrutinium, & per compromissum: aliter factam non valere declarat; & eum qui contra prædictas formas eligere attentaverit, ea vice eligendi potestate privat.

CANON XXV.

Statuit, ut quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit contra Canonicam libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, & absque dispensatione non possit ad aliquam eligi dignitatem. Qui verò electionem hujusmodi, quam ipso jure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officiis & beneficiis per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati.

CANON XXVI.

Electionem confirmari vetat, nisi priùs confirmator diligenter examinaverit, & electionis processum, & personam electi de vitæ honestate, sufficienti scientia, & ætate legitima; alioqui non solùm dejiciendus est indignè promotus, sed etiam indignè promovens puniendus.

CA-

CANON XXVII.

Cùm sit ars artium regimen animarum, districtè præcipit, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per seipsos, vel per alios viros idoneos, super divinis officiis & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea valeant ritè celebrare ..... Sanius est enim, maximè in Ordine Sacerdotii, paucos bonos, quàm multos malos habere Ministros; quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur.

CANON XXVIII.

Prælatos, qui ad cedendum, sive renuntiandum licentiam postularunt & obtinuerunt, ad cedendum compellendos esse decernit, quia ob Ecclesiæ commodum, vel ob propriam salutem postularunt, quorum neutrum suasionibus aliquorum quærentium quæ sua sunt, est impediendum.

CANON XXIX.

Prohibet, ut nullus plures Ecclesias Parochiales, seu Beneficia plura curam animarum habentia recipiat, nec in eadem plures dignitates, aut personatus, etiamsi curam animarum non habeant: circa tamen sublimes & literatas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam dispensari posse declarat.

CANON XXX.

Præcipit beneficiorum collatoribus Ecclesiæ Prælatis, ut prætermissis indignis, assumant idoneos, qui Deo & Ecclesiæ velint & valeant gratum impendere famulatum.

CANON XXXI.

Ad abolendam pessimam, quæ in plerisque inolevit Ecclesiis corruptelam, firmiter prohibet, ne Canonicorum filii, maximè spurii, Canonici fiant in sæcularibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt patres.

CANON XXXII.

Statuit, ut Parochialibus Presbyteris congrua proventuum assignetur portio, ut Parochus per seipsum Ecclesiæ sibi commissæ deserviat, nisi præbendæ vel dignitati sit annexa Parochialis Ecclesia; prohibetque, ne quis in fraudem de proventibus Parochialis Ecclesiæ, pensionem alteri quasi pro beneficio conferre præsumat.

CANON XXXIII.

Procurationes ratione visitationis debitas, ab Episcopis, Archiepiscopis, aut quibuscumque aliis recipi vetat, nisi cùm fit visitatio; in qua, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærenda sunt, prædicationi, exhortationi, correctioni vacando.

CANON XXXIV.

Vetat, ne Prælati aut procurationem aut servitium aliquod impendant Legato, vel alii plus extorqueant à subditis quàm exsolvant, sicque extorta restitui, & tantumdem pauperibus largiri jubet.

C A-

CANON XXXV.

A legitimo judice ante sententiam latam appellari prohibet, nisi justa de causa ipsi Judici exposita.

CANON XXXVI.

Sententiam interlocutoriam, vel comminatoriam, lite pendente, à Judice revocari posse declarat.

CANON XXXVII.

Statuit, ne quis ultra duas diætas, extra suam diœcesim per literas Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

CANON XXXVIII.

Statuit, ut fideliter omnia judiciorum acta conscribantur, videlicet citationes, dilationes, recusationes & exceptiones, petitiones & responsiones, interrogationes & appellationes, renuntiationes, conclusiones & cætera, designando loca, tempora & personas.

CANON XXXIX.

Statuit, ut si quis rem ab altero injustè oblatam, scienter acceperit; cùm spoliatori quasi succedat in vitium, eò quòd non multùm intersit, quoad periculum animæ præsertim, detinere injustum, & invadere alienum, contra possessorem hujusmodi per restitutionis beneficium succuratur.

CANON XL.

Sancit, ut cùm ob partis adversæ contumaciam adjudicatur Actori possessio, & propter Rei potentiam non potest intra annum Actor rem nancisci custodiendam, vel nactam amittit, Actor anno elapso verus constituatur possessor, ne contumax melioris quàm obediens conditionis existat. Insuper vetat ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum, quia non decet ut Laicus in talibus arbitretur.

CANON XLI.

Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, definit ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quàm Civilis; cùm sit generaliter omni constitutioni derogandum, quæ absque peccato non potest observari: unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

CANON XLII.

Prohibet Clericis, ne prætextu Ecclesiasticæ libertatis, suam jurisdictionem extendant, in præjudicium justitiæ sæcularis.

CANON XLIII.

Sacri auctoritate Concilii prohibet, ne Clerici Laicis personis, à quibus nihil temporale teneant, fidelitatis juramentum præstare cogantur.

CANON XLIV.

Volens Ecclesiarum indemnitati consulere, Feudorum & aliorum bonorum

rum

rum Ecclesiasticorum alienationes, sine legitimo personarum Ecclesiasticarum assensu, occasione constitutionis Laicæ potestatis factas rescindit.

CANON XLV.

Prohibet, ne Patroni, Advocati, Vice-Domini plus usurpent, quàm reperitur in jure permissum; statuitque ut qui Ecclesiæ Rectorem, aliumve Clericum per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefario præsumpserint, Patroni juspatronatus, Advocati advocatiam, Vice-Domini vice-dominatum, Beneficiati Beneficium prorsus amittant; & illi eorumque hæredes ac nepotes ad quartam usque generationem, à Clero arceantur, nec in Regularibus domibus alicujus prælationis consequantur honorem, nisi fuerit cum eis misericorditer dispensatum.

CANON XLVI.

Confirmat Anathema à Concilio tertio Lateranensi latum adversùs Rectores Civitatum, & alios qui Ecclesias, virosque Ecclesiasticos talliis seu collectis, & aliis exactionibus premere nituntur; si tamen necessitas postulet, ut subsidium conferat Ecclesia, id fiat absque coactione ulla, ad levandas utilitates, vel necessitates communes, ubi Laicorum facultates non suppetunt; & priùs consulatur Romanus Pontifex, cujus est communibus utilitatibus providere. Sed hoc in Gallia locum non habet, ubi usus est, etiam à Bonifacio VIII. approbatus, ut Clerus gratuita conferat Regi Christianissimo dona, inconsulto Romano Pontifice.

CANON XLVII.

Prohibet, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam ferat, nisi commonitione præmissa, præsentibus idoneis personis, & manifesta justaque de causa.

CANON XLVIII.

Statuit, ut si quis Judicem velit sibi suspectum recusaverit, coram illo causam recusationis assignet, & cum adversario, vel si adversarium non habeat, cum Judice communiter arbitros eligat, qui de causa recusationis cognoscat; quæ si legitima non probetur, jurisdictione sua Judex utatur: si verò probata fuerit, causam alteri committat de recusatoris assensu, vel ad superioris judicium remittat. Statuit etiam, ut si canonicè monitus appellaverit, & crimen ejus vel ipsius confessione, vel alio modo legitimo fuerit manifestum, nulla appellationis habeatur ratio, quia appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum est.

CANON XLIX.

Sub interminatione divini judicii vetat, ne ullus causa cupiditatis audeat aliquem excommunicationis vinculo innodare, vel innodatum absolvere.

CANON L.

Prohibitionem matrimonii inter consanguineos & affines, ad quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum restringit; quoniam in ulterioribus gradibus non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.

CA-

CANON LI.

Cùm inhibitio copulæ conjugalis sit in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis volens districtè observari; clandestina prohibet matrimonia, prolem ex illis susceptam censeri declarat illegitimam; Parochialem Sacerdotem, qui conjunctiones illas in gradibus prohibitis prohibere contempserit, & Regularem quemlibet qui eis interfuerit, per triennium ab officio suspendit.

CANON LII.

Licèt ex quadam necessitate esset olim institutum, ut in consanguinitatis & affinitatis gradibus probandis, valeret testimonium de auditu, cùm propter brevem hominum vitam testes de visu deponere non valerent, usque ad septimum gradum computando; statuit ne super hoc deinceps recipiantur testes de auditu, cùm jam quartum gradum prohibitio non excedat; nisi personæ graves extiterint, quibus meritò sit adhibenda fides, & ante motam litem testificata didicerint.

CANON LIII.

Statuit, ut prædiorum Domini prædia sua talibus personis excolenda committant, quæ decimas Ecclesiis integrè persolvant, & ad id si necesse fuerit, per censuras compellantur Ecclesiasticas.

CANON LIV.

Cùm non sit in homine, quòd semen serenti respondeat, quoniam juxta Apostolum, Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus: cùmque in signum universalis Dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit, statuit Canon iste, ut exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum; vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint, censuris Ecclesiasticis decimas solvere compellantur, quoniam res cum onere suo transit.

CANON LV.

Decernit, ut Cistercienses aliique Regulares, de alienis terris, & deinceps acquirendis, etiamsi eas propriis manibus ac sumptibus excoluerint, decimas persolvant Ecclesiis, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.

CANON LVI.

Damnat quorumdam Regularium & Sæcularium Clericorum pacta, qui in præjudicium Parochialium Ecclesiarum, domos locabant, vel feuda concedebant ea lege, ut conductores & feudatarii decimas eis solverent, & apud eosdem sepulturam eligerent; statuitque ut quidquid fuerit hujusmodi pacti occasione perceptum, Ecclesiæ Parochiali reddatur.

CANON LVII.

Ut privilegia, quæ Regularibus Romana concessit Ecclesia, permaneant inconvulsa, quædam in eis declarat, ne minùs sanè intellecta pertrahant ad abusum, propter quem meritò possint revocari; quia privilegia meretur amittere, qui permissa abutitur potestate.

CA-

CANON LVIII.

Quod nonnullis est Religiosis indultum, concedit Episcopis, ut divina celebrare possint officia tempore interdicti, sed exclusis excommunicatis & interdictis, januis clausis, suppressa voce, & non pulsatis campanis.

CANON LIX.

Quod quibusdam Religiosis est prohibitum, ad omnes extendens prohibet, ne Viri Religiosi absque Abbatis & majoris partis sui Capituli licentia pro aliquo fide-jubeant, vel pecuniam mutuò accipiant, ultra summam communi providentia constitutam; alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere, nisi fortè in utilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundasse.

CANON LX.

Vetat, ne Abbates ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis manus extendant, de causis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo indulgentias, & similia præsumendo, nisi fortè quis speciali concessione, vel legitima causa valeat se tueri.

CANON LXI.

Duo renovans Lateranensis Concilii tertii Statuta, prohibet 1. Regularibus, ne Ecclesias seu decimas sine consensu Episcoporum, de manu Laicali recipere præsumant; nec excommunicatos, vel nominatim interdictos admittant ad divina. 2. Ne in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, Episcopis instituendos Presbyteros præsentent, ut illis de plebis cura respondeant; ipsis verò de temporalibus rationem reddant, nec institutos removeant inconsultis Episcopis; illos demum præsentent, quos vel conversatio reddit notos, vel commendat probabile testimonium Prælatorum.

CANON LXII.

Cùm ex eo quòd quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, ut eas passim ostendant, Christianæ religioni fit detractum sæpiùs, statuit ut antiquæ Reliquiæ amodò extra capsam non ostendantur, nec exponantur venales; inventas autem de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati verò de cætero non permittant, illos qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, vanis figmentis aut falsis decipi documentis, sicut & in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit; prohibetque ne eleemosynarum quæstores admittantur, nisi Apostolicas, vel Diœcesani Episcopi literas veras exhibeant: ad hæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernit, ut cùm dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in Anniversario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat; ad quem etiam dierum numerum, indulgentias, quæ pro quibuslibet causis conceduntur, jubet restringi; cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hanc in talibus moderationem observare consuevit.

CA-

CANON LXIII.

Prohibet, ne quid quocumque prætextu exigatur pro Episcoporum consecrationibus, Abbatum benedictionibus, aut Clericorum ordinationibus.

CANON LXIV.

Statuit, ne Moniales pretio recipiantur in Sorores; alioqui tam recipiens quàm recepta sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuò pœnitentiam retrudenda, & idem circa Monachos, aliosque Regulares decernit observandum.

CANON LXV.

Exactiones quorumdam Episcoporum reprobat, qui decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subjiciebant, nec patiebantur aliquos in eisdem institui, donec ipsis certa pecuniæ summa persolveretur; & cùm Miles aut Clericus domum Religionis ingrediebatur, vel apud Religiosos sepulturam eligebat, difficultates ingerebant, donec aliquid muneris perciperent.

CANON LXVI.

Quia quidam Clerici, pro exequiis mortuorum, & benedictione nubentium, & similibus pecuniam exigunt & extorquent, ideò pravas exactiones super his fieri prohibet, & pias consuetudines præcipit observari; utque liberè seu gratis conferantur Ecclesiæ Sacramenta; & per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

CANON LXVII.

Statuit, si quocumque prætextu Judæi à Christianis graves & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium, seu communicatio subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint; Christiani quoque, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur ab eorum abstinere commercio.

CANON LXVIII.

Statuit, ut Judæi utriusque sexus à Christianis habitu discernantur, ne per errorem, Christiani mulieribus Judæorum, & Judæi Christianorum mulieribus commisceantur, & in diebus Lamentationum, & Dominicæ Passionis in publicum minimè prodeant; eò quòd nonnulli ex ipsis talibus diebus ornatiùs incedere non erubescant, ac Christianis Dominicæ Passionis memoriam recolentibus illudere non formident.

CANON LXIX.

Strictè prohibet, ne Judæi, vel Pagani publicis præficiantur officiis.

CANON LXX.

Præcipit, ut per Ecclesiarum Prælatos ab observantia veteris ritus compescantur Judæi, ad Christi fidem conversi.

Isto pariter in Concilio jamdiu inchoàtus Constantini Magni & Helenæ temporibus, sed aliquando intermissus, restitutus est & confirmatus ab Innocentio III. multisque privilegiis & favoribus auctus *S. Quiriaci* Jerosolymo- *Et approbati ac confirmati Religiosi Ordines varii.*

lymorum Episcopi & Martyris Crucigerorum Ordo, ut refert Philippus Bergomas Suppl. Chronicorum lib. 13. citatus in Labb. collect. Conc. tom. 11. idque maximè factum asserit, occasione pestiferæ cujusdam Albigensium hæresis, quæ seditionem excitaverat maximam in populo cleroque Romano; quam ut compesceret *Innocentius*, in auctores ejus, cruce signatos armavit multos, per quos debellatis atque prostratis seditiosis illis & hæreticis hostibus, Crucigerorum Ordinem jam sopitum & extinctum instauravit, multisque privilegiis auxit; cuique postea regulam præscripsit, Lugduni dum existeret *Innocentius IV.* summus pariter Pontifex, in qua inter alia Religiosis hujus Ordinis crucem in manibus semper deferre præcepit.

Ut Ordo Crucigerorum sancti Quiriaci.

Ad istud quoque generale Concilium venit cum Fulcone Tolosarum Episcopo *S. Dominicus*, suum ut *Innocentio III.* summo Pontifici conceptum proponeret votum, sive consilium de instituendo Prædicatorum Ordine, ut in ejus vita lib. 1. Theodoricus enarrat cap. ult. Quod cùm audiisset summus Pontifex, & maturè perpendisset, pium propositum laudavit & commendavit; nondum tamen confirmavit, sed B. Dominicum hortatus est, ut ad suos rediret fratres, & communicato cum illis consilio approbatam Regulam seligeret aliquam, sub qua inchoandus militaret Ordo; sicque ad ipsum rediens, Ordinis confirmationem pro voto reportaret: & re ipsa confirmatus sacer ille Prædicatorum Ordo, non ab *Innocentio III.* has inter moras morte rapto; sed ab ejus successore *Honorio III.* sub regula S. Augustini, & constitutionibus nonnullis à B. Dominico præscriptis.

Ordo FF. Prædicatorum sancti Dominici.

Hoc in Concilio denique receptus est, approbatus, & confirmatus Seraphicus *B. Francisci* FF. Minorum Ordo, ab eodem summo Pontifice Innocentio III. ut in eadem Labb. collect. Conc. tom. 11. Vaddingus, Marianus, S. Antoninus testantur & alii. Dum enim Romæ celeberrimum hoc & universale inchoaretur Concilium, venit in Urbem S. Patriarcha de sui instituti rebus acturus; & ad ejus instantiam, ut refert Marianus his verbis, Dominus Papa coram omnibus Ordinem ejus esse approbatum pronuntiare fecit, & Regulam per ipsum priùs sine Bulla approbatam manifestare fecit.

Et Ordo FF. Minorum sancti Francisci.

ARTICULUS XIV.

De Concilio Lugdunensi I. anno 1245.

Sub Innocentio IV. Rom. Pontifice contra Fridericum II. Imperatorem, & pro decernenda in Turcas Cruciatorum expeditione sancta.

Brevis & historica Lugdunensis Concilii summa.

Dum *Fridericus II.* Romanorum Imperator in summos Romanosque Pontifices, de se quantumvis benè meritos, ita sæviret olim sub Gregorio præsertim nono, ut universam bello devastaret Italiam, Romaque obsessa, si quos interdum cives in obsidione caperet, crudeliter trucidaret: cùmque eodem tempore in Italiæ perniciem *Guelphorum* & *Gibellinorum* factiones erupissent, omnes ferè civitates in contrarias partes distraherentur, civesque ipsi quasi furiis quibusdam agitati alii alios in exilium pellerent, fortunisque spoliarent, Fridericusque, cujus erat flammam nascentem oppri-

opprimere, illam potiùs augeret, sibique Gibellinis adjunctis, in Guelphos qui Pontificis defensionem susceperant, arma verteret.

His luctuosis ut occurreret Ecclesiæ malis summus Pontifex Gregorius IX. Imperatorisque furentis nefarios saltem ex parte reprimeret ausus, Generale Concilium Romæ celebrandum indixit, omnesque tum Episcopos, tum alios Concilii Patres Romam venire jussit. At cùm ex his multi tum ex Gallia tum ex Hispania, Genuensium triremibus vecti Romam navigarent, in Friderici classem inciderunt, victisque Genuensibus, capti sunt tam Cardinales quàm Episcopi, & ad ipsum Imperatorem perducti. Quem gravem & infaustum Episcoporum Cardinaliumque casum ita ægrè tulit summus Pontifex Gregorius, ut præ animi dolore, è vita paulò pòst excesserit, decimum quintum dum curreret sui Pontificatus annum. Cui successit Cœlestinus IV. nobilis Mediolanensis & Cardinalis, Ordinisque Cisterciensis quondam Monachus; sed illo post 18. dies à sua electione pariter morte rapto, electus est tandem à Cardinalibus post viginti menses Innocentius IV. vir eruditione præstans & morum integritate.

Is summus Pontifex *Innocentius IV.* eo ipso quo ad supremum evectus est Pontificatum, de pace cum Friderico ineunda cogitavit & egit, missis ad eum Legatis, qui æquissimas ei pacis conditiones proponerent, & postularent ut Patres qui in Navali pugna capti fuerant, sicut sæpè promiserat, liberos dimitteret: sed cùm hæc audire nollet Fridericus, nec superesset alia spes conciliandæ pacis, Innocentius ut hominis temeritatem reprimeret, aliisque Ecclesiæ commodis consuleret, Gregorii IX. propositum secutus & mentem, Concilium generale convocare decrevit. Et quia difficile admodùm erat Romam posse venire Patres, propter bella & seditiones per totam Italiam longè latèque diffusas, ipse Pontifex in Galliam se contulit, Lugdunumque urbem clarissimam habendo Concilio delegit; & re ipsa generale Concilium ad festum S. Joannis Baptistæ Lugduni celebrandum indixit anno Christi 1245. cui præter Cardinales numero multos, interfuere Patriarchæ tres, videlicet Constantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejensis, Episcopi verò 140. nec non *Balduinus* Imperator Constantinopolitanus, Tolosanus Comes, S. Ludovici Galliæ Regis, Henrici III. Anglorum pariter Regis aliorumque Principum Oratores, ipsiusque Imperatoris Friderici procurator Thaddæus Imperialis Cameræ judex. E Palæstina venit solus Berytensis Episcopus, ex Hungaria nullus, & è Germania quia Imperiali bello turbata, pauci. Quibus omnibus ritè congregatis, die Lunæ post S. Joannis Baptistæ festum proxima, in ædibus Monachorum S. Justini, ipso per se ipsum Præside Romano Pontifice *Innocentio IV.* cœptum est hoc generale Concilium Lugdunense primum: ***Quæ habentur omnia ex Matthæo Parisio hist. Angl. vel ex Alberto Stadensi Abb. in Chron. vel ex Tritbemio in Hirsaugiensi Chronico, aut ex Labbæana collect. Concil. tom. 11.***

In Actione I.

Brevi temporis spatio, & actionibus dumtaxat tribus absolutum est hoc primum Lugdunense Concilium. Prima siquidem actio sive sessio habita est quarto Kalendas Julii. 2. Deinde elapsis diebus 8. Et 3. eaque postrema paulò pòst, hoc est 16. Kalendas Augusti. In actione 1. habita est priùs ab *Innocentio IV.* solemnis ad Concilii Patres oratio, in qua

H 2 sumpsit

sumpsit pro themate hæc Jeremiæ verba Thren. cap. 1. vers. 12. dicentis: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus, &c.* Comparavitque quinque sacra Christi vulnera, quinque vulneribus sive doloribus aliis quibus se afflictum exhibuit summus Pontifex, quorum primus erat de Tartarorum in Christianorum terras incursione. Secundus de Græcorum schismate. Tertius de novarum hæresum furore. Quartus de Terræ Sanctæ injusta ab infidelibus possessione. Et quintus de sæviente Friderici Imperatoris in Ecclesiam persecutione, qua se Roma in Gallias fugere compulsum ostendit.

In quo citatus est Fridericus Imperator, nec venit.

2. Ad Concilium citato Friderico & renuente venire, orator ejus vir belli jurisque peritissimus, nomine Thaddæus, ut ei Pontificis & Ecclesiæ gratiam conciliaret, magna pro illo promisit; scilicet ipsum ereptas Ecclesiæ Romanæ ditiones redditurum, pro illatis damnis & injuriis satisfacturum, Græcorum Imperium ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reducturum, Tartaros & Saracenos propriis sumptibus impugnaturum, & profligatas Terræ Sanctæ res splendori pristino restituturum. Sed ejus promissis, qui toties fefellerat, & juratæ pacis capita non impleverat, se stare non posse respondit summus Pontifex, dicens: *Pacem in anima sua juratam secundùm formam præstiti Sacramenti teneat, & acquiesco.* Reges Francorum & Anglorum obsides pro eo obtulit Thaddæus; conditionem respuit Innocentius, tum quia id in mandatis non habebat Thaddæus, tum ne cum duobus potentissimis Principibus committeret Ecclesiam: *Nolumus*, inquit, *quia si pacta commutasset vel penitus infirmasset, oportet nos animadvertere in eosdem, & tunc haberet Ecclesia tres, quibus non sunt in sæculari potentia majores, imò nec pares inimicos.*

In Actione II.

Varia de quibus accusabatur exposita facinora.

Feria 4. sequenti & in altera sessione, varia palam exposuit *Innocentius* Friderici Imperatoris facinora, accusans illum inter alia 1. De perjurio multiplici & juratæ pacis læsione. 2. De vehementi hæresis suspicione, ex contemptu censurarum Ecclesiæ, & inito cum Saracenis fœdere probata. 3. De sacrilegio ob captionem & violentam detentionem Cardinalium aliorumque Præsulum ad Concilium sub Gregorio IX. tendentium. 4. De læsa Pontificia Majestate, ob famosas & petulantes in Gregorium IX. scriptas epistolas, & ob Ecclesiæ ditionum populos in ipsum commotos, & patrimonii S. Petri occupata castra ac oppida, & de aliis: quæ omnia pro viribus diluere conatur Imperatoris Orator Thaddæus, induciasque petit, ut dominum suum certiorem faceret de iis quæ gerebantur in Concilio. Concessæ sunt illi duarum hebdomadum induciæ, & monitus Imperator Pontificem & Patres Concilii execratus est, judicesque recusavit. Quo responso ad Concilium delato, multi qui pro Friderico stabant, ab ejus partibus recessere; & continuata in ipsum accusationum auditio. Videns Thaddæus se sua eloquentia qua plurimùm pollebat, hac in mala causa nihil promovere, appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius; sed illi respondit Pontifex, ut testatur Matthæus Paris. *Satis est Concilium generale multorum, qui domini tui humilitatem inutiliter non sine gravamine expectarunt .... & qui absunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti: unde propter hoc, indignum est ut sententia depositionis in ipsum ferenda retardetur, ne ex malitia sua commodum videatur reportare, cùm non debeat alicui fraus patrocinari.*

In

In Actione III.

Die 16. Kalendas Augusti lata est ab *Innocentio IV.* præsente Concilio, sententia in Fridericum Imperatorem, qua damnavit eum, & è piorum communione dejecit, Imperiique dignitate, & Siciliæ Regno privavit. *Qua sententia per mundum volante*, inquit Albertus Stadensis, *quidam Principes reclamabant dicentes, ad Papam non pertinere Imperatorem vel instituere, vel destituere, sed electum à Principibus coronare*. Unde ex hac sententia multæ sunt ortæ in Ecclesia clades; dum enim vixit Imperator Fridericus, per annos fermè sex prævalere contra eum nec Papa, nec aliquis Principum potuit. Sed non advertens ad sententiam quam injustam & frivolam dicebat, se Imperatorem gessit, magnamque Principum, nobilium & civitatum adhærentiam habuit usque ad mortem. Intravit post depositionem sui Italiam, & tantis malis Papam subjectosque illi populos afflixit, ut Pontificem vivere tæderet, voluissetque numquam depositionem illius cogitavisse; maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, quæ usque in præsentem fermè diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis duravit, inquit *Tritbemius in Hirsaugiensi Cbron.* Ejusque sufficienter discussa finita causa.

2. Præter celebrem Friderici causæ discussionem, renovatum est decretum de sacra in Saracenos Cruciatorum expeditione, pro Terra Sancta recuperanda; cujus sanctæ expeditionis dux designatus est *S. Ludovicus* Galliæ Rex, & varia pro omnibus cruce signatis concessa & statuta privilegia. Et renovatum decretum de ineundo in Saracenos bello.

3. Instituta insuper hoc in Concilio ab *Innocentio IV.* festi Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis octava, ad implendum votum à Cardinalibus emissum eo tempore quo post *Cælestini IV.* Rom. Pontificis obitum vacabat sedes, & plus nimiò retardabatur futuri successoris electio, ob captos violenterque detentos ab Imperatore Friderico Cardinales multos.

4. Cardinalibus pariter hoc in Concilio ab Innocentio IV. dicitur concessa facultas pileo utendi rubro, in signum constantiæ pro fidei defensione ad effusionem usque sanguinis habendæ.

5. Variæ denique constitutiones aliæ dicuntur hoc in Concilio editæ, sive decreta ad judicium spectantia, quæ passim laudari solent in 6. Decretalium libro, sub nomine *Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi*; quorum tituli sunt 17. isti:

1. De rescriptis, 2. de officio Ordinarii, 3. de electione & electi potestate, 4. de officio & potestate judicis delegati, 5. de judiciis, 6. de litis contestatione, 7. de dolo & contumacia, 8. de testibus, 9. de eo qui mittitur in possessionem, 10. de confessis, 11. de appellationibus & recusationibus, 12. de Sententia excommunicationis, 13. de usuris, 14. de subsidio Imperii Constantinopolitani, 15. admonitio Prælatorum ad populum sibi commissum, 16. de Tartaris, 17. super cruciata. Vide tom. 11. Conc. Labb.

Dices. Non videtur credibile hac in 3. & ultima sessione tot edi potuisse decreta. Resp. ea si non in Concilio edita omnia, saltem recitata & probata fuisse omnia, ut colligitur ex *Matthæo Parisio*, dicente: *Cùm autem hæc statuta ad notitiam audientium pervenissent, in conspectu omnium sapientium placuerunt: & in hoc tam favorem quàm gratiam Dominus Papa promeruit*

meruit universorum. Verumtamen quædam eorum ante Concilium, quædam durante Concilio, quædam verò post Concilium sunt statuta.

ARTICULUS XV.

De Concilio Lugdunensi II. anno 1274.

Sub Gregorio X. Rom. Pont. pro ineunda Græcorum cum Latinis unione; mittendo Christianis contra Turcas in Syria pugnantibus subsidio; reformanda morum disciplina, & præscribendo præsertim Romani Pontificis celeriter eligendi modo.

Brevis & historica secundi Lugdunensis Concilii summa.

CUm eo tempore, quo nondum extincti sed renovati grassarentur in orbe Græcorum errores, post obitum *Clementis IV.* per biennium & menses novem, Cardinalium discordia, Romana vacasset Ecclesia; tandem per compromissum, à sex Cardinalibus compromissariis Viterbiensium, & S. Bonaventuræ hortatu, electus est Viterbii *Theobaldus* patria Placentinus, dignitate Leodiensis Archidiaconus, vir morum sanctitate clarus, tunc in sacro contra Saracenos exercitu in Syria degens, qui assumpto Gregorii nomine, dictus est *Gregorius X.* quique statim sentiens sibi commissam universalis Ecclesiæ curam, timens ne latiùs serperent renascentes Græcorum errores, sciens quanto in discrimine res Christianorum essent in Syria; & aliunde cùm corruptos Fidelium mores, & collapsam Ecclesiæ disciplinam cerneret, suorum prædecessorum inhærens vestigiis, hoc generale Lugduni Concilium indixit, anno sui Pontificatus secundo; in quo

Ageretur 1. de Græcis ad Romanæ Ecclesiæ fidem, communionemque reducendis. 2. De procurando Christianis in Syria contra Saracenos pugnantibus subsidio. 3. De reformanda morum disciplina, præscribendoque modo, ad citiùs Romani Pontificis electionem Sede vacante celebrandam.

Ad Concilium venere ex universis mundi regionibus Patres circiter mille, videlicet summus ipse Pontifex Gregorius ut Præses, Cardinales quindecim, Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Antiochenus, Archiepiscopi 60. vel 70. Episcopi 500. Abbates multi, aliique inferiores Prælati non pauci. Venere quoque & ipsi regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ, & Siciliæ Oratores; venit & ipse *Jacobus Aragoniæ Rex*, licèt post sessionem 2. discesserit, iratus de non imposita sibi à summo Pontifice Gregorio regni corona, nec imponi promissa, nisi vectigali persoluto. Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem Concilio quoque interfuisse dixere nonnulli, sed falsò; cùm per nuntios tantùm interfuisse constet, tum ex actis Concilii, tum ex nuntiis & literis ab eo missis. Ad Concilium hoc insuper vocati sunt plures insignes alii viri, doctrina & vitæ sanctitate magni; inter quos eminuere *S. Thomas* Aquinas, & *S. Bonaventura*; sed *S. Thomas* ad Concilium dum pergeret, lethali correptus morbo, ad vitam migravit immortalem in monasterio Fossæ-novæ. *S. Bonaventura* verò in ipso Concilio à *Gregorio X.* creatus Cardinalis & Episcopus Albanensis, in ipso pariter Concilii decursu post primam, secundam, tertiam & quartam Sessionem, felicem emisit animam 14. Julii.

His

His omnibus in majori Basilica S. Joannis Lugduni congregatis, cœptum est Concilium die 7. Maji, anno Domini 1274. & tres intra menses, sex Sessionibus feliciter conclusum die ejusdem anni 17. Julii. Quæ omnia constant ex Labb. hujus Conc. hist. & anct. ibi laud. tom. 11. Quid autem fuerit hoc in Concilio præcipuè gestum, docebit hic annexa brevis singularum Sessionum historia. Cujus Sessiones fuere sex.

In 1. Sessione.

Post celebratum anteà indictum à *Gregorio X.* trium dierum jejunium, die 7. Maji anno 1274. congregati sunt Concilii PP. Lugduni in majori S. Joannis Ecclesia; ubi solemnibus de more præmissis precibus, sermonem habuit summus Pontifex: quo finito, & aliquantulo temporis intervallo posito, Concilii Patres alloqui cœpit, & causas, quibus motus Concilium convocasset, exposuit; nimirùm ut ageretur de subsidio Christianis in Syria degentibus mittendo, de ineunda Græcorum cum Latinis unione, & de reformanda morum Ecclesiæ disciplina, ac speciatim de præscribendo summi Pontificis celeriùs eligendi modo, ne deinceps contingeret tamdiu vacare S. Sedem, adveniente summi Pontificis obitu. Quibus finitis, finita est Concilii prima, & indicta secunda Sessio. In qua rum prima causas convocationis exponit *Gregorius X.*

In 2. Sessione.

Die 18. ejusdem mensis & anni, congregatis similiter Patribus, & præmissis ut in prima solemnibus precibus, ac brevi summi Pontificis prologquio, lectæ sunt pro fide Constitutiones nonnullæ; deinde licentiati sunt omnes Capitulorum Procuratores, aliique Abbates & Priores non mitrati, iis exceptis qui fuerant nominatim ad Concilium vocati: quibus peractis soluta est secunda Sessio, & indicta tertia, inter quam & secundam petiit obtinuit summus Pontifex Gregorius à Prælatis omnibus, apud se divisim convocatis, decimas redituum Ecclesiasticorum omnium usque ad sex continuos annos, pro belli Jerosolymitani subsidio. In secunda & tertia lectæ sunt constitutiones nonnullæ.

In 3. Sessione.

Die 7. Junii ejusdem anni Concilii Patribus tertiò congregatis ut anteà, sermonem habuit Petrus Ostiensis Episcopus, sumptis pro themate his Isajæ verbis cap. 49. vers. 18. dicentis: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Quo finito sermone, lectæ sunt & probatæ constitutiones variæ: quibus lectis, licentiam dedit summus Pontifex Prælatis omnibus exeundi Lugduno, seque elongandi ad sex usque leucas; nec diem futuræ Sessionis indixit, ob dubium Græcorum adventum.

In 4. Sessione.

Die 6. mensis Julii ejusdem anni, in octava SS. Apost. Petri & Pauli, post felicem Græcorum nuntiorum adventum, quartò congregatis Concilii Patribus, idem qui priùs, sermonem habuit Petrus Ostiensis super hæc Psalmistæ verba Psal. 75. vers. 5. dicentis: *Illuminans tu mirabiliter à mon-* In quarta ad Concilium venere Græci, & facta est Græcorum cum Latinis unio.

tibus æternis, *&c.* Quo finito, Papa Concilii Patres alloquens, & iterùm convocationis Concilii causas enarrans, exhibuit qualiter contra opinionem ferè omnium, ad Concilium liberè venissent Græci, Romanæ obedire Ecclesiæ, ejusque fidem profiteri ac primatum agnoscere parati; & qualiter ipse Græcorum Imperator solemnes misisset nuntios, idem pro se & nomine suo solemniter professuros, id testantibus eorum literis aurea bulla bullatis, & è Græco in Latinum translatis: quibus in Concilio lectis, nuntiorum prædictorum unus, videlicet Georgius Acropolita, magnus Logotheta, *Michaelis Palæologi* Græcorum Imperatoris Orator, ejus nomine schisma ejuravit, Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, ejusque primatum agnovit, & ab ea fide & obedientia Imperatorem & Imperium numquam recessuros cum juramento promisit; idemque præstitere cæteri Græcorum Præsulum Legati. Quibus ita feliciter peractis, & reversis ad fidem Ecclesiæ Romanæ Græcis, cantatum est, incipiente Papa Gregorio, *Te Deum laudamus*. Dictæ preces, *Confirma hoc Deus*, *&c.* & reverenter posteà cantatum Fidei Symbolum, incipiente similiter Papa, *Credo in unum Deum*, & prosequentibus latinè Latinis Concilii Patribus: quo finito, cantatum est pariter à Græcis græcè, incipiente Græcorum Patriarcha, & Græcis prosequentibus aliis, cum additione illa *Filioque*, ter repetita; & sic finita Sessio quarta, & facta Græcorum cum Latinis unio.

In 5. Sessione.

In quinta funebre pronuntiatur B. Bonaventuræ elogium, inter quartã & quintam Sessionem morte rapti.

Die 16. Julii ejusdem anni, congregatis quintò Concilii Patribus, antequam Ecclesiam ingrederetur Papa, Petrus Ostiensis unum cum duobus sociis è nuntiis à Tartarorum Rege missis baptizavit. Abaglia enim Rex Tartarorum 16. miserat ad Concilium nuntios, unionem cum Christianis in Turcas hostes suos petituros. Quibus peractis, & Ecclesiam ingresso Papa, præmissisque solemnibus de more precibus, lectæ sunt & probatæ variæ constitutiones aliæ; quibus lectis, summus Pontifex Gregorius Concilii Patres alloquens, exhibuit quàm inæstimabile damnum perpessa esset Ecclesia Dei in obitu *S. Bonaventuræ* Albanensis Episcopi, qui inter quartam & quintam Sessionem obierat, die Dominico scilicet, & Julii 14. cujus exequiis interfuit ipse summus Pontifex, & cujus funebre pronuntiavit elogium idem qui supra Petrus Ostiensis Episcopus Ord. FF. PP. & posteà post Gregorium X. summus Pontifex *Innocentius* hujus nominis quintus, sumpsitque pro themate hæc 2. Reg. cap. 1. verba: *Doleo super te, frater mi Jonatha*, *&c.* Sermonem habuerat & ipse Bonaventura, inter secundam & tertiam Sessionem in eadem majori Lugdunensi Ecclesia, coram omnibus Concilii Prælatis à Gregorio summo Pontifice vocatis & existentibus in cappis, sumptis pro themate his Baruch Prophetæ verbis cap. 5. dicentis: *Exurge Jerusalem, & sta in excelso: & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem.*

In 6. Sessione.

In sexta solutum est Concilium

Die 17. Julii ejusdem anni, sextò & ultimò conciliariter congregatis Concilii Patribus, lectæ sunt statim duæ constitutiones aliæ, videlicet illa quæ

quæ incipit, *Religionum diversitatem*, *&c.* & altera, cujus initium est, *Cùm sacro-sancta*, *&c.* quibus lectis, summus Pontifex Concilium alloquens, ostendit quomodo grande Terræ sanctæ & Græcorum negotium erat cœptum, & Domino favente feliciter consummatum. Deinde quia erant aliqui circa vitæ mores reprehensibiles Prælati, universos est adhortatus ad sanctè pièque vivendum, & gregibus suis diligenter invigilandum; ut sic Prælatis piè viventibus & emendatis, vivant & emendentur eis subditi populi. Quibus ita ritè peractis, finita est hæc sexta & ultima Concilii Sessio; finitum ac solutum Concilium benedictione Papali, & Cardinali Ottobono alta voce dicente: *Recedamus in pace*. Hæc omnia *ex hist. Conc. apud Phil. Labb. tom.* 11. *& ex ejus actis quæ inscribuntur, Brevis nota, &c. ibid. tom.* 11.

& Papali benedictione conclusum.

Constitutiones in sex hujus Concilii Sessionibus editæ, quas in sexto Decretalium libro Bonifacius VIII. collegit omnes, sunt numero 31. quarum præcipuæ sunt duæ priores, prima scilicet qua definitur Spiritum à Patre Filioque procedere; secunda qua determinatur Cardinalium in Conclavi clausura, ut citiùs celebretur summi Pontificis electio, & prolixa vitetur sedis Romanæ vacatio.

In quo editæ Constitutiones 31.

CONSTITUTIO I.

Sic est: *Fideli ac devota* professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur & docet sacro-sancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi; nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.

CONSTITUTIO II.

Quæ incipit, *Ubi periculum*: statuta ab Alexandro III. in Lateranensi Concilio III. circa Romani Pontificis electionem renovat; & addendo insuper statuit, sacro approbante Concilio, ut defuncto summo Pontifice, Cardinales qui in ipsa civitate, in qua diem clauserit extremum, fuerint præsentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur: quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in Pontificis palatium, contenti singuli singulis tantummodo servientibus Clericis, vel Laicis, vel duobus, si id ipsis indulgeri necessitas postulet. Eo autem in palatio omnes in uno habitent Conclavi, nullo intermedio pariete, sive velamine alio, quod, servato libero ad secretam Cameram aditu, ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare valeat vel exire; nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secretè loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos qui de voluntate omnium, pro iis tantùm quæ ad electionis imminentis negotium pertinent,

voca-

vocarentur. Vetat insuper sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne ad ipsos Cardinales, vel eorum aliquem, nuntium vel literas quis mittat: & si intra tres dies post Cardinalium ingressum, non fuerit ipsi Ecclesiæ de Pastore provisum, per spatium quinque dierum immediatè sequentium, singulis diebus tam in prandio quàm in cœna, uno solo ferculo sint contenti; quibus pariter lapsis, nondum electione secuta, ex tunc tantummodò panis, vinum, & aqua ministrentur eisdem, donec sequatur provisio, &c.

CONSTITUTIO III.

Quæ incipit, *Ut circa electiones*: viam malitiis hominum præcludens in electionum impugnatione, statuit, ut qui electionem vel postulationem alicujus impugnat, vel contra illam appellat, omnia objecta in appellationis instrumento exprimere teneatur, & jurare se illa credere vera, & se posse probare, & ut nec ipse, nec ipsi adhærentes super expressis audiantur.

CONSTITUTIO IV.

Quæ incipit, *Avaritiæ cæcitas*: statuit, ut nullus deinceps administrationem dignitatis ad quam electus est, per se vel per alium, pro parte vel in totum gerere, vel recipere præsumat, priusquam fuerit electio de se confirmata; alioquin jure ipso excidat, si quod ei per electionem quæsitum est.

CONSTITUTIO V.

Quæ incipit, *Quàm sit Ecclesiis*: decernit, ut electo statim præsentetur electio, ipseque intra mensem consentiat; alioquin jure, si quod ipsi ex electione quæsitum, privetur; nisi fortè talis sit electæ personæ conditio, ut electioni consentire nequeat, absque superioris licentia: quo in casu præfata postuletur licentia, ea celeritate qua poterit; alioqui si lapso tempore, quo potuit haberi, non habeatur, ad aliam electionem electores procedere possint. Electus post præstitum electioni consensum, si intra tres menses confirmationem petere omiserit, irrita maneat electio.

CONSTITUTIO VI.

Quæ incipit, *Perpetuæ sanctionis oraculo*: declarat eos qui scientes, indignum eligunt, propter suffragium in scrutinium immissum, nequaquam eligendi jure privari, nisi ex votis eorum communis electio subsequatur.

CONSTITUTIO VII.

Quæ incipit, *Nulli licere decernimus*: nulli eligentium licere decernit, electione peracta, electum super electione impugnare, nisi ex causis postea emergentibus, vel nisi ei morum ipsius anteà celata de novo pandatur improbitas, vel alicujus alterius latentis vitii vel defectus, quæ verisimiliter ignorari potuerit, veritas reveletur, de qua ignorantia fidem faciat proprio juramento.

CONSTITUTIO VIII.

Quæ incipit, *Si quando contigerit*: contra electum per partem duplo majorem, vel contra electores ejus quid opponi vetat, ad extenuationem zeli, meriti, vel auctoritatis ipsorum; quamvis non prohibeat id opponi, si quid sit quod votum illius cui opponitur, nullum redderet ipso jure.

CON-

CONSTITUTIO IX.

Quæ incipit, *Quamvis constitutio* : temerariam appellantium audaciam, & effrænatam appellationum frequentiam refrænat & moderatur.

CONSTITUTIO X.

Quæ incipit, *Si fortè* : statuit, ut si inter cætera quæ electo, aut ad dignitatem aliquam promovendo objiciuntur, evidentem vel scientiæ, vel alium in persona defectum opponi contingat, promovendus super hujusmodi opposito examinetur defectu ante omnia; & si hujusmodi oppositiones inveniantur veritate destitui, ut opponens à prosecutione causæ excludatur & puniatur, imperat, ac si in probatione omnium defecisset.

CONSTITUTIO XI.

Quæ incipit, *Sciant cuncti* : excommunicat eos, qui Clericos, vel quaslibet alias personas Ecclesiasticas, vel earum consanguineas, aut ipsas Ecclesias, Monasteria, seu loca cætera beneficiis, sive aliis bonis suis, per se vel per alios, vel aliàs injustè persequendo gravare præsumpserint, pro eo quòd rogati, seu aliàs inducti, eum pro quo rogabantur, sive inducebantur, eligere noluerint.

CONSTITUTIO XII.

Quæ incipit, *Generali sanctione* : sancit, universos & singulos, qui Regalia, custodiam, sive guardiam advocationis, vel defensionis titulum in Ecclesiis & Monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem, qui hæc fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere ..... Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine, jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos Ministros in eis faciant abstinere, ut ea quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore non usurpent, nec bona cætera dilabi permittant.

CONSTITUTIO XIII.

Quæ incipit, *Licèt Canon* : statuit, ut nullus ad Parochialis Ecclesiæ regimen assumatur, nisi vigesimum quintum ætatis annum attingat, & scientia ac moribus commendandus existat; & collationes Parochialis Ecclesiæ deinceps faciendas aliis, irritas fore decernit : eos verò quibus fuerint collatæ, ad residentiam personalem teneri declarat; præcipitque ut intra annum à tempore sibi commissi gregis, se ad Sacerdotium promoveri curent, alioqui commissa sibi priventur Ecclesia : super residentia verò possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus indulgere, si causa legitima id exposcat.

CONSTITUTIO XIV.

Quæ incipit, *Nemo deinceps*: Parochialem Ecclesiam commendari vetat, nisi viro in ætate legitima, & Sacerdotio constituto, nec nisi unam uni, & propter evidentem Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, & ad sex menses tantùm; alioquin irritam declarat commendationem.

CON-

CONSTITUTIO XV.

Quæ incipit, *Eos qui Clericos* alienæ Parochiæ scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, per annum à collatione Ordinum suspensos esse decernit; Clericis verò Ecclesiæ taliter suspensorum, postquam eorum erit manifesta suspensio, permittit, ut absque ipsorum licentia possint interim à vicinis ordinari Episcopis.

CONSTITUTIO XVI.

Quæ incipit, *Alterationis antiquæ*: Bigamos omni privilegio Clericali nudatos, & coercitioni fori sæcularis addictos declarat, consuetudine contraria non obstante, ipsisque tonsuram, vel habitum Clericalem deferre sub anathemate vetat.

CONSTITUTIO XVII.

Quæ incipit, *Si Canonici*: statuit, quòd si Canonici à divinis cessare voluerint, prout in Ecclesiis aliquibus sibi ex consuetudine vel alio jure vindicant, causam suæ cessationis exprimant instrumento publico, vel patentibus literis suo vel alio authentico sigillo munitis, & illud, vel illas ei contra quem cessare intendunt, exhibeant scituri, quòd si hoc prætermisso, cessaverint, vel causa quam expresserint, non fuerit inventa canonica, omnia quæ cessationis tempore ab Ecclesia perceperint, restituant, & debita sibi stipendia non percipiant, illique de injuriis & damnis satisfacere teneantur, contra quem cessaverant: si verò causa cessationis fuerit judicata canonica, is qui occasionem dedit cessationi, ad omne damnum Canonicis & Ecclesiæ reparandum Superioris arbitrio condemnetur. Detestabilem reprobat horrendæ indevotionis abusum illorum, qui Crucis, B. Virginis, aliorumque Sanctorum imagines irreverenti ausu tractantes, eas in aggravationem cessationis hujusmodi prosternunt in terram, urticis spinisque supponunt.

CONSTITUTIO XVIII.

Quæ incipit, *Ordinarii*: jubet, ut Ordinarii locorum subditos suos plures dignitates vel beneficia habentes, quibus animarum cura imminet, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui similis est annexa cura, ad dispensationem, vi cujus illa tenent, exhibendam intra certum tempus compellant; quòd si nulla inveniantur dispensatione muniti, beneficia hæc aliis personis per collatores conferantur idoneis; si de dispensationis sufficientia dubitetur, Sedes consulatur Apostolica.

CONSTITUTIO XIX.

Quæ incipit, *Properandum*: statuit, ut omnes & singuli advocationis officium in foro Ecclesiastico exercentes præstent juramentum, quòd in omnibus causis, quarum patrocinium susceperunt vel suscipient, omni virtute sua, omnique ope, id quod verum & justum existimaverint, suis clientibus procurent; cùm verò ipsis innotuerit improbam esse causam, quam in sua fide receperant, ejus patrocinium deserant. Procuratores insuper simili juramento adstringantur, illudque juramentum tam illi, quàm isti singulis annis iterare teneantur; alioqui si noluerint, à suorum officiorum executione repellantur; & si juramentum præstitum violaverint, duplum ejus restituant, quod pro tam iniquis advocatione, procuratione,

vel

vel consilio receperunt; ac nihilominus de damnis, quæ per iniqua hujusmodi ministeria partibus irrogarunt, illis satisfacere teneantur.

CONSTITUTIO XX.

Quæ incipit, *Absolutionis beneficium*: absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto, vi aut metu extortam, irritam esse declarat; & eos qui eam sic extorserint, excommunicat.

CONSTITUTIO XXI.

Quæ incipit, *Statutum felicis record.* statutum Clementis IV. de dignitatibus & beneficiis in Curia Romana vacantibus, per alium quàm à Romano Pontifice non conferendis, moderans, statuit ut si summus Pontifex ea non contulerit, intra mensem à die vacationis, illi ad quos illorum pertinet electio, ea conferre valeant per seipsos aut per suos Vicarios generales, quibus id canonicè commiserint.

CONSTITUTIO XXII.

Quæ incipit, *Hoc consultissimo prohibemus edicto*: agit de rebus Ecclesiæ non alienandis, prohibetque Prælatis, ne Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum Laicis submittere, subjicere seu supponere absque Capituli sui consensu, & Sedis Apostolicæ licentia speciali præsumant, &c.

CONSTITUTIO XXIII.

Quæ incipit, *Religionum diversitas*: Lateranensis Concilii IV. Canonem contra nimiam Religiosorum Ordinum multitudinem renovans, prohibet, ne quis deinceps novum instituat Ordinem, vel novæ Religionis habitum assumat; Ordinesque Mendicantium, post Concilium illud institutos, & nondum confirmatos abrogat.

CONSTITUTIO XXIV.

Quæ incipit, *Exigit perversorum audacia*: Innocentii IV. constitutionem confirmat, qua procurationes Prælatis Ecclesias visitantibus debitas, in pecunia solvi, & ab eorum familiaribus munera recipi prohibuerat, pœnasque in transgressores decernit, victualia etiam procurationis nomine, ab illis, quas non visitaverint, Ecclesiis recipi vetat.

CONSTITUTIO XXV.

Quæ incipit, *Decet domum Domini*: Ecclesias summa in veneratione habendas præcipit, in illis fieri prohibens profanos conventus, sæcularia concilia, vana & profana colloquia, confabulationes quascumque, nundinas, negotiationes, causarum criminalium actiones, Judicumque sæcularium processus omnes, quos ibi factos irritos declarat.

CONSTITUTIO XXVI.

Quæ incipit, *Usurarum voraginem*: constitutionem Concilii III. Lateranensis in usurarios editam sub divinæ maledictionis interminatione præcipit observari; vetans ipsis locari domos ab Episcopis sub pœna suspensionis; à minoribus personis, sub pœna excommunicationis; à Collegio vel Universitate, sub pœna interdicti: Laicos verò ab hujusmodi excessu, per suos Ordinarios, per Censuram Ecclesiasticam compesci jubet.

CON-

CONSTITUTIO XXVII.

Quæ incipit, *Quamquam Usurarii*: Usurarios manifestos Ecclesiastica sepultura privari jubet, quanquam restitutionem ultima voluntate mandaverint, donec planè satisfactum fuerit, aut eis quibus oportet, si præsentes sint, aut eis absentibus, loci Ordinario, ejus Vicario aut Parocho, coram testibus fide dignis, vel fidejussorem dederint idoneum; Religiosos, & alios qui illos ad sepulturam Ecclesiasticam admiserint, pœnis a Concilio Lateranensi latis punit; vetatque omnibus Usurariorum manifestorum testamento interesse, illosque ad Confessionem admittere vel absolvere, nisi restituerint, aut de restituendo cautionem præstiterint.

CONSTITUTIO XXVIII.

Quæ incipit, *Etsi pignorationes*: pignorationes quas vulgaris locutio repræsalias vocat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam legibus & æquitati naturali contrarias, civili etiam jure prohibitas, damnat contra personas Ecclesiasticas, prætextu cujuscumque consuetudinis concedi, aut extendi prohibet sub pœna censurarum.

CONSTITUTIO XXIX.

Quæ incipit, *Constitutionum felic. record.* excommunicationem latam ab Innocentio IV. in communicantes cum excommunicatis, non valere decernit, nisi nominatim moniti fuerint canonicè; statuens ut Judices Ecclesiastici sive trina utantur monitione, sive una, pro omnibus competentia aliquorum dierum intervalla servent, nisi facti necessitas aliter suadeat.

CONSTITUTIO XXX.

Quæ incipit, *Præsenti generali declaramus edicto*: relaxationis beneficium ad cautelam in generali interdicto locum non habere declarat.

CONSTITUTIO XXXI.

Quæ incipit, *Quicumque*: sententiam excommunicationis ipso facto incurrendæ fert in eos, qui ob censuras in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, eorum ministros, aut alios quoscumque latas, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu alias in personis, aut bonis suis, vel suorum gravandi eos, qui tales sententias tulere, vel quorum occasione latæ sunt, vel easdem sententias observantes, aut cum excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integra revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione istius licentiæ processum sit, nisi bona ipsa infra octo dies restituta fuerint. Eadem sententia innodat eos omnes, qui prædicta licentia usi fuerint, vel aliquod præmissorum suo motu commiserint; qui autem duorum mensium spatio in eadem sententia permanserint, ab ea non possint nisi per Sedem Apostolicam absolvi.

Quæ constitutiones habentur omnes in *6.* Decretalium libro per Bonifacium VIII. collectæ; & pro quibus recipiendis, ut memoriæ subditorum mandarentur & executioni, Salisburgi congregatum est olim eodem anno 1274. in Germania Concilium a Friderico sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato, ut videre est in ipsa præfatione præfati Salisburgensis Concilii, immediatè post Lugdunense relati apud Phil. Labb. 11. Conc. tomo.

A R-

ARTICULUS XVI.

De Concilio Viennensi, anno 1311.

Sub Clemente V. Rom. Pont. pro extinguendis Templariis, damnandis Dulcinistis, Begardis atque Beguinis, decernendoque pro Terra Sancta subsidio, & reformandis fidelium moribus.

ANno post mille trecentos undecimo, *Viennæ* Allobrogum celebrari cœpit hoc decimum quintum œcumenicum Ecclesiæ Concilium à Clemente Romano Pontifice, hujus nominis V. quadruplici potissimùm de causa; videlicet 1. Ad extinguendum publica nefandorum criminum infamia laborantem Militarem, olimque sanctissimum Templariorum Ordinem. 2. Ad damnandos Petri-Joannis, Fratricellorum & Dulcinistarum, Begardorum & Beguinarum temporibus illis grassantes errores. 3. Ad providendum de ferendo Terræ Sanctæ subsidio; & 4. denique ad reformandos Ecclesiæ mores. Brevis & historica Viennensis Concilii summa.

Ad illud venere summus ipse Pontifex *Clemens V.* ut Præses, Cardinales permulti, Patriarchæ duo, Alexandrinus videlicet, & Antiochenus, Episcopi trecenti, Regesque plures; inter quos *Philippus Pulcher* Galliæ Rex, cum tribus filiis suis nondum quidem tunc, sed deinde post ipsum successivè Galliæ Regibus, videlicet *Ludovico X. Philippo V. & Carolo IV.* & cum istis venit & *Eduardus II.* Angliæ Rex, venit & *Jacobus II.* Aragoniæ Rex. Indictum fuerat Concilium biennio antè, hoc est anno 1309. cœptum tamen 1311. die 1. Octobris, & pridie nonas Maji, septem circiter post menses, tribus dumtaxat licèt sessionibus feliciter conclusum.

Sessio 1.

1. Concilii sessio inchoata est die 16. Octobris, Sabbato ante Festum B. Lucæ; in qua summus Pontifex Clemens V. Concilii convocationis exposuit causas, sumpto pro sermonis themate illo Psalmi 110. vers. 1. *In concilio justorum & congregatione: magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Ab hac sessione, usque ad Galliæ Regis adventum & 2. sessionem, varii habiti tractatus, variæque de variis habitæ deliberationes, ut v. g. de Templariorum causa, de subsidio Terræ Sanctæ, de reformandis Ecclesiæ moribus: summus enim Pontifex, multis Prælatis cum Cardinalibus in privato Consistorio convocatis, Ordinem Templariorum suppressit, cassavit, & extinxit.

Sessio 2.

2. Sessio die 3. mensis Aprilis habita est, post Galliæ Regis adventum; in qua sumpto pro themate ad Templarios accommodato illo Psal. 1. vers. 5. *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum*, iterùm sermonem habuit ad Concilii Patres, & sententiam à se latam in Consistorio privato, de Templariorum abolitione, eorumque redituum ad Rhodienses equites translatione, sacro approbante Concilio promulgavit.

Ses-

Sessio 3.

3. Denique & ultima generalis Concilii sessio habita est pridie nonas Maji, post varios haud dubiè privatim priùs habitos tractatus, deliberationesque varias; in qua summus Pontifex iterùm de ferendo Terræ Sanctæ subsidio sermonem habuit, pro themate sumpto illo Proverbiorum cap. 10. vers. 24. *Desiderium suum justis dabitur*. Ibi ad Terram Sanctam expeditio sacra promissa est à Philippo Christianissimo Rege, illique à Galliæ Præsulibus, sacro approbante Concilio, sacræ decimæ ad sexcennium concessæ. Uno verbo præcipua hujusce Concilii gesta sive decreta sunt ista:

Decreta Concilii præcipua.

Varia edita decreta.

1. Summus Pontifex Bonifacius VIII. à calumniis Philippi Pulchri Galliæ Regis vindicatus est & absolutus, ac Catholicus legitimusque Pontifex declaratus; ipsiusque Philippi Christianissimi Regis vindicatur fama, Conciliique decreto decernitur, nihil illi aut filiis vel hæredibus ejus damni vel pœnæ inferri posse, pro ejus in Bonifacium gestis.

2. Templariorum militaris Ordo, qui annis ferè ducentis, hoc est 184. steterat per universum orbem, suppressus est & extinctus à Clemente V. sacro approbante Concilio, ad instantiam Philippi IV. Galliæ Regis.

3. Damnata sunt deliria Petri-Joannis, diœcesis Biterrensis viri, qui inter alia, animam rationalem humani corporis formam esse negabat, & gratiam virtutesque in Baptismo nequaquam infundi tenebat. Damnati pariter Fratricellorum, Dulcinistarum, Begardorum & Beguinarum errores.

4. Decreta est pro recuperanda è Turcarum ditione Terra Sancta, belli expeditio sacra.

5. Jam instituta ab Urbano IV. sacri Corporis Christi festivitas, decreta est hoc in Concilio Feria 5. post octavam Pentecostes celebranda.

6. Exposita est S. Francisci FF. Minorum Patriarchæ Regula, & variæ circa illam elucidatæ quæstiones, præsertim circa strictam FF. Minorum paupertatem, eorumque circa res usuales vel dominium, vel simplicem usum; habenturque in Clementinis *De verborum significatione*.

7. Hoc in Concilio SS. Catalogo adscriptus est S. Ludovicus, filius Caroli II. Siciliæ Regis, & frater Roberti Regis: qui Ludovicus cùm Caroli II. primogenitus esset, ac proinde ad Regni regimen ante fratrem natus; mundi tamen contemptu, & pio Religionis affectu, Religiosum FF. Minorum Ordinem est ingressus, & ex Ordine FF. Minorum ad Tolosanum Episcopatum assumptus.

8. Decretum insuper est hoc in Concilio à *Clemente V.* ut propagandæ fidei causa, in præcipuis Christiani orbis academiis, (quales sunt eæ quæ Romæ, Parisiis, Oxonii, Salmanticæ & Bononiæ) Catholici instituerentur Magistri, qui publicè docerent linguas Hebraicam, Chaldaicam, & Arabicam.

9. Multæ denique editæ constitutiones aliæ hoc in Concilio à Clemente V. quas unà cum aliis tum ante, tum post Concilium editis, in unum volumen contulit; quod volumen, cùm morte præventus promulgare non potuisset Clemens V. successor ejus Joannes XXII. in lucem edidit, & Cle-

Clementinas appellavit. *Vide S. Antoninum* 3. p. *hist. Marium Belg.* de schismat. *Conradum Vecerium, Binium & Labb. &c.*

De Templariis.

Quæres hic fortè 1. Quis fuerit ille *Templariorum* Ordo, qui dicitur hoc in Concilio suppressus; quis auctor ejus, quis finis, quod & officium?

Resp. militarem fuisse Ordinem, potentem olim ac celebrem; qui Jerosolymis cœpit anno Christi 1118. ab Hugone de Paganis, & Godefrido quodam à S. Audemaro: qui omnium primi cum septem sociis aliis, Ordinis hujus fundamenta jecere, dum sua, Regularium Canonicorum instar, Religionis emisere vota in manibus Jerosolymitani Patriarchæ, & simul habitare cœpere in domo communi sibi à Balduino II. concessa: à qua, quia juxta Templum sita, *Templarii* sive Equites militiæ Templi fuere vocati; horum enim instituti finis erat, fideles ab infidelibus & peregrinantes ad loca sancta Christianos à latronum insidiis & Christiani nominis hostium incursibus defendere. His sic piè & Dei zelo congregatis ac Religionis voto ligatis, volentibus & petentibus præscripta est posteà vivendi Regula à S. Bernardo, sub Honorio II. Rom. Pontifice, in Concilio Trecis in Gallia habito, anno 1128. præside Albanensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, præsentibus Senonensis & Rhemensis provinciarum Archiepiscopis & Episcopis, aliisque Abbatibus multis, quos inter eminebat S. Bernardus; eisque inter alia multa, ibidem præceptus albi coloris habitus, cui posteà super pallium crucem addere rubeam jussit Eugenius III. anno 1146. Floruit multos in annos fama celebris Ordo ille; sed tandem divitiis impinguatus, & domibus per orbem dilatatus, ita tam in Ecclesiæ quàm in sæculi principes recalcitravit, totque est in abusus & vitia lapsus, ut hoc in generali Viennensi Concilio fuerit à Clemente V. suppressus, abolitus & extinctus anno 1311. Hæc constant *ex Guill. Tyrio in hist. belli sacri, ex Matth. Parisio in hist. Ang. dist. hist. & actis Vien. Conc. tom. 11. Conc. &c.*

Et suppressus præsertim Templariorum Ordo.

Dices. Ordo ille in se erat laudabilis & bonus, ac per Ecclesiam sub Honorio II. in Trecensi Concilio probatus; ergo perperam & injustè à *Clemente V.* suppressus & extinctus. Resp. conc. ant. neg. conseq. nam ut habetur 4. Reg. cap. 18. vers. 4. sicut bonus erat, laudabilis & utilis ad sanandum eos qui fuerant à serpentibus morsi serpens æneus, quem erexerat Moyses jubente Domino; nec tamen reprehenditur ibidem, sed econtrà laudatur Rex Ezechias, diciturque fecisse quod erat bonum coram Domino, eumdem dum confregit serpentem æneum quem fecerat Moyses, quia nimirùm jam erat Israelitis occasio idololatriæ: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum tanquam numini benefico, à quo à serpentum morsu curati essent patres eorum; ita pariter licèt laudabilis & bonus primitùs fuerit Templariorum Ordo, & Ecclesia probante ad salutem multorum erectus & institutus, non est reprehensibilis sed laudabilis summus Pontifex Clemens V. dum illum, sacro Viennensi probante Concilio, suppressit & extinxit; quia jam publica laborans infamia ob morum corruptelam & execranda suorum membrorum scelera, nedum inutilis Ecclesiæ, sed & perniciosus, & ruinæ multorum evaserat occasio. Accusatur enim Ordo

Et justè suppressus Ordo ille, licèt laudabilis olim, bonus & utilis.

ille, quòd in illo hæc vigeret consuetudo, aut potiùs detestabilis intrusa corruptela, ut novitii in sua professione secretò & sub intempestæ noctis silentio fieri solita, cogerentur Christum negare, in crucifixi imaginem conspuere, posteriora Præceptoris turpiter osculari; quodque licèt à mulieribus abstinere voverent, nefariæ tamen & sodomiticæ commixtionis licentiam acciperent; imò & quod caput quoddam sive cranium deauratum in comitiis tamendumtaxat generalibus proponeretur ut adorandum Ethnico & idololatrico more.

Instabis. Primi horum criminum in Templarios delatores fuere duo ex Ordine falsi fratres, erga Ordinis moderatores malè affecti ac perditissimi viri, qui miserè postea periere; nimirum Prior Montisfalconis in agro Tolosano, qui Parisiis à Templi Magistro ob hæresim & pessimos vitæ mores, carceri perpetuo fuerat addictus; & Noffus exul Florentinus, qui pariter ob scelera à Parisiensi Prætore fuerat eumdem in carcerem traditus, ut test. Joannes Villani lib. 8. cap. 92. & S. Antoninus 3. p. Chron. tom. 21. cap. 1. Hi duo, ut suæ libertati consulerent & saluti, præfata sive vera, sive conficta Templariorum crimina detulerunt ad Regios Ministros, Ministri ad Regem Philippum, Philippus ad Rom. Pont. Clementem; & sic juxta delationem illam (cujus nulla erat habenda ratio, utpotè quia factæ à proscriptis viris, & erga Ordinis moderatores malè affectis, ac proinde non audiendis) juxta inquam delationem illam non audiendam, capti tota in Gallia Templarii, inquisitio multiplex ubique facta, & à *Clemente V.* in Concilio Viennensi suppressi Templarii, & totus suppressus & abolitus Ordo, ac proinde perperam & injustè, cùm juxta regulam juris in 6. non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Resp. 1. nihil referre quinam fuerint primi Templariorum delatores & accusatores, modò in eos delata crimina, legitimis documentis & testimoniis constet esse vera, ut de objectis in Templarios criminibus ex multiplici inquisitione constat. Resp. 2. non à solis duobus illis proscriptis & incarceratis delata & detecta fuisse Templariorum scelera, sed ab aliis minimè suspectis, præsertim inter alios, ab equite Templario summi Pontificis Clementis V. familiari, domestico & cubiculario; qui, ut refert Mariana *lib. 15. hist. Hisp. cap. 15. undecimo ætatis anno ad eumdem Ordinem adjunctus visa factaque referebat*. Resp. 3. nec per illos, nec per istum, sed per famam publicam primò delata fuisse ad Philippum Regem, & Clementem Pontificem infamia Templariorum scelera; & cùm ex S. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 3. ad 2. infamia publica habeat locum accusatoris, hæc sufficiens præbuit fundamentum suspicandi, & proinde inquirendi tam in ipsum Ordinem universum, quàm in singulas Ordinis personas. Hæc ex fama publica orta suspicio, ex illa præfatorum Prioris Montisfalconis, & Noffi Florentini, equitisque Templarii, summi Pontificis cubicularii delatione crevit; confirmata est in inquisitionibus, & testium duorum ferè millium depositione, seu multiplici reorum ipsorum confessione probata; ac proinde non perperam & injustè, sed justè, prudenter & æquè suppressi Templarii, & qui diutiùs sine scandalo stare non poterat, prudenter & justè suppressus & abolitus est Ordo.

Urgebis. Ordo totus non fuit in jus vocatus & auditus; ergo non potuit justè damnari & supprimi totus Ordo. Prob. ant. qui Ordinis defensionem susceperant Parisiis coram Apostolicis commissariis, procuratione legitima care-

carebant, & se procuratores instituere non posse absque præsentia & consensu Magistri Ordinis responderunt, ut constat ex actis publica Notariorum manu retentis, & relatis à Petro Puteano in hist. Templ. ergo, &c. Resp. perm. ant. dist. conseq. ergo non potuit justè damnari, de rigore juris & per modum definitivæ sententiæ, conc. de plenitudine potestatis, & per viam provisionis seu ordinationis Apostolicæ, neg. conseq. Potuit summus Pontifex, non servato rigoroso juris ordine, diffamatissimum illum de plenitudine potestatis & sacro approbante Concilio supprimere, ob scandalum ex illo ortum, ac semper & ubique ex longa dilatione crescens; ita enim visum est ipsi summo Pontifici, ita & Concilio ipsi, ut patet ex ipsa condemnatoria sententia, à Clemente V. sacro Viennensi approbante Concilio lata, quæ incipit: *Ad providam......* & ubi sic legitur; *Dudum siquidem Ordinem domus militiæ Templi Jerosolymitani, propter Magistrum & fratres, cæterasque personas dicti Ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis & diversis non tam nefandis quàm infandis, proh dolor! errorum & scelerum obscœnitatibus, pravitatibus, maculis & labe respersos, quæ propter tristem & spurcidam eorum memoriam præsentibus subticemus, ejusque Ordinis statum, habitum atque nomen non sine cordis amaritudine & dolore, sacro approbante Concilio, non per modum definitivæ sententiæ, cùm eam super hoc secundùm inquisitiones & processus super his habitos ferre non possemus de jure, sed per viam provisionis seu ordinationis Apostolicæ, irrefragabili & perpetuò valitura sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes: districtiùs inhibendo, ut quis dictum Ordinem de cætero intrare vel ejus habitum suscipere vel portare, aut pro Templario se gerere præsumeret. Quòd si quis contrà faceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto.*

Addes. Scelera illa prætensa, propter quæ dicuntur hac in Bulla suppressi Templarii, & cum illis prohibitus ac penitùs abrogatus Ordo, fuere ab ipso Magistro & pluribus ejusdem Ordinis aliis in fine vitæ constanter negata, & illorum præcedens confessio revocata, ut constat ex ipso Magistro, ad supplicium dum raperetur, sic apud *Marianam lib. 15. hist. Hisp. cap. 10.* loquente: *Ego extremo vitæ tempore, cùm inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego, ac per omnia numina juro, quæ de Templariorum impietate criminibusque & antè jactata & nunc recitata sunt; Ordo enim ille sanctus, justus & orthodoxus est; ego tamen extremo supplicio dignus, qui Pontifice Regeque hortantibus, flagitia impia sceleraque mentitus sum in Ordinem meum, de Religione Christiana optimè meritum; quod utinam ò utinam factum non esset: sed quod unum superest, meis delictis, si veniæ locus est, ignosci postulo, ultròque graviores etiam pœnas deposco, &c.* Ergo propter hæc non potuere, etiam per viam provisionis, justè supprimi Templarii, & Ordo illorum extingui. Resp. 1. non omnes primam illam suorum scelerum confessionem revocasse, & multò plures in ea ad mortem usque perseverasse. Resp. 2. ex illa pristinam confessionem negantium vel revocantium pertinacia concludi non posse, falsa esse ipsis objecta scelera, cùm multos fuisse constet hæreticos sceleratosque viros, supplicia extrema subire potius quàm suos errores vel scelera fateri visos, quales fuisse perhibentur Priscillianistæ, quorum vulgare ac tritum erat effatum, *Jura, perjura, secretum prodere noli*: Quales & Templarios fuisse colligi potest ex inquisitione Florentiæ & Pisis habita, in cujus articulo sexto in MS. Vaticano, teste Bzovio, sic de illis legitur: *Nemini ea revelare, quæ vel in primo crepusculo agerent, juramento præstito promittebant.*

Superaddes. Si non ex illa confessionis revocatione concludi possit, falsò esse illis objecta scelera, saltem id concludi potest ex eo quòd duobus in Conciliis provincialibus, Salmanticensi nimirum & Moguntino, fuerint innocentes declarati, anno 1310. ergo, &c. Resp. neg. ant. quia inde solùm concludi potest, non omnes & singulos absolutè Templarios per orbem dispersos, fuisse horum scelerum reos, sed aliquos duabus in illis provinciis innocentes fuisse repertos; at hoc non probat innocentes fuisse alios multò plures è Gallia, Hispania, Italia, Anglia, & aliunde in jus vocatos, interrogatos & confessos coram Inquisitoribus, Episcopis & Cardinalibus, ipsoque summo Pontifice. Resp. 2. è præfato Salmanticensi Concilio, teste Mariana, rejectam fuisse ad Romanum Pontificem totius rei summam deliberationem; unde cùm summus Pontifex, sacro approbante Concilio, judicaverit Templarios omnes propter præfatorum scelerum infamiam, esse cum toto Ordine supprimendos & abolendos, illius potiùs quàm Salmanticensis Concilii judicio standum est: de Moguntino verò hac de re habito Concilio scribit idem Mariana; quemdam Hugonem Comitem cum viginti Ordinis sui Templariis aliis armatis in consessum subitò venisse, sicque illorum metu territos Concilii Patres pro illorum innocentia pronuntiasse, & bono animo esse jussisse.

ARTICULUS XVII.

De Concilio Pisano, anno 1409.

Pro tollendo Gregorii XII. & Benedicti XIII. de Papatu contendentium schismate.

Brevis & historica Pisani Concilii summa.

TRia præsertim Pisana, hoc est *Pisis* celebrata, licèt constet esse Concilia, unum videlicet anno 1134. ab Innocentio II. contra *Petrum Leonis* civis Romani filium, Antipapam, Anacletumque II. vulgò nuncupatum; alterum anno 1409. ad tollendum Gregorii XII. & Benedicti XIII. de Papatu disputantium schisma, à Cardinalibus convocatum; tertium denique anno 1511. à quibusdam pariter Cardinalibus indictum, contra Julium II. legitimum licèt ac verum Pontificem; hìc tamen nec de primo, nec de tertio, sed de secundo Pisano Concilio, pro tollendo præfato duorum Pontificum schismate, convocato nobis est sermo; illudque ipsum est quod generale & œcumenicum vulgò dicitur à multis, etsi non à Papa, sed à Cardinalibus convocatum.

Cùm enim *Petrus de Luna*, Benedictus XIII. nominatus, & *Angelus Corarius*, Gregorius XII. nuncupatus, diu de supremo contenderent Pontificatu, neuterque pro pacis Ecclesiæ bono cedere vellet, licèt uterque id sua in electione promittendo jurasset, nec alia superesset schismatis extinguendi via, Cardinales utriusque à suo quique recedentes schismatico Papa, *Pisas* venere: ibique tanto ut mederentur Ecclesiæ malo, eique de vero ac indubitato providerent capite, generale hoc indixere Concilium anno Domini 1409.

Ad illud vocati sunt ipsi duo de Papatu contendentes & æmuli, cæterique ex orbe Christiano Prælati; sed interfuere dumtaxat, si quæ sit *Ozorio* fides, 24. Cardinales, tres Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ, Alexandrinus,

drinus, Antiochenus, & Jerosolymitanus, 300. Episcopi, cum innumeris aliis Monasteriorum Præpositis, Abbatibus, Doctoribusque viris, ac variis Principum & Universitatum Legatis.

Inchoatum est Concilium die 25. Martii, cui præfuit Cardinalis Pictaviensis, Cardinalium utriusque partis Decanus; præmissisque omnibus de more initio Conciliorum servandis, ter citati sunt, & 1. 2. & 3. sessione legitimè vocati duo de Papatu contendentes *Benedictus XIII.* & *Gregorius XII.* Sed neque per se, neque per alium comparentes, contumaces sunt communi Patrum suffragio declarati, damnati ut schismatici, perjuri & hæretici, suoque è prætenso Pontificatu dejecti.

In quo dejecti ut schismatici *Benedict. XIII.* & *Gregorius XII.* de Papatu contendentes, & electus *Alexander V. sess.* 18.

His peractis, die 15. Junii post solemne sacrum, & sermonem habitum ab Episcopo Novariensi, sumpto pro themate illo 4. Reg. cap. 10. vers. 3. *Eligite meliorem, & eum ponite super solium*, Cardinales numero 24. Conclave sunt ingressi; à quibus tandem die ejusdem mensis 26. electus est in utriusque depositi locum, *Petrus Philargus* sive Philaretus, ut vocant alii, natione Græcus, Parisiensis Facultatis Doctor, Ordinisque FF. Minorum, Mediolanensis Archiepiscopus, ac Cardinalis, dictusque *Alexander V.* qui sessione 18. post promulgatum electionis decretum, deinceps concione priùs habita sub hoc themate, *Erit unum ovile, & unus Pastor*, reliquo præfuit Concilio 23. sessionibus completo, ejusque gesta, & decreta confirmavit, & approbavit omnia, speciali diplomate Bononiæ post celebrationem Concilii dato, anno 1409. 11. Kalendas Februarii, cujus hæc sunt verba: *De consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, prædictam sententiam, & omnia alia, & singula quæ per Concilium hujusmodi, pro tollendo schismate, & reintegratione memorata facta fuerunt, utpote providè, & tantorum venerandorum Patrum, imò universalis Ecclesiæ auctoritate & concordia facta, rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica ex scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; decernentes non minoris existere vigoris & firmitatis hujusmodi sententiam, necnon omnia & singula acta in eodem generali Concilio in hac parte, quàm fuerunt & sunt alia Concilia in diversis arduis negotiis ipsius Ecclesiæ celebrata, &c.*

Qui reliquo præfuit Concilio & 23. sessionibus conclusum approbavit & cōfirmavit.

ARTICULUS XVIII.

De Concilio Constantiensi, anno 1414.

Sub Joanne XXIII. Rom. Pontifice, pro tollendo eodem non extincto, sed facto trium Pontificum schismate, damnandisque tunc grassantibus Vvicleffitarum & Hussitarum hæresibus.

Brevis & historica Constantiensis Concilii summa.

DEpositis per Concilium Pisanum de Papatu contendentibus *Petro de Luna*, dicto *Benedicto XIII.* & *Angelo Corario*, *Gregorio XII.* nuncupato, nec tamen extincto schismate, sed aucto per *Alexandri V.* promotionem, eoque intra annum è vivis rapto, per *Joannis XXIII.* electionem: ad pacem tandem Ecclesiæ dandam, tollendumque schisma præfatum, hoc generale Concilium *Constantiæ* Joannes XXIII. indixit, anno Domini 1414. cui interfuere Patres ferè mille, è quibus 300. fuere Episcopi, & Patriarchæ 4. cum ipso Imperatore *Sigismundo*. Initio Concilii, ut legiti-

mus Pontifex duabus prioribus sessionibus præfuit *Joannes ipse XXIII.* Post ejus è Concilio recessum, tertiæ præfuit sessioni *Petrus de Alliaco* Cardinalis Cameracensis; quartæ verò *Jordanus Albanensis Episcopus*, Cardinalis de Ursinis; cæteris usque ad *Martini V.* electionem præfuit *Joannes Episcopus* Ostiensis, Cardinalis Vivariensis; & quatuor ultimis præfuit recens electus *Martinus V.* Cœptum est Concilium die 5. Novembris, anno 1414. & tandem post quatuor annos & sex menses, die 22. Aprilis, anno Domini 1418. quadraginta & quinque sessionibus conclusum.

Cujus sessiones fuere 45.

In 1. Sessione.

Quæ ad diem 5. fuerat indicta, sed ob novas emergentes causas, ad diem 16. translata, sermonem habuit hortativum ad Patres *Joannes XXIII.* lecta est deinde convocationis Concilii bulla; Notarii, Scribæ, aliique Synodales constituti sunt Ministri, monitusque ad cedendum Papatu Joannes XXIII. quod se pro bono pacis sponte facturum ultrò promisit.

In 2. die 1. Martii.

Rogatus iterùm Joannes XXIII. ab Antiocheno Patriarcha, totius Concilii nomine, ut pro pacis Ecclesiæ bono cederet, se ultrò cessurum rursùs promisit, promissumque juramento firmavit, si Gregorius XII. & Benedictus XIII. id similiter præstarent, pro quo magnas illi gratias egit, pedes ejus osculatus Imperator *Sigismundus*.

In 3. die 26. Martii.

In absentia Joannis XXIII. qui cùm urgeretur ad constituendum pro cessionis executione procuratorem, Constantia clam & noctu discesserat, seque *Schafusiam* contulerat, Præside *Petro de Alliaco Cardinali Cameracensi*, Franciscus Zabarella Cardinalis Florentinus Patres hortatus est, ut piè ac sanctè se gererent; & ex Synodi decreto promulgavit hanc sanctam Synodum ritè convocatam, & Constantiæ legitimè inchoatam, per Papæ recessum non esse dissolutam, nec ab ipso posse dissolvi, vel aliò transferri usque ad schismatis extirpationem; Prælatisque non licere à Synodo citra justam causam discedere.

In 4. die 30. Martii.

Præside *Jordano Episcopo* Albanensi, Cardinali de Ursinis, declaratum est ex Concilii decreto, à Zabarella Cardinali Florentino, Concilii œcumenici auctoritatem, esse summi Pontificis auctoritate superiorem, seu *Generale Concilium à Christo immediatè potestatem habere, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & ad generalem Ecclesiæ Dei reformationem in capite & in membris*: quod tamen intelligendum de Pontifice dubio & in casu schismatis. Lectæ sunt insuper Joannis XXIII. ad Imperatorem literæ, quibus suum excusans recessum, testatur se non metu aliquo, sed sola aeris intemperie coactum Constantia discedere, seque promissioni factæ adhuc inhærere.

In

In 5. Seff. die 17. Aprilis.

Confirmatum eft præcedentis feffionis decretum de Concilii fuperioritate fupra Papam, fcilicet dubium & in cafu fchifmatis, declaratumque Joannem XXIII. illegitimè Conftantia difceffiffe, tenerique fub pœna depofitionis ftare promiffis, & Pontificatu cedere.

In 6. Seff. die 17. Aprilis.

Præfuit Joannes Epifcopus Oftienfis, Cardinalis Vivarienfis. Propofità eft, & ab univerfali approbata Synodo forma Procuratorii fuper renuntiatione Papatus à Joanne XXIII. facienda, & ad ipfum honorifica decreta legatio, quæ reditum fuaderet.

In 7. Seff. die 2. Maji.

Probata eft Hieronymi Pragenfis citati, & non comparentis contumacia, & publicata eft in Joannem XXIII. ad novem dies citatio, ut de fuga five difceffu refponfurus veniret.

In 8. Seff. die 4. Maji.

Promulgata eft fententia damnationis doctrinæ Vvicleffi, 45. præfertim articulorum, quorum alii hæretici, alii erronei, alii fcandalofi, blafphemi alii, alii piarum aurium offenfivi, alii temerarii, feditiofi alii; juffumque ejus libros omnes, offaque exhumata comburi.

Et in quo feff. 8. damnatus Vvicleffus, & 45. doctrinæ ejus articuli damnati.

In Seffionibus 9. 10. & 11.

Nihil ferè geftum eft notatu dignum, actumque folùm de citatione, non comparitione, & contumacia Joannis XXIII.

In 12. Seff. die 29. Maji.

In Joannem XXIII. pronuntiata eft depofitionis fententia, propter clandeftinum & fcandalofum, noctu, habituque indecenti è Concilio receffum, pacis & unionis Ecclefiæ turbativum, & à præftito juramento deviativum; decretumque infuper, ne quis è tribus fchifmaticis Pontificibus præfatis eligeretur de novo in Papam. Concilii fententiæ ftatim acquievit, & Pontificalia depofuit infignia Joannes XXIII.

In 13. Seff. die 15. Junii.

Contra nonnullos Sacerdotes *Huffitas*, communionem fub utraque fpecie Laicis etiam non jejunis diftribuentes, decretum eft fub unica tantùm fpecie ipfis, imò & nullatenus nifi jejunis dandam; hancque confuetudinem licèt primis Ecclefiæ temporibus non fervatam, fuiffe tamen ad multa vitanda fcandala & pericula rationabiliter inductam.

In 14. Sess. die 4. Julii.

Actum est de cessione Gregorii XII. Arimini degentis, cujus nomine Papatui renuntiavit Carolus de Malatestis Arimini dominus.

In 15. Sess. die 6. Julii.

Damnati pariter Joannes Hus & Hieronymus de Praga.

Joannes Hus de hæresi accusatus & convictus, è carcere in consessum Patrum est introductus, altoque sedili, ut ab omnibus videri posset, sedere jussus; & ejus doctrina articulatim congesta & producta per *Henricum de Piro* Concilii Promotorem, damnata est: ejus libri flammis adjudicati, ipseque degradatus auctor, sæculari relinquendus judicio; nolensque resipiscere, justo judicio per ignem è vivis sublatus & ipse.

In Sessionibus 16. 17. & 18.

Nihil ferè valdè notabile gestum est; sed solùm constituti sunt Procuratores, qui Benedictum XIII. Antipapam requirerent ad cedendum, commendatusque Deo multis precibus Imperator *Sigismundus*, profecturus ad Regem Aragoniæ, pro eodem Benedicto XIII. ad cedendum inducendo.

In Sess. 19. ann. 1415. die 25. Septemb. habita.

De hæresi accusatus & convictus Hieronymus Pragensis, fidei professione edita suam ejuravit hæresim.

In Sess. 20. die 21. Novemb.

Ad instantiam *Gregorii Tridentini* Episcopi, decretum est monitorium contra Fridericum Austriæ Ducem, ob usurpata Ecclesiæ Tridentinæ bona; & deinde approbata sunt 12. Capitula ad extirpationem schismatis, inter Sigismundum, Legatosque tam Concilii quàm Benedicti XIII. Narbone constituta.

In Sess. 21. ann. 1416. die 30. Maji.

Hieronymus Pragensis in ejuratam relapsus hæresim, convictus & degradatus, sæcularique relictus judicio, per ignem & rogum perire jussus.

In cæteris intermediis Sess. usque ad 39.

Actum est de causa, citatione & contumacia *Petri de Luna*, sub Benedicti XIII. nomine Antipapæ, necnon de Oratoribus Regum Aragoniæ, Castellæ & Navarræ recipiendis; & hoc præsertim notatu dignum, quòd in sess. 37. die 26. Julii habita, post reproductas binas *Petri de Luna* citationes, post ejus accusatam contumaciam, in eum lata est definitiva depositionis sententia.

In

In Seff. 39. die 9. Octobris.

Pro futuris schismatibus deinceps vitandis statutum est, ut post quinquennium ab hujus celebratione Concilii, convocaretur & aliud generale Concilium, & septennio post alterum, & tandem post illud, quolibet decennio generalia celebrarentur Concilia; & quòd summus Pontifex ante cujuslibet Concilii finem, & de ejus consensu, futuri Concilii designaret locum, quem citra causam mutare non posset.

In Seff. 40. die 30. Octobris.

Statuitur, reformationes aliquas à futuro Pontifice mox eligendo, pro moribus Ecclesiæ cum Concilio faciendas, priùs quàm dissolvatur Concilium.

In Seff. 41. ann. 1417. die 8. Novembris.

Præside adhuc *Joanne Cardinali Ostiensi*, post lectam Clementis VI. constitutionem de forma à Cardinalibus in Conclavi existentibus, super electionem Pontificis observanda, post præstita juramenta per eamdem requisita, Cardinales Concilio præsentes numero 20. unà cùm 3. aliis electoribus è 5. nationibus ad id designatis, Conclave sunt ingressi, & tertio post die, hoc est, Novembris undecimo, & S. Martino sacro, electus est in summum Pontificem *Otho Columna* Cardinalis Diaconus, sumptoque Martini nomine, dictus est *Martinus V.*

Et post clandestinum *Ioannis XXIII.* à Concilio discessum electus est *Martinus V.* sess. 41.

In Seff. 42. die 28. Decembris.

Cœpit Concilio præesse Martinus V. jam cum omnium plausu, die 21. Novembris coronatus. Nihil notatu dignum hac in sessione gestum, sed solùm liberantur Sigismundus, & Ludovicus Bavariæ Comes ab onere custodiendi Baltassaris de Cossa, anteà Joannis XXIII. nuncupati.

In Seff. 43. die 21. Martii.

Variæ fuere editæ constitutiones quoad Ecclesiæ reformationem, prout fuerat ex Concilii decreto statutum sessione quadragesima.

In Seff. 44. die 19. Aprilis habita ann. 1418.

Pro futuro œcumenico post quinquennium Concilio celebrando juxtà superiùs statutum, designata est civitas Papiensis.

In Seff. 45. & ultima, die 22. Aprilis ann. 1418.

Post omnia Concilii decreta fidei materiam spectantia, & conciliariter edita, à Martino V. Romano Pontifice confirmata & approbata, solutum est Concilium, & cuique permissus à Concilio discessus.

A R-

ARTICULUS XIX.

De Concilio Basileensi, anno 1431.

Sub Martino V. Rom. Pontifice, ad reformandos Fidelium mores, & compescendas Bohemorum seditiones & hæreses.

Brevis & historica Basileensis Concilii summa.

CUm in Constantiensi Concilio sess. 39. decretum esset, ut lapso post finem Concilii quinquennio, convocaretur aliud, & post illud finito septennio alterum, ac deinceps perpetuò de decennio in decennium generale haberetur Concilium, designareturque in fine, alterius proximè futuri Concilii locus; summus Pontifex *Martinus* hujus nominis V. qui Constantiensi præerat Concilio, de communi Patrum consensu, proximè futurum *Papiæ* celebrandum indixit alterum, debitoque tempore, hoc est, anno 1423. Prælatos, qui illud inchoarent, misit Sedis Apostolicæ nuntios; sed cùm pestifera lue inficeretur Papiensc cœlum, placuit Pontifici Concilium transferre *Senas*, ubi prima est habita sessio, in qua Vvicleffitarum & Hussitarum hæresum confirmata damnatio, cœptumque deinde de Græcorum cum Latinis unione tractari, missique sunt Constantinopolim ad Patriarcham & Imperatorem à Martino V. nuntii. Verùm cùm intempestivum esse hac de re tractatum respondisset Imperator, nihil conclusum; at solùm rem non deferendam, sed in tempus aliud reservandam esse decretum est, actumque posteà de reformandis Ecclesiæ moribus; & tandem ob exiguum Prælatorum numerum, & ingruentes undique bellorum procellas, sed maximè metu *Alfonsi* Aragoniæ Regis, aliorumque nonnullorum schisma renovare conantium, Senense Concilium dissolvit Martinus, aliudque septennio post, ex Constantiensi decreto, *Basileæ* celebrandum indixit; & re ipsa à Senensis Concilii fine, expleto septennio, *Julianum Cæsarinum* Cardinalem Diaconum S. Angeli, Legatum à latere misit, & Basileensis Concilii proximè futuri Præsidem instituit: mortuoque interim *Martino V.* ei suffectus *Eugenius IV.* Concilii indictionem ratam habuit, & ut eodem Juliano Legato Præside celebraretur, edixit anno 1431.

Cùmque jam ex universo orbe Latino ingens Patrum multitudo Basileam in dies conflueret, jamque inchoata Synodus, sub specie reformandi Ecclesiæ Fideliumque mores, de nonnullis iisque præcipuis cogitaret abolendis Romanæ Ecclesiæ privilegiis, Julianum revocare Legatum, & Concilium dissolvere decrevit *Eugenius*, aliudque post annum cum dimidio *Bononiæ* celebrandum indixit, ea potissimùm de causa, quòd incundæ Græcorum cum Latinis unioni, à Græcis electa commodior videretur *Bononia* quàm *Basilea*; seque illi cum Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adfuturum esse promisit, & alterum decennio post *Avenione* celebrandum edixit. Huic de dissolutione Basileensis Concilii decreto ab *Eugenio* lato fortiter restitere cum *Juliano* Cardinali Legato Basileensis Concilii Patres, asserentes Concilium legitimè congregatum, à nullo quavis auctoritate, etiamsi Papali fulgeat dignitate, posse dissolvi & aliò transferri nisi volens. Diu multùmque hoc in dissidio perseveratum est, donec tertio altercationis anno, hoc est anno 1434. dum haberetur Concilii sessio 16. allaborantibus per Legatos *Sigismundo* Imperatore, *Carolo VII.* Francorum

corum Rege, & aliis, Concilio satisfecit *Eugenius*, per nuntios *Tarentinum* Archipræsulem, & *Cerviensem* Episcopum ad Concilium missos cum literis, quibus latum de dissolutione Concilii decretum revocat, & quasi nullum fuisset pronuntiavit; Concilium Basileense ab initio fuisse continuatum, & deinceps continuandum esse declarat, seque ipsum cum omni devotione & fervore adjuturum esse promittit.

His ita compositis, & vicissim utrinque recisis decretis asperiùs latis, dum consentiente *Eugenio*, & præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis continuaretur Basileæ Synodus, & haberetur sessio 25. anno 1437. aliud inter ipsos Concilii Patres ortum est dissidium circa futuri Concilii locum, pro ineunda Græcorum cum Latinis unione. Duas in partes scissi, duo contraria tulere decreta; pars una ducibus Sedis Apostolicæ Legatis, cum multis Præsulibus aliis, proximè futurum Concilium *Florentiæ* vel *Utini* habendum esse dixit; altera, duce Ludovico Cardinali Arelatensi, *Basileæ* vel *Avenione*, aut in *Sabaudia* celebrandum esse decrevit. Decretum de electione Florentiæ confirmavit Eugenius, ea præcipua de causa quòd Florentia aptior esset locus, atque commodior; in quo juxta inita pacta cum Romano Pontifice præsente possent convenire Græci; istique parti ita adhæsit *Eugenius*, ut alterius spretis citationibus, minis, suspensionisque sententia in se lata, dicto in illam anathemate, de Cardinalium, Archiepiscoporum & Episcoporum consilio & consensu, Basileense Concilium Ferrariam transtulerit.

Ex quo œcumenicum esse desinens, Basileæque nihilominùs persistens Concilium, electo sibi in Præsidem *Ludovico* Cardinali Arelatensi, *Eugenium IV.* è Pontificatu deponit, illiusque depositione sic perperam attentata, *Amedeum* à Sabaudia, sub nomine Felicis V. ex eremita Pontificem eligit per 32. diversarum nationum viros ad hoc deputatos in sess. 39. anno 1439. continuatque sessiones suas sub Felicis Antipontificatu usque ad 45. dum interim Ferrariæ, & posteà Florentiæ sub Eugenio IV. legitimo Pontifice Concilium celebratur aliud. Tandem anno 1442. 17. Kalendas Junii, ad pacem Ecclesiæ dandam, suo se *Felix* abdicavit Antipapatu sess. 45. cujus sacri historica summa ut clariùs pateat, hìc breviter singulæ Concilii percurrendæ sessiones, quibus nulla auctoritas proptereà adhibenda, utpote nusquam à Romano Pontifice approbatæ.

In Sess. 1. anno 1431. die 14. Decemb. habita.

In Ecclesia Basileensi primaria, post celebratam Missam à *Philiberto* Constantiensi Provinciæ Rotomagensis Episcopo, & habitum sermonem à Sedis Apostolicæ Legato, his pro textu selectis Scripturæ verbis, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, lectum est Constantiensis Concilii decretum de celebrandis post lapsum quinquennii, aut septennii generalibus Conciliis; lectæ Bullæ Martini V. & Eugenii IV. de Concilio jam *Senis* inchoato, *Basileam* transferendo. Quibus peractis, monentur Concilii Patres, ut hæresum extirpationi, Christiani orbis paci, morumque reformationi sedulam impendant operam, utque de rebus in Concilio tractandis domi diu multùmque cogitent, & cogitata liberè Concilio proponant. Lecto insuper Concilii Toletani II. decreto de ordine in Conciliis servando, statutum est quomodo se singuli gerere deberent, quò dignioribus nihil præjudicii deberet oriri, si vel loco inconvenienti sederint, vel ordine

Cujus sessiones fuere 45.

dine præpostero suffragati fuerint. Confirmatum est posteà excommunicationis decretum à Constantiensi Concilio latum in eos, qui venientes ad Concilium impedirent, vel alia quacumque ratione sive venientes, sive præsentes Concilii Patres molestarent; constitutumque fuit, ut Beneficiarii, qui totius Ecclesiæ causa Concilio interfuerint, suorum Beneficiorum fructus, ac si præsentes essent, perciperent; tandemque Concilii Officiales electi sunt, hoc est, electi sunt Concilii Notarii, Notariorum Inspectores, Pomotores, & sedium Ordinatores.

In Sess. 2. anno 1432. 15. Kal. Martii.

Definitum est ac declaratum hanc Synodum esse ritè ac legitimè Basileæ congregatam, posteà innovata & confirmata Constantiensis Concilii decreta, de Concilii œcumenici potestate à Christo immediatè data, ejusque supra Papam auctoritate; actum est deinde de non impediendo Episcoporum ad Concilium accessu, ac de illicito ab eodem sine Patrum deliberatione & licentia discessu,

In Sess. 3. an. eod. 29. Aprilis,

In 3. quarum confirmatum decretum sessionis quartæ Concilii Constantiensis, unde Concilii dissolutionem decernit *Eugenius IV.*

Repetitis & denuò confirmatis Concilii Constantiensis de superioritate generalis Concilii supra Papam decretis, monetur & rogatur per Oratores à Concilio missos *Eugenius IV.* Concilii dissolutionem attentans, ut à prætensa Concilii dissolutione desistat; utque vel veniat ipse intra tres menses, vel Legatos cum plena potestate mittat. Monentur & Cardinales, ut intra idem temporis spatium, nisi fuerint impediti, veniant & ipsi, alioquin ut contumaces juxta juris ordinem puniendi.

In Sess. 4. an. eod. 14. Kal. Julii.

Bohemis, aliisque ad Concilium vocatis concessus est salvusconductus; Cardinalibus deinde ad Concilium vocatis vetitum est, ne si fortè durante Concilio Sedes Apostolica vacaret, alibi quàm in sacri Concilii loco fieret novi Pontificis electio; inhibeturque summo Pontifici, ne extra Concilii locum, Cardinales creare novos, aut eosdem à Concilio avocare præsumat,

In Sess. 5. an. eod. 10. Augusti.

Constituti sunt Judices & Officiales alii pro causis fidei, aliique negotiis deputati cum hoc mandato, ne ullius causæ judicium ultra tres menses protrahant; neve præsentes in Concilio ad Curiam Romanam, vel alio extra Concilii locum trahi seu evocari sinant.

In Sess. 6. ann. eod. 6. Septemb.

Concilii Promotores *Eugenii IV.* contumaciam accusarunt, quòd Concilii prætensam dissolutionem non revocasset, nec citatus per se vel per Legatos die præscripta comparuisset; accusarunt & absentium Cardinalium contumaciam; sed pro Romano Pontifice intervenientes nuntii Tarenti-

nus

nus & Colossensis Archiepiscopi & alii, Judicis incompetentiam allegarunt, & ad vitanda scandala, causam contra Pontificem & Cardinales differri postularunt, & de legitima Cardinalium absentia à quibusdam allegata, duobus Episcopis est inquisitio mandata.

In Seff. 7. an. eod. 6. Novemb.

Post renovatum decretum de non eligendo summo Pontifice extrà Concilii locum, terminus futuri Conclavis ingressus pro illius electione ad sexaginta dies est prorogatus, ob multorum Cardinalium absentiam; ipsisque contumaciter non venientibus Cardinalibus, Beneficiorum privationis imposita pœna.

In Seff. 8. an. eod. 18. Decemb.

Cùm Eugenius IV. nondum compareret, nec attentatam Concilii dissolutionem revocaret, illi iterùm sexaginta dies alii concessi, intra quos nisi obtemperet, futurum decernitur, ut sine ulteriori monitione contra eum juridicè procedatur, omnesque promotiones & ordinationes ab illo hoc intra tempus celebratas, irritas & nullas fore declaratur. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & cæteri sine mora ad Concilium venire jubentur, sub pœna privationis Beneficiorum, & præter Basileense generale universam repræsentans Ecclesiam, nullibi aliud simul haberi posse, nisi schismaticum & spurium. Bononiam, vel alium quemcumque petentes locum, Concilii celebrandi prætextu, excommunicationem & Beneficiorum privationem ipso facto incurrisse denuntiatur, & prohibetur ne Beneficia eorum qui Concilio intersunt, à Pontifice conferantur; alienationes demum, infeudationes, & impignorationes bonorum Ecclesiasticorum interdicuntur.

In Seff. 9. an. 1433. die 22. Januar.

Concilium, ut Sigismundum Imperatorem & Vuillelmum Bavariæ Ducem, aliosque Concilio adhærentes protegat, omnes processus, sententias, & dominiorum aut dignitatum privationes ab Eugenio tentatas rescindit & reprobat.

In Seff. 10. an. eod. 19. Februarii.

Rursus est accusata Eugenii IV. contumacia, petitumque eumdem ut contumacem à Concilio damnari, & decretum ut *Uticensis* & *Novariensis* Episcopi per literas valvis Ecclesiæ affixas inquirant, num is aut aliquis alius adesset, qui ejus nomine comparere vellet, & nemine comparente, deputati sunt qui Acta in Eugenium habita diligenter examinarent, & causæ statum Concilio referrent.

In Seff. 11. an. eod. 27. Aprilis.

1. Statutum, ut Romanus Pontifex per se, vel per Legatos de consilio & consensu duarum partium Cardinalium eligendos, Conciliis generalibus

cum

cum omnibus aliis Ecclesiasticis qui de jure tenentur, sub pœna suspensionis & depositionis intersit. 2. Statutum est, ut non obstante quacumque etiam Romani Pontificis prohibitione, omnibus etiam Cardinalibus liber sit ad Concilium aditus. 3. Declaratum est, hoc præsens Basileense Concilium à nullo, etiamsi Papalis existat dignitatis, dissolvi aut aliò transferri posse, nisi de expresso ipsius Concilii consensu; & tandem conclusum est, ut Cardinales ante Conclavis ingressum jurent, quòd si quis eorum fuerit electus Pontifex, hæc decreta servari curet.

In Sess. 12, an. eod. 13. Julii.

Iterùm accusata est Eugenii IV. contumacia, variaque inspersa à Patribus convitia; & licèt essent in eum pronuntiare parati, tamen ad *Sigismundi* Imperatoris instantiam, ei tertia concessa dierum sexaginta dilatio, intra quam nisi obtemperet, Concilii dissolutionem revocet, decreta in eo facta approbet, & legitimè inchoatum ac continuatum esse declaret, ipsum ut contumacem ab omni administratione Papatus ipso facto suspendunt, & suspensum esse declarant. De sacris electionibus actum est posteà, electiones simoniacæ irritæ sunt declaratæ, & pro electionis confirmatione ne quid exigat Summus Pontifex, vetitum.

In Sess. 13. an. eod. 11. Septemb.

Post rursus accusatam Eugenii IV. contumaciam, quòd intra præscriptum 60. dierum spatium Concilio non paruerit, illi nihilominus adhuc indultum est 30. dierum spatium, instante Vvillelmo Bavariæ Duce Concilii protectore, ipsoque per Legatum Imperatore rogante.

In Sess. 14. an. eod. 7. Idus Novemb.

Sigismundo Imperatore rogante, dierum spatium Eugenio jam toties concessum prorogatur, eique formula adhæsionis præscribitur, qua compariturus acta Synodalia confirmet, & quidquid ipse contra Synodum, eique adhærentes dixit vel constituit, revocet & irritet; eaque lege futurum promittitur, ut omnes *Eugenium* ut legitimum Petri successorem venerentur & audiant.

In Sess. 15. an. eod. 6. Kal. Decemb.

Statutum est, ut semel in anno ab Episcopo Diœcesana celebretur Synodus; Provinciale verò Concilium, cui Archiepiscopus cum suffraganeis sub pœna suspensionis interesse teneatur, intra biennium à fine Concilii generalis, & deinceps ad minus quolibet triennio.

In Sess. 16. an. 1434. Nonis Feb.

Sed post 2. altercationis annos & 15. sessiones habitas, de- Tandem Eugenius IV. per Literas bullatas à Joanne Tarentino Archipræsule, & Christophoro Cerviensi Episcopo delatas, Concilii postulatis satisfecit, Concilium Basileense ab initio continuatum fuisse, & deinceps continuandum esse declarans, ejusque dissolutionem, ac si nulla fuisset, irri-

irritans, seque Concilium idem cum omni devotione & fervore adjuturum spondens, literas in præjudicium Concilii promulgatas, processus censurarum, privationum & suspensionum cassans ac revocans, læsosque omnes in integrum restitui mandans: ex quo *Eugenium*, hoc Basileense Concilium ad 16. usque sessionem, ut legitimum & œcumenicum agnovisse constat, etsi eum non omnia Concilii decreta approbasse teneant Ultramontani cum Joanne de *Turrecremata* Cardinali. ...cretum de dissolutione Concilii revocat Eugenius IV.

In Sess. 17. an. eod. 6. Kal. Maji.

Præsentibus *Sigismundo* Imperatore, Ducibus quampluribus, centumque Prælatis mitras albas in capite gestantibus, post admissos quinque Pontificis Legatos ut Concilii Præsides, videlicet *Nicolaum* sanctæ Crucis Cardinalem Presbyterum, *Julianum* S. Angeli Cardinalem Diaconum, *Joannem* Archipræsulem Tarentinum, *Petrum* Episcopum Paduanum, & *Ludovicum* S. Justinæ Abbatem, actum est de modo procedendi, videlicet quòd feria 6. sit conveniendum, Præsidisque absentiam Prælatus in ordine sequens supplere teneretur.

In Sess. 18. an. eod. 6. Kal. Junii.

Renovata sunt duo Sessionum 4. & 5. Constantiensis Concilii decreta, in quorum primo declaratur, *Concilium generale potestatem à Christo immediatè habere talem, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiam Papalis, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris*; & in quorum altero dicitur, *quòd non obedientes mandatis hujus sanctæ Synodi, aut alterius cujuscumque Concilii generalis legitimè congregati ...... debitè puniantur, cujuscumque status & dignitatis, etiamsi Papalis existant.*

In Sess. 19. an. eod. 7. Idus Septemb.

Actum est de loco Concilii, pro ineunda Græcorum cum Latinis unione celebrandi; & conventum est, quòd si Basileam adduci non possent Græci, aliquis alius ab iis, maritimis oris vicinus eligeretur locus, ad quem post mensem unum à Græcorum adventu, tenerentur se conferre Basileensis Concilii Patres. Statutum est deinde, ut Judæi infidelesque alii ad verbi Dei prædicationem audiendam compellantur, & observetur Viennensis Concilii decretum de docendis, discendisque linguis Hebraica, Arabica, Græca, & Chaldaica. Renovata posteà anteriora Conciliorum decreta, quibus communicatio cum Judæis in fide, moribus, victu, potu & commercio interdicitur Christianis; constitutumque, ut separato habitationis loco, distinguerentur & habitu Judæi.

In Sess. 20. an. 1435. 11. Kal. Feb.

Clerici concubinarii publici à perceptione fructuum tribus mensibus declarantur suspensi; & si concubinam statuto tempore non dimiserint, omnibus beneficiis ipso facto privati; similiter & illi, qui mulierem de incontinentia suspectam moniti non dimiserint; & ne hujusmodi viri in suo

suo turpi & infami persistant commercio, pecuniaria mulcta puniri prohibentur, filiisque ex concubinatu genitis apud patrem habitare non permittitur.

In Sess. 21. an. eod. 9. Junii.

Annatæ pro Beneficiorum collatione, electionum confirmatione, postulationum admissione, aut pro præsentatione datæ, reprehenduntur ut Simoniacæ; pacificam per triennium Beneficii possessionem turbari non posse decernitur. Horas Canonicas modestè, graviter & devotè cantare, Clericisque cum tunica talari, & superpelliceis mundis medias ultra tibias longis, omni confabulatione semota, choro interesse jubetur; & qui ad Matutinas post *Venite exultemus*, ad Missam post ultimum *Kyrie*, ad reliquas horas post primum *Psalmum* venerit, vel non admittatur, vel saltem velut absens habeatur, & vagantes per Ecclesiam totius diei præsentia careant. Quoscumque etiam alibi Beneficiarios, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc sancta Synodus, ut sive soli sive associati diurnum nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis peragant, & tali in loco, unde à devotione non retrahantur.

In Sess. 22. an. eod. Idibus Octob.

Libellus *de Christo & Ecclesia*, Augustini de Roma Ord. Eremitarum S. August. & *Nazareni Archipræsulis* damnatus est, ob ea quæ continebat in fide non sana dogmata, præsertim istud, *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit*; quamvis id non de Christi persona intelligeret, sed de membris ejus, quæ cum Christo capite unum Christum esse docebat.

In Sess. 23. an. 1436. 8. Kal. Aprilis.

Renovata sunt de Romani Pontificis electione decreta; videlicet, ut decima post obitum die Conclave Cardinales ingrediantur, & duos famulos, Clericosque dumtaxat duos secum adducant, victualia à cubiculis præter medica amoveantur omnia, singulis diebus deferantur necessaria, sed epistolæ nullæ: digniorem se electuros in Papam juramento promittant; electus teneatur consentire, fidei professionem admittere, Conciliorumque generalium omnium observantiam polliceri, Schisma tollere, Ecclesiæ libertatem fovere, Curiam suam reformare, & Ecclesiæ ditiones fideliter regere. Statutum est insuper, ne Papa consanguineum, vel affinem ad tertium usque gradum inclusivè, Ducem, Marchionem, Feudatarium urbis alicujus, aut Provinciæ Præsidem sive gubernatorem constituat; & numerus denique eligendorum Cardinalium ad 24. determinatus, eaque lege, ut nullus eligeretur, qui Papæ, vel aliorum Cardinalium esset consanguineus; sed ut essent omnes ætate maturi, moribus graves, & in Theologia, vel in jure Doctores vel Licentiati.

In

In Seff. 24. an. eod. 8. Kal. Maji.

Pacta cum Græcorum Imperatore, & Patriarcha Constantinopolitano per Legatos Constantinopolim missos, inita de Concilio in Occidente, & in maritima aliqua Italiæ civitate celebrando, pro unione cum Græcis ineunda, approbata sunt & confirmata, tempusque pacta complendi, ad annum prorogari decretum: salvusconductus Græcorum Imperatori, Patriarchæ, aliisque 700. personis oblatus, plenariæ indulgentiæ concessæ iis omnibus, qui tantum ad subsidia Græcis ad Concilium venturis necessaria contribuerent, quantum quisque solet per unius hebdomadæ spatium pro sua sustentanda familia consumere.

In Seff. 25. an. 1437. Nonis Maji.

Et in 25. Sessione orto inter Patres dissidio novo, duas in partes scissum est Concilium, & œcumenicum esse desiit.

Orto inter Patres dissidio de futuri Concilii loco, pro ineunda Græcorum cum Latinis unione, duas in partes scissum est Concilium. Duo opposita edita decreta; pars una, ducibus Sedis Apostolicæ Legatis, multisque Præsulibus aliis, *Florentiam*, vel *Utinum* pro futuri Concilii loco selegit; pars altera, *Ludovico* Cardinali Arelatensi duce, *Basilea* vel *Avenione*, aut in *Sabaudia* præfatum pro Græcorum unione Concilium celebratum iri decrevit; & pro sumptibus Græcorum subsidio necessariis, omnibus cujuscumque dignitatis personis Ecclesiasticis decimam suorum omnium redituum partem solvendam imposuit; sed decretum prioris partis de electione *Florentiæ*, vel *Utini* approbavit Eugenius IV. quòd alia ab aliis nominata loca essent Græcis incommoda, & contra ea quæ fuerant cum iis inita pacta; & inde nova inter hoc Basileense Concilium vel Concilii partem, & Eugenium discordia.

In Seff. 26. an. eod. pridie Kal. Aug.

De multis criminibus immeritò accusatus *Eugenius*, ad sexagesimum diem unà cum Cardinalibus iterùm est citatus.

In Seff. 27. an. eod. 6. Kal. Octob.

Absenti à Concilio Eugenio Pontifici nova interdicitur Cardinalium electio, & aliæ ab eo anteà contra Concilii decretum factæ, nullæ declarantur & irritæ, similiter & Bullæ de electione *Florentiæ*, vel *Utini* pro celebratione Concilii; eique vetita civitatis Avenionensis alienatio, vel impignoratio; illam enim ad subveniendum Græcis necessario subsidio, Eugenium vendere decrevisse murmur erat.

In Seff. 28. an. eod. Kal. Octob.

Concilii Promotoribus de contumacia accusantibus *Eugenium*, quòd intra præfixum sexaginta dierum spatium non comparuisset, ter per duos Episcopos alta voce citatus, ex ambone declaratus est absens; contra ipsum ut contumacem ulteriùs procedendum esse decretum. Verùm eodem ipso die Octobris primo, quo hæc habita est Sessio, Concilium hoc Basileense, de

Cardinalium aliorumque Præsulum numero multorum consilio & consensu, *Ferrariam* transferre decrevit *Eugenius*, speciali diplomate *Bononiæ* dato. Unde Concilium hoc hucusque legitimum, œcumenicum & ab Eugenio confirmatum, ex hoc translationis decreto legitimum & œcumenicum esse desiit; quia ab hac translatione, eodem tempore generale Concilium habebatur *Ferrariæ* primò, deinde *Florentiæ*, in quo aderant Præsules numero multi, ipseque ut Concilii Præses summus Pontifex *Eugenius IV.* cùmque istud Ferrariense, seu Florentinum vulgò dictum, sit pro œcumenico receptum, & duo simul haberi nequeant œcumenica Concilia, Concilium Basileense consequenter à sua Ferrariam translatione œcumenicum esse desiit; imò à vigesima quinta Sessione, quia duas in partes scissum, Ecclesiam universalem non sufficienter repræsentasse, ac proinde nec œcumenicum ab eo tempore dicendum esse constat. Unde est, quòd ea, quæ post vigesimam quintam Sessionem fuere deinceps ab eo in Sessionibus 26. 27. & 28. contra *Eugenium* decreta, fuere ab ipso *Sigismundo* Imperatore, aliisque non paucis Christianis Principibus improbata.

In Seff. 29. an. eod. 4. Idus Octob.

Una Concilii pars transfertur Ferrariam cum *Eugenio IV.* altera remanet Basileæ.

A remanentibus Basileæ prætensa Concilii solutio, ejusque Ferrariam translatio declarantur irritæ. Præcipitur *Eugenio* sub pœna suspensionis & depositionis, ut intra quatuor menses resipiscat, conatibus desistat, & Concilii transferendi Bullas revocet, inhibeturque sub pœna excommunicationis, beneficiorum, dignitatumque privationis, ne quis Eugenii mandatis obtemperet, à Concilio recedat, & Ferrariam se transferat.

In Seff. 30. an. 1438. Kal. Januarii.

Declaratum est Laicos, Clericosque non Sacerdotes, ad communionem sub utraque specie non astringi.

In Seff. 31. an. eod. Kal. Februarii.

Decretum est 1. ut causæ litigantium ultra 4. diætas à Romana Curia distantium, in locis ubi exortæ sunt agitentur, *exceptis majoribus in jure expressè enumeratis*. 2. Ut appellationes frivolæ ad Sedem Apostolicam interjectæ rejiciantur, & causæ ad Romanam Curiam devolutæ, non *Ferrariæ* apud Eugenium, sed *Basileæ* hanc apud Synodum judicentur. 3. Ne Pontifex Romanus ulli deinceps, quacumque ex causa, gratias expectativas, vel reservationes beneficiorum conferat; viris verò literatis & graduatis certo ordine & modo beneficia conferantur Ecclesiastica, & in qualibet Cathedrali instituatur Theologus, qui bis aut semel in hebdomada lectionem habeat. 4. Denique ab omni Pontificatus administratione in spiritualibus & temporalibus ut contumax suspenditur *Eugenius IV.* & Pontificatus administratio ad Concilium devoluta decernitur: ex quo *Julianus Cardinalis*, Sedis Apostolicæ Legatus, & Concilii Præses à Concilio discedens, se ad Eugenium Ferrariam contulit; cujus in locum deinceps sequentibus Sessionibus Basileæ habitis præfuit *Ludovicus* Cardinalis Arelatensis.

In

In Seff. 32. an. eod. Kal. Aprilis.

A parte Basileæ remanente damnatur *Ferrariense* Concilium cum ipso *Eugenio* Concilii Præside.

Concilium *Ferrariense* damnatur, & cum ipso *Eugenio* Concilii Præside, ei quicumque interessent, excommunicantur.

In Seff. 33. an. 1439. 17. Kal. Junii.

Tres istæ propositiones, quas fidei veritates perperam dixere, fuere definitæ; quarum

1. Est quòd Concilium generale universalem repræsentans Ecclesiam, sit supra Papam, & quemlibet alterum.
2. Quòd Papa non possit Concilium legitimè congregatum, sine ejus consensu dissolvere, vel ad tempus aliud prorogare, vel de loco in locum transferre.
3. Qui has propositiones pertinaciter impugnat, hæreticus est.

In Seff. 34. an. eod. 7. Kal. Julii.

In Seff. 34. attentata est Eugenii IV. depositio, & assignata novi Pontificis electio ad sexagesimũ à depositione diem.

In Eugenium IV. tanquam notoriè contumacem, Ecclesiæ præceptis inobedientem, Synodalium Canonum transgressorem, unitatis Ecclesiæ perturbatorem, simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, à fide devium, & jurium ac bonorum Ecclesiæ proditorem attentata est depositionis sententia, & omnibus ei deinceps ut Pontifici, sub pœna hæreseos & beneficiorum privationis obedire vetitum.

In Seff. 35. an. eod. 6. Idus Julii.

Declaratum est, juxta Sessionis undecimæ decretum, Concilium minimè dissolvi posse, etiam per cujuscumque recessum, nisi de ipsiusmet Concilii Patrum consensu, & insuper assignata novi Pontificis electio, post sexagesimum depositionis diem.

In Seff. 36. an. eod. 11. Kal. Octobris.

Sententia de immaculata B. V. Deiparæ Conceptione, declarata est pia, sancta, cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, sanctæ Scripturæ consona, ideòque tenenda; & altera ei contraria prædicari, vel doceri vetita, & ejusdem sanctæ Conceptionis festivitas sexto Idus Decembris celebrari jussa.

In Seff. 37. an. eod. 9. Kal. Novemb.

De variis ad futuram novi Pontificis electionem spectantibus actum est, & statutum ne Sede vacante, aliter quàm per Concilium Pontifex eligatur, nec ante sexagesimum vacationis diem; habeaturque pro Pontifice ille, quem duæ suffragantium Cardinalium partes elegerint. Constitutum pariter est, ut electores omnes ante Conclavis ingressum Eucharistiam sumant, & juramentum juxta decretum 23. Sessionis emittant; & ut electus se Catholicum semper fore, Concilia generalia observaturum, hæreses extirpaturum, inchoatum Concilium hoc continuaturum promittat.

In Sess. 38. an. eod. 3. Kal. Novemb.

Post damnatum Eugenii IV. libellum, quo Concilii facta translatio defendebatur, & debitis Ecclesiæ censuris perstringebantur Basileensis Concilii Patres, statutum est, defunctis Ecclesiarum & Cœnobiorum Prælatis, ad futuri successoris electionem absentes non esse expectandos, nec ultra duas diætas distantes vocandos, & deinde ad proximam novi Romani Pontificis electionem in locum Eugenii, designati sunt 32. diversarum nationum viri, qui soli cum Ludovico Alemando Arelatensi Archiepiscopo, S. Cæciliæ Cardinali, Concilii Præside, & solo de Cardinalium Collegio pro Concilio contra Eugenium stante, proximè sequenti Sessione Pontificem eligerent.

Et in Sess. 39. promulgata est electio *Felicis V.* antea Amedei Sabaudiæ Ducis.

In Sess. 39. an. eod. 15. Kal. Decemb.

Promulgata est, & à Concilii Patribus approbata & confirmata *Amedei* Sabaudiæ Ducis, tunc in Ripalliæ secessu solitariè degentis, in Pontificem electio, facta ab Arelatensi Cardinali, aliisque 32. diversarum nationum viris septima die, quintoque scrutinio post eorum in Conclave conventum.

In Sess. 40. an. 1440. 4. Kal. Martii.

Magnis precibus per Legatos obtentus, publicatus est Amedei in sui electionem consensus, impositoque illi Felicis V. nomine, ei soli obedire universis Christi fidelibus præceptum, cassatis & annullatis iis omnibus quæ ab Eugenio IV. contradicente prodire possent.

In Sess. 41. an. eod. 10. Kal. Aug.

Sententia ab Eugenio IV. contra Felicem V. cæterosque ei adhærentes Concilii Patres promulgata, unà cum insertis calumniis, comminationibus & convitiis, nulla declaratur & irrita; damnaturque ut libellus famosus, schismaticus & hæreticus.

In Sess. 42. an. eod. pridie Nonas Aug.

Actum est de assignando Felicis Papæ subsidio, & ei assignatus est ad quinquennium quintus Ecclesiasticorum omnium proventuum denarius, & finito quinquennio, decima eorumdem bonorum pars ad aliud quinquennium decreta; & collectoribus vetitum, ne quid ultrà pro suis laboribus exigant, contentique sint salario sibi ex Camera Felicis assignando.

In Sess. 43. an. 1441. Kal. Julii.

Ad turbas Ecclesiæ sedandas, pacemque inter fideles intercessione Deiparæ Virginis impetrandam, latum est decretum pro festo *Visitationis B. Mariæ Virginis*, sexto Nonas Julii annuatim celebrando.

In Seff. 44. an. eod. 5. Idus Aug.

Statuitur, eos qui occafione hujufce Bafileenfis Concilii, fuerint apud Eugenium IV. fuis Beneficiis fpoliati, in integrum reftituendos effe, detentorefque dejiciendos, implorato, fi opus fit, brachii fæcularis auxilio.

In Seff. 45. an. 1442. 14. Kal. Julii.

Pro loco futuri Concilii graviffimis de caufis poft triennium ab hac die computandum celebrandi, nominatur Lugdunum; nec tamen fe hoc Bafileenfe Concilium diffolvere velle, fed potiùs continuare declarant Concilii Patres. Quòd fi Bafileæ illud continuare quid obftet, nominatur Laufana, ejufdem Bifuntinæ Provinciæ civitas, ad quam declaratur translatum, & ibi re ipfa deinceps nonnullæ funt habitæ feffiones; fed in quibus nihil aliud memorabile geftum, præterquam quòd *Felix* Antipapa ad pacem Ecclefiæ dandam, Friderici Imperatoris hortatu, fuo fe lubens abdicavit Antipapatu, & fuum paulò pòft rediit in Ripalliæ fecesffum.

ARTICULUS XX.

De Concilio Florentino, anno 1438.

Sub Eugenio IV. Rom. Pont. pro damnandis Græcorum erroribus, & uniendis iifdem cum Ecclefia Latina Græcis.

EX eo tempore, quo poft 25. Seffionem œcumenicum effe defiit Bafileenfe Concilium, & duas in partes fcindi, quarum una remanente *Bafileæ*, & altera cum *Eugenio IV.* & Eugenii IV. decreto *Ferrariam* translata, aliud pro Græcorum cum Latinis unione, *Ferrariæ* cœpit haberi Concilium, anno 1438. ad quod vocatis de jure vocandis, venere Imperator ipfe *Palæologus*, & Jofephus Patriarcha Conftantinopolitanus, variique Præfules alii, tum Græci, tum Latini, numero 141. Quo in Concilio Ferrariæ fic congregato, fexdecim funt habitæ feffiones; fed tandem ob diriùs graffantem Ferrariæ peftem, rurfus Ferraria *Florentiam* translatum eft Eugenii decreto Concilium, ubi poft novem alias feffiones habitas feliciter conclufum, unde & *Florentinum* vulgò dictum, licèt tam Ferrariæ quàm Florentiæ Synodica gefta complectens.

Brevis & hiftorica fumma Concilii Florentini.

Acta Synodica Ferrariæ.

Per 16. feffiones *Ferrariæ* celebrati.

Cùm Joannes Palæologus Orientis Imperator, & Jofephus Conftantinopolitanus Patriarcha Ferrariam appuliffent, eofque debito cum honore Summus Pontifex Eugenius IV. unà cum Cardinalibus excepiffet, donec ritu folemni inchoaretur Synodus; & interim ne fruftrà flueret præfixum abfentibus tempus, petentibus & confentientibus Græcis, *de Purgatorio & de Beatitudine* multiplex eft habita privata collatio: fed tandem ingravefcente Ferrariæ pefte, folemnes haberi cœperunt & acceletari Seffiones.

In 1. Sess. die 8. Octobris habita.

Magnus Bessarion Nicænus Archiepiscopus, Græcorumque doctissimus elegantem ad Patres sermonem habuit.

In 2. Sess.

Andreas *Rhodi* Archipræsul non minùs eleganter perorans, Summi Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ, & Synodi laudes celebravit.

In 3. seqq. ad 15.

Variæ inter Latinos & Græcos disputationes habitæ more dialectico, de 5. punctis præcipuis inter hos & istos controversis; videlicet 1. De processione Spiritus sancti à Patre & Filio. 2. De additione particulæ *Filioque* ad Symbolum. 3. De azymi vel fermentati panis usu, pro materia sacrificii. 4. De Purgatorio. Et 5. de Romani Pontificis Primatu.

In 16. Sess.

Ob magis ingravescentem Ferrariæ pestem, editum est de Concilio Ferraria Florentiam transferendo decretum.

Acta Synodica Florentiæ.

In Sess. 17. die 26. Feb. anno 1439.

Sed *Florentiæ* per 9. sessiones alias feliciter conclusi, ob grassantem Ferrariæ pestem.

Conclusum est, ut Græci privatim inter se convenirent de modo ineundæ concordiæ & unionis, quem in Sessione proximè futura proferrent.

In Sess. 18. & sequentibus usque ad 25.

Continuatæ sunt disputationes de processione Spiritus sancti à Patre & Filio, & de additione particulæ *Filioque*, & tandem feliciter conclusum, ex sententia etiam Græcorum, Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, ritèque additam fuisse Symbolo particulam *Filioque*: Sicque suos deponentes errores, cum Latinis convenere Græci de processione Spiritus Sancti, cæterisque ferè omnibus controversis capitibus. Cum tamen de panis transubstantiatione suorum sententiæ inhæsisset, subitoque correptus morbo, mortem imminere sibi sentiret *Josephus Patriarcha* Constantinopolitanus, statim fidei confessionem scripsit, qua se per omnia cum Romana Ecclesia sentire testatur; quem imitati idem postea cæteri fecere Græci: ex quo secutum est decretum unionis, seu definitio, sive literæ unionis utriusque Ecclesiæ, continentes definitionem à 12. selectis viris Græcè simul & Latinè conscriptam; & tandem die 6. Julii anno Domini 1439. publicè post solemne sacrum lectæ sunt, & Synodi Patrum subscriptionibus approbatæ.

De-

Decretum unionis Græcorum.

In quo decreta est Græcorum cum Latinis unio.

Iftud Græcorum cum Latinis unionis decretum, feu literæ unionis vulgò dictæ, five definitio œcumenicæ Florentinæ Synodi pro Græcorum cum Latinis unione, cujus initium eft:

Lætentur Cœli, & exultet terra: fublatus eft enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclefiam, & pax atque concordia rediit, &c. quatuor continet Synodi decreta pro Græcis.

1. Eft quòd Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedat; quòdque particula *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceffitate rationabiliter fit addita Symbolo.

2. Quòd five in azymo, five in fermentato pane triticeo Corpus Chrifti veraciter conficitur; Sacerdotefque debere in alterutro ipfum Domini Corpus conficere, unumquemque fcilicet juxta fuæ five Occidentalis, five Orientalis Ecclefiæ morem.

3. Quòd animæ in charitate decedentes, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiffis fatisfecerint, pœnis purgatoriis poft mortem purgentur, eifque profint vivorum fuffragia.

4. Quòd Romanus Pontifex in univerfum orbem teneat primatum; quòd fit verus Petri Succeffor, & Chrifti Vicarius, totiufque Ecclefiæ caput, &c.

Decretum Eugenii IV. pro Armenorum unione.

Finitoque Concilio fecuta eft Armenorum unio, Eugenii decreto.

Cùm poft aliquot dies à Græcorum cum Latinis unione, veniffent Armenorum Patriarchæ Legati, petentes & ipfi unionem rectamque fidei regulam, benignèque fuiffent recepti, & per viros peritiffimos ad hoc deputatos, de fua fide diligenter interrogati, variifque difputationibus, collocutionibus & tractatibus probati, tandem eorum cum Latinis decreta feliciter unio; quæ ut firmiter duraret, & in fide Catholica non ampliùs hæfitaret per Septentrionem & Orientem in magna copia diffufus Armenicus ille populus, orthodoxæ fidei compendium ei tradidit Eugenius hoc in decreto, anno 1439. die verò decimo Kalendas Decembris, incipitque fic:

Exultate Deo adjutori noftro, jubilate Deo Jacob omnes qui ubique nomine cenfemini Chriftiano. Ecce enim iterùm recordatus Dominus mifericordiæ fuæ, alium diffidii lapidem, nongentis & ampliùs inveteratum annis, de Ecclefia fua auferre dignatus eft; & qui facit concordiam in fublimibus, & per quem in terra pax eft hominibus bonæ voluntatis, optatiffimam Armenorum unionem fua ineffabili miferatione conceffit benedictus Deus, & Pater Domini noftri Jefu Chrifti, Pater mifericordiarum, & Deus totius confolationis, qui confolatur nos in omni tribulatione noftra, &c. Quo in decreto, inftruuntur Armeni fummatim & breviter de orthodoxa Fide, quam fequi debent, & quam Romana fequitur Ecclefia; &

1. Traditur eis tenendum Symbolum Fidei Conftantinopolitanum, cum additione particulæ *Filioque*, & cum obligatione iftud cantandi inter Miffarum folemnia.

2. Definitio Concilii Chalcedonenfis in quinto & fexto Concilio renovata, de duabus in una Chrifti perfona naturis.

K 4 3. De-

3. Definitio de duabus Christi operationibus in præfato sexto Concilio promulgata.

4. Declaratur eisdem Synodum Chalcedonensem & B. Leonem sanctè & rectè veritatem de duabus Christi naturis definiisse, contra Nestorii & Eutychetis dogmata; cæterasque universales Synodos, auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, ab eis suscipi mandatur.

5. Veritas Sacramentorum, seu Ecclesiæ Romanæ de Sacramentis doctrina, in formula quadam redacta traditur.

6. Compendiosa Fidei regula per beatissimum Athanasium edita, seu Symbolum S. Athanasii, videlicet, *Quicumque vult salvus esse*, præbetur ipsis.

7. Librorum sacrorum catalogus eis declaratur, seu qui sint Libri Canonici in Ecclesia recepti notatur.

8. Forma consecrationis Corporis & Sanguinis Christi tenenda traditur.

9. Contra quorumdam quartas nuptias damnantium errorem, declaratur quartas nuptias & ulteriores valere, modò non obstet impedimentum; quæ, & cætera Romanæ Ecclesiæ dogmata lubenter & humiliter amplexi sunt & ipsi Armeni, sicque feliciter consummata illorum cum Ecclesia Romana unio, quam deinde subsecuta est Jacobitarum reconciliatio, hoc est, unio Orientalium aliorum adhærentium Jacobo Zanselo viro natione Syro, Eutychetis & Dioscori dogmata sequenti.

Decretum Eugenii IV. pro Jacobitarum unione.

Cui accessit decretum alterum pro Jacobitarum unione.

Consummata *Græcorum* & *Armenorum* cum Latinis unione, Andreas Monasterii S. Antonii in Ægypto Abbas, & Orientalium *Jacobitarum* Patriarchæ Legatus, Florentiam ad Eugenium venit, ut suo Jacobitarumque omnium nomine, eamdem peteret & iniret cum Romana Ecclesia unionem; quod & feliciter egit anno 1441. pridie Nonas Februarii, & ea de causa decretum edidit aliud Eugenius IV. quod sic incipit:

Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annuntiate hæc in universa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quoniam in medio tui Sanctus Israel. Cantare profectò, & exultare in Domino decet Ecclesiam Dei pro hac grandi magnificentia, & gloria nominis sui, quam hodierna die clementissimus Deus operari dignatus est.

Ecce enim nondum exacto triennio, in hac sancta æcumenica Synodo saluberrimam trium magnarum nationum unionem Dominus noster Jesus Christus, pro sua infatigabili pietate, ad commune perenneque totius Christianitatis gaudium tam copiosè effecit. Unde actum est, ut totus ferè Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parva Septentrionis portio, post longa dissidia cum sancta Romana Ecclesia in eodem fidei & charitatis vinculo convenerint: primùm etenim Græci & hi qui subsunt quatuor Patriarchalibus sedibus, multas gentes, nationesque, & idiomata continentibus; deinde Armeni multorum populorum gens; hodie verò Jacobiti, magni etiam per Ægyptum populi, sanctæ Sedi Apostolicæ uniti sunt, &c. Decretum autem illud pro Jacobitarum unione ac instructione, eadem continet compendiosè fidei Catholicæ capita, quæ decretum pro instructione Armenorum, & dicitur vulgò decretum *Eugenii*, sicut & decretum pro Armenis.

Dices. Cur decretum illud pro *Armenis* dicatur decretum Eugenii IV. sim-

ſimpliciter, & non decretum ſeu definitio Concilii Florentini? Reſp. ideò ſic dici, quia re ipſa non eſt editum à Concilio Florentino, ſed ab Eugenio IV. poſt Græcorum diſceſſum, & jam ſoluto Concilio; ſolutum enim fuit Concilium & concluſum an. 1439. pridie Nonas Julii. Iſtud autem pro *Armenis* decretum editum quidem eſt an. 1439. ſed longè pòſt, decimo nempe Kalendas Decembris. Magnæ tamen eſt auctoritatis decretum illud apud omnes, licèt non ſit Concilii Florentini œcumenici, quia ab univerſa probatum & receptum Eccleſia.

Inſtabis. Dum in Concilio *Tridentino* probaret olim Epiſcopus Clodienſis, Bullam unionis *Jacobitarum* non eſſe Concilii Florentini, ex eo quòd Concilium Florentinum finitum eſſet an. 1439. quo facta eſt Græcorum unio, & Bulla unionis Jacobitarum data eſſet an. 1441. Ad hoc reſpondit Cardinalis à Monte dicens: *Allucinari eos, qui putant finem Concilii Florentini eſſe unionem Græcorum, cùm longè pòſt, per tres ſcilicet ferè annos perduraverit, uſque videlicet ad annum 1442. quo anno 6. Kalendas Maji celebrata ſeſſione translatum eſt Romam.* Id ita eſſe conſtat ex Actis Concilii Tridentini, in arce S. Angeli ſervatis; ergo durabat adhuc Florentinum Concilium, dum editum eſt decretum unionis Jacobitarum; ergo & à fortiori, dum editum eſt pro Armenis decretum longè anterius. Reſp. permiſſo antecedente, negando conſequentiam; quia potuit poſt Græcorum diſceſſum & unionem, perſeverare Concilium, & dici Florentinum, quia Florentiæ habitum; ſed non œcumenicum, quia non univerſam repræſentans Eccleſiam, ſed Eccleſiæ partem dumtaxat unam, videlicet Occidentalem, non Orientalem, quæ cum Græcis receſſerat, & nullus remanſerat Orientalis Patriarcha, nec Patriarchæ Legatus. Ad hoc autem ut œcumenicum dici poſſit Concilium, & univerſam repræſentare Eccleſiam, requiritur ut in eo ſint vel per ſe, vel per Legatos, Orientalis Eccleſiæ Patriarchæ, ſi Catholici ſint: unde eſt quòd in ſeptimo Concilio œcumenico, actione 6. declaratum fuit Conſtantinopolitanum Concilium ſub Copronymo Imperatore contra ſacras Imagines habitum, non fuiſſe œcumenicum, quia in eo defuerant Patriarchæ. Unde pariter eſt, quòd in octavo œcumenico Concilio, Nicæno videlicet II. actione 9. cùm Legatus Alexandrini Patriarchæ adveniſſet, gaviſi ſunt Concilii Patres gaudio magno, dicentes: *Glorificamus Deum, qui, quod deerat univerſali Synodo, ſupplevit.*

Urgebis. *Eugenius IV.* tradens hoc unionis decretum pro *Jacobitis* anno 1441. pridie Nonas Februarii, dicit expreſsè ſe illud tradere, *ſacro approbante œcumenico Concilio Florentino*; ergo œcumenicum erat adhuc Concilium illud; ergo & à fortiori dum tradidit decretum pro *Armenis*, an. 1439. quatuor videlicet menſibus poſt Græcorum unionem, & eorumdem à Concilio diſceſſum. Reſp. permiſſo antecedente, neg. conſequentiam; quia licèt Eugenius IV. dicat ſe tradere illud ſive Armenorum, ſive Jacobitarum unionis decretum, *ſacro approbante Concilio œcumenico Florentino*, non ſequitur Concilium illud poſt Græcorum diſceſſum Florentiæ habitum, eſſe œcumenicum; quia *Eugenius IV.* ſic loquens, intelligi poteſt loqui de Concilio Florentino verè œcumenico, & ante diſceſſum Græcorum habito & finito; ita ut velit dicere, ſe eis hoc decretum unionis tradere, ſacro approbante Concilio œcumenico licèt jam ſoluto, quatenus præfati Concilii Patres Græci, ante quorum receſſum venerant Armeni, approbarunt ipſum Armenorum laudabile unionis cum Romana Eccleſia votum; & quia ipſi Græci

ad

ad discessum erant jam parati, hujus unionis peragendæ negotium Eugenio IV. & Latinis remanentibus Patribus reliquerunt; & sic in hoc sensu loquens Eugenius, verè potest dicere se illud tradere decretum, *sacro approbante Concilio œcumenico Florentino*, quin sequatur œcumenicum esse Concilium illud Florentiæ post Græcorum discessum habitum, de quo non est censendus loqui; hoc enim Concilium Florentiæ post Græcorum discessum habitum, non est magis œcumenicum, quàm illud idem Concilium Florentia Romam translatum, & in Laterano continuatum, ac Lateranense dictum, quod nemo œcumenicum dicet, quamvis illud œcumenicum vocet ipse Eugenius IV. in alio unionis decreto pro *Syris*, & in altero pro *Chaldæis* & *Maronitis*; varia enim alia edidit unionis decreta *Eugenius*, post Græcos, Armenos, & Jacobitas unitos, nempe pro *Æthiopibus*, pro *Syris*, pro *Chaldæis* & *Maronitis*.

Florentia enim Romam translato Concilio, & in Urbem reverso *Eugenio IV.* anno 1442. ad ipsum venere postulantes unionem Legati Zaræ, potentissimi *Æthiopum* Imperatoris, *Presbyteri Joannis* vulgò dicti: erant enim Æthiopes isti iisdem quibus & Jacobitæ erroribus impliciti; sed iis abjuratis, fidem Catholicam professi, speciali unionis decreto recepti sunt.

Post illos omnes uniti tandem Chaldæi & Maronitæ, insulæ Cypri populi.

Per Legatos suos paulò pòst, anno scilicet 1444. venere & *Syri* inter Tigrim & Euphraten habitantes populi, qui de Spiritus Sancti processione, & aliis quibusdam non rectè sentiebant articulis; sed instructi sanam fidem amplexi, pariter uniti.

Post illos omnes, anno 1445. venere *Chaldæi* & *Maronitæ* in insula Cypri degentes populi, qui suos similiter post abjuratos errores; (nestorianizabant enim Chaldæi, & monothelizabant Maronitæ) & fidem Catholicam reverenter amplexi, speciali similiter unionis decreto ab *Eugenio* recepti.

ARTICULUS XXI.

De Concilio Lateranensi V. anno 1512.

Sub Julio II. & Leone X. contra Conciliabulum Pisanum, & pro reformandis Ecclesiæ moribus, Christianis Principibus uniendis, & promovenda in Turcas expeditione sancta.

Brevis & historica Concilii Lateranensis quinti summa.

CUm Conciliabulum *Pisis* congregassent olim Cardinales in *Julium II.* Rom. Pont. anno 1511. eo videlicet prætextu, quòd non staret promissis, nec juramento sua in electione præstito, de generali convocando Concilio intra primum à sua consecratione biennium, pro reformandis Ecclesiæ moribus, & ineunda inter Christianos Principes pace; idque dolens cùm cerneret *Julius*, ad subitò medendum tali nascentis schismatis malo, nec non ad reformandos Ecclesiæ mores, pacem inter Christianos Principes ineundam, & promovendam in Turcas expeditionem sanctam, istud tandem Concilium in Laterano celebrandum indixit: ad quod undique vocati Prælati omnes, sed cui interfuere 114. dumtaxat, inter quos, numerabantur Cardinales 18. Patriarchæ Orientales duo, Alexandrinus videlicet & Antiochenus, Archiepiscopi & Episcopi plures, Principum Oratores,

tores, Doctores, Abbates, & Ordinum Generales multi, videlicet *Thomas de Vio* Cajetanus, Ordinis Prædicatorum Generalis, *Timotheus* Ordinis FF. Minorum, *Ægidius* Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Bernardus* Ordinis Carmelitarum, *Basilius* Abbas & Generalis Vallisumbrosæ, *Petrus* Camaldulensis Ordinis, & Dominus *Angelus* Ordinis S. Mariæ Servorum Generalis; quibus præfuit ipse *Julius II.* ad quartam usque Sessionem: qua finita, ipso ægrotante Julio, quintæ præfuit sessioni *Raphael* Cardinalis, Ostiensis Episcopus; cæteris sessionibus septem sequentibus præfuit Leo X. recenter electus. Inchoatum est itaque Concilium istud die 10. Maji, anno 1512. & die 13. Martii, anno 1517. duodecim sessionibus feliciter conclusum.

In 1. Sess. die 10. Maji.

Quatuor prioribus sessionibus præfuit *Julius II.*

Julius II. sermone ad Patres habito, vehementer hortatus est eos ad solerter insistendum pro schismatis extinctione, Ecclesiæ reformatione, Principum Christianorum concordia, & in Turcas expeditione promovenda, lectaque Concilii indictionis Bulla, qua aperit causas de celebrato nondum Concilio toties optato & promisso, sed huc usque dilato.

In 2. Sess. die 17. Maji.

Sermonem habuit *Cardinalis Cajetanus Thomas de Vio*. Lecta est posteà Bulla Concilium Pisanum annullans & reprobans, & Concilium istud Lateranense quintum legitimè congregatum esse, omnium suffragio definitum est.

In 3. Sess. die 3. Decembris.

Lecta est Bulla altera, ejusdem Pisani Concilii, præfatorumque Cardinalium reprobans acta, eisque concessa revocans privilegia.

In 4. Sess. die 10. Decembris.

Lecta pariter Bulla alia, qua abrogatur pragmatica sanctio, omniaque ejus occasione in Pisano Concilio gesta rescinduntur.

In 5. Sess. die 16. Februarii, anno 1513.

Quintæ sessioni præfuit *Raphael* Cardinalis Ostiensis Episcopus ægrotante *Iulio II.*

Ægrotante *Julio II.* Romano Pontifice, præfuit Ostiensis Episcopus Cardinalis, & recitata est Bulla de simonia in electione vitanda, omniumque consensu definitum, simoniacam Romani Pontificis electionem esse nullam, Cardinalesque sic eligentes, aliosque quoscumque consilio, vel auxilio, ad talem concurrentes electionem, canonicas depositionis vel irregularitatis pœnas incurrere; & hac finita sessione, quatriduo pòst obiit *Julius II.* die 25. Februarii ejusdem anni; & 11. Martii ejusdem anni, ei canonicè subrogatus est Cardinalis de Medicis, qui Leonis nomine sumpto, dictus est *Leo X.* & Concilii continuationem ad 27. Aprilis diem promulgari mandavit.

In

Septem ultimis aliis præfuit *Leo X.* recenter electus post obitum *Julii II.*

In 6. Sess. die 27. Aprilis.

Præside ipso recenter electo *Leone X.* electi sunt, seu deputati 24. Prælati, & tres in classes cum Cardinalibus distributi, quarum una, de pace inter Christianos Principes componenda; altera de generali etiam Curiæ Romanæ reformatione; & tertia de pragmatica sanctione abroganda, Fideque orthodoxa defendenda specialiter ageret.

In 7. Sess. die 17. Junii.

Lecti sunt Cardinalium Bernardini Carvajal, & Frederici de S. Severino supplices libelli, quibus veniam sibi postularunt indulgeri, & qui post aliquot dies simplici Clericali habitu induti, & ad pedes Summi Pontificis prostrati, post solemnem schismatis abjurationem, pristinæ dignitati sunt restituti.

In 8. Sess. die 19. Decembris.

Definitum est, animam hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non unam, sed plures animas esse; & Philosophiæ Professoribus ideò mandatum, ut Ethnicorum principia, conclusiones & argumenta, quibus à veritate discrepant, fideliter explicent, eorumque sophismata solvant.

In 9. Sess. die 5. Maji, anno 1514.

Lecta est, & confirmata Concilii Lateranensis IV. Constitutio, de reformatione Curiæ Romanæ, in qua inveniuntur constituta ab *Innocentio III.* novem ista:

1. Decernitur, ut de ætate & gravitate morum, ac literarum scientia, in personis promovendis in Episcopos & Abbates, diligenter inquiratur.

2. Statuitur, ne Episcopus, aut Abbas amoveantur & judicentur, non præmissa defensionis copia.

3. Providetur ne ulla deinceps Monasteria commendentur.

4. Prohibetur uniones perpetuas fieri, præterquàm in casibus à jure permissis, & rationabili de causa.

5. Plura possidere beneficia incompatibilia ultra duo, nulla dispensatione concedendum esse decernit, etiam qualificato, nisi magna & urgens causa id exigat.

6. Mandatur Cardinalibus, ne extra Curiam Romanam resideant, ut Romano assistant Pontifici.

7. Puerorum magistris mandatur, ut eos non tantùm bonarum literarum, verùm etiam fidei, Religionis, bonorumque morum disciplina informent, eosque festivis diebus nihil aliud doceant, quàm quæ ad Religionem, vel bonos mores spectant.

8. Anteriores contra Simoniacos editæ renovantur Constitutiones.

9. Statuitur, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum Officium non dixerit, non tantùm pro rata tem-

temporis, officiique intermissi fructus teneatur restituere; sed etiam si pergat ulteriùs contumaciter omittere, legitima monitione prævia, privetur beneficio.

In 10. Sess. die 4. Maji, anno 1515.

Montes pietatis multis in locis usurpati, & à S. Sede approbati, laudantur & approbantur, eorumque impugnatores excommunicantur; prohibetur insuper sub anathemate, ne ullus typis mandetur liber, nisi fuerit ab Ordinario, vel ab Inquisitore hæreticæ pravitatis approbatus.

In 11. Sess. die 19. Decembris, anno 1516.

Lecta est Decretalis de modo prædicandi verbum Dei, & de requisitis in prædicante. Publicata posteà pragmaticæ sanctionis abrogatio, & pacta inter Leonem X. & Franciscum I. concordata, ejusque in locum substituta, ac sancitum *Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere.*

In 12. Sess. die 16. Martii, anno 1517.

Promulgata est & approbata constitutio Leonis X. excommunicans omnes, Cardinalium domos invadentes in nova Romani Pontificis electione; quibus peractis, finitum est Concilium, & ab ipso Leone X. speciali diplomate confirmatum.

Et Concilium sit 12. Sessionibus completum speciali diplomate confirmavit.

Notandum.

Contra eos qui de animæ nostræ immortalitate perperàm & impiè dubitant, placet hic formalia & expressa Sessionis octavæ Concilii verba referre, quorum tenor hic est:

Cùm diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis quòd mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus: & aliqui temerè philosophantes (secundùm saltem Philosophiam) verum esse asseverant, sacro approbante Concilio & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cùm illa non solùm verè & per se & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Can. *Clementis Papæ V.* in generali Viennensi Concilio edito continetur, verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis & multiplicata & multiplicanda sit, quod manifestè constat ex Euangelio, cùm Dominus ait: *Animam meam occidere non possunt*; & alibi: *Qui odit animam suam in hoc mundo, &c.* & etiam cùm æterna præmia & æterna supplicia pro merito vitæ judicandis repromittit, aliàs Incarnatio & alia Christi mysteria nobis minimè profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac Sancti & Justi miserabiliores essent, juxta Paulum, omnibus hominibus. Cùmque verum vero minimè contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omninò falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtiùs inhibemus, omnesque hujusmodi erroneis assertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos & puniendos fore decernimus.

In-

Insuper omnibus & singulis Philosophis in Universitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus, districtè præcipimus, ut cùm Philosophorum principia aut conclusiones, in quibus à rectâ fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explicaverint (quale hoc est de mortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujusmodi) teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse, docere, ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta, cùm omnia solubilia existant, pro viribus excludere atque resolvere.

ARTICULUS XXII.

De Concilio Tridentino, anno 1545.

Sub Paulo III. Julio III. & Pio IV. Romanis Pontificibus ad damnandas Lutheri, Calvini, ac sequacium Novatorum hæreses; reformandosque Cleri ac populi mores.

Brevis & historica Concilii Tridentini summa.

POst *Clementis VII.* Romani Pontificis obitum, ad supremum Pontificatum evectus *Paulus III.* dum cerneret Martini Lutheri grassantes in Germania, & in toto ferè Septentrione bullientes hæreses, collapsam undequaque penitùs Ecclesiæ disciplinam, corruptos ubique fidelium mores; solicitus de congruo tot malis ferendo remedio, Concilium istud sacrosanctum œcumenicum ac generale postremum, *Mantuæ* primò celebrandum indixit. Verùm id non patiente certis de causis Friderico Mantuano Duce, *Vicentiæ* celebrandum promulgavit; sed novis iterùm posteà emergentibus obstaculis, *Tridentum*, optatum à Germanis oppidum, cæterisque Christo subditis nationibus opportunum, rursus & ultimò convocavit; ibique cœptum est anno Christi 1545. continuatumque sub *Julio III.* Et licèt pluries variis temporum injuriis intermissum, bellorum procellis jactatum, & inimicorum insidiis turbatum, post elapsum decem & octo annorum intervallum, post 25. Patrum Sessiones habitas, post varia pro reformatione & disciplina edita decreta, post editos Canones 27. supra centenos, tandem sub *Pio IV.* Romano Pontifice, divini Spiritus aura favente, ad diu optatum conclusionis portum feliciter ductum anno Christi 1563. ejusque acta ad nos usque hoc ordine perducta, ut sub *Paulo III.* decem priores inveniantur Sessiones habitæ, sub *Julio III.* sex sequentes aliæ, & sub *Pio IV.* novem celebratæ postremæ. Quid autem in unaquaque notabile gestum fuerit, docebit hìc annexa brevis singularum Sessionum historiæ summa, deprompta *ex hist. Concilii Palavic. Baronio, ex Spon. Surio, & ex 14. Conciliorum tom. edit. Labb. &c.*

Quod per Sessiones decem sub *Paulo III.* Rom. Pont. fuit celebratum.

Sub Paulo III. Romano Pontifice 1545.

In 1. Sess. anno 1545. die 13. Decembris habita.

Concilio Præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis à *Paulo III.* Romano Pontifice missis, Joanne Maria de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo S.R.E. Cardinalibus, præsentibus Archiepiscopis quatuor & Epi-

Episcopis duobus supra viginti, & Religiosorum Ordinum Generalibus quinque, cum Doctoribus & Theologis diversæ nationis numero multis, post præmissa solemnia sacra supplicationesque debitas, & concionem habitam à Cornelio Musso ex Ordine FF. Minorum, Episcopo Bituntino, aperta est hæc prima Concilii Sessio die 13. Decembris S. Luciæ Virgini & Martyri sacra; in qua lecta est Sedis Apostolicæ Legatorum ad Patres admonitio sive adhortatio, declaratum cœptum esse Concilium, & indicta secunda futura Sessio in diem Januarii sequentis septimam.

In 2. Sess. an. 1546. die 7. Jan.

Cui interfuere ut Præsides, iidem Sedis Apostolicæ Legati, cum quatuor præfatis Archiepiscopis & 28. Episcopis, tribusque Benedictinis Abbatibus, & Ordinum Generalibus iisdem qui supra, videlicet Generalibus Ordinis Minorum Observantium, Conventualium, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, B. Mariæ Servorum. Post solemne sacrum ab Episcopo *Castelli-maris* peractum, & concionem habitam ab Episcopo *S. Marci*, lectum est decretum de modo vivendi, & aliis in Concilio servandis: quo ab omnibus approbato, cum certis quibusdam exemptionibus additis, declaratum est quòd si fortè contigerit aliquos in debito non sedere loco; vel sententiam proferre, congregationibus interesse, & alios quoscumque actus durante Concilio gerere, nulli propterea præjudicii vel novi juris acquisitum iri; & deinde indicta futura Sessio in diem 4. Februarii proximè futuri.

In 3. Sess. eod. anno, die 4. Febr.

Interfuere de novo Cardinales quinque, Archiepiscopi 6. & 30. Episcopi cum iisdem Abbatibus & Ordinum Generalibus iisdem, & Præsidibus iisdem Sedis Apostolicæ, post sacra solemnia à Panormitano celebrata Archiepiscopo, & habita concione ab Ambrosio Catharino Dominicano; visum est Concilii Patribus, fidei morumque decreta differenda, donec venirent alii Concilii Patres, & frequentior esset Synodus. Interim ne vacua videretur hæc Sessio, quasi nihil gestum in ea; lectum est decretum de fidei Symbolo, præmittendo velut rerum omnium definiendarum principio, in quo omnes qui Christi fidem sequuntur, necessariò conveniunt; & indicta postea 4. Sessio in diem 8. proximè sequentis Aprilis.

In 4. Sess. eod. anno, die 8. Aprilis.

Præsidentibus iisdem præfatis Sedis Apostolicæ Legatis, præsentibus Archiepiscopis novem, & Episcopis quadraginta & uno, cum Abbatibus & Ordinum Generalibus iisdem, post celebratam Missam à Turritanensi Archiepiscopo, & concionem habitam à Servorum Ordinis Generali, edita sunt decreta duo, primum videlicet de libris Canonicis & Traditionibus sacris, quo declarat sancta Synodus: *Se suscipere omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti, nec non Traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu ac*

reve-

reverentia. Enumerat postea singulatim libros Canonicos omnes, juxta Concilii Carthag. III. Canonem 47. & Innocentii I. epistolam ad Exuper. S. Augustini librum de doct. Christ. cap. 8. & Gelasii in Romana Synodo criterium: additque anathema in eos, qui hujusmodi libros, traditionesque præfatas non susceperint.

Alterum verò decretum fuit de editione & usu sacrorum librorum, ad varios tollendos sacrarum Scripturarum abusus in versionibus, tum in interpretationibus, tum in editionibus; tanta siquidem erat versionum varietas, ut incerta redderetur divinæ Scripturæ veritas; tanta divinas Scripturas interpretandi licentia, ut suo quisque sensu eas exponeret, & in alienos pravosque sæpè sensus detorqueret; tanta denique ex parte Typothetarum in Scripturis edendis corruptela, ut eas sæpè ex corruptis exemplaribus ederent, & pravas interpretationes adderent. Quibus ut occurrat abusibus sacra Synodus, hoc in decreto tria præcipuè decernit ista, 1. ex Scripturæ versionibus Latinis variis, Vulgatam pro authentica declarat habendam, ita ut eam nemo quovis prætextu rejicere audeat. 2. Prohibet ut nemo Scripturam sacram ad improprium detorqueat sensum, aut etiam contra unanimem SS. Patrum consensum interpretari præsumat. 3. Denique statuit atque vetat, ut nullus deinceps de rebus sacris imprimatur liber sine Ordinarii licentia, & sine expresso auctoris nomine, sub pœna anathematis & pecuniæ, in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. *Decr. de Impr. libr.*

In Sess. 5. eod. anno die 17. Junii.

Præsidentibus iisdem Sedis Apostolicæ Legatis, & Archiepiscopis adstantibus iisdem, cum 50. pariter Episcopis, & variis vel Abbatibus, vel Generalibus, vel Theologis illustribus aliis, post Missam ab Alexandro Picolomineo Pientino Episcopo celebratam, & concionem à Marco Aureo Dominicano Theologo dictam, edita fuere decreta duo, unum decretum de Peccato Originali, alterum de Reformatione.

Decretum de Peccato Originali quinque complectitur Canones, quorum

Primus anathematizat eos, *qui primum hominem Adam per transgressionem divini mandati totum secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse non confitentur.*

Secundus in eos anathema fert, *qui Adæ prævaricationem ipsi soli, & non ejus propagini nocuisse asserunt; aut mortem dumtaxat & pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum.*

Tertius eos anathemate ferit, *qui Adæ peccatum, quod origine unum est & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserunt tolli, quàm per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi; aut negant ipsum Jesu Christi meritum per baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum tam adultis quàm parvulis applicari.*

Quartus illis anathema dicit, *qui parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negant, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicunt in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse fuerit expiari ad vitam æternam consequendam.*

Quin-

Quintus denique anathematizat eos, *qui per Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum Originalis peccati remitti negant; vel asserunt non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud tantùm radi, aut non imputari*; eosque qui sentiunt concupiscentiam ideò à Paulo Apostolo *peccatum dici*, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit; definitque sancta Synodus, illam nocere non valere non consentientibus, & viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, & in renatis Deum nihil odisse. Dicitur autem concupiscentia peccatum, non quòd peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

Declarat insuper S. Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, *ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones Sixti IV.*

Decretum alterum quod est de reformatione, duo continet capita: Primum est de instituendo Theologo in singulis Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis, imò & in insignium oppidorum Collegiatis pro lectione Scripturæ sacræ, eique assignanda præbenda vel stipendio congruo alio, & de eligendo saltem Magistro in minoribus Ecclesiis, quarum tenues sunt annui reditus, qui Clericos, aliosque pauperes scholares Grammaticam gratis doceat. Alterum caput quod Euangelii prædicationem respicit, declarat *omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitimè non fuerint impediti, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Euangelium: Si verò contigerit eos legitimo detineri impedimento, teneri juxta formam Concilii generalis Lateranensis, viros idoneos assumere ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum.*

In Sess. 6. anno 1547. die 13. Jan.

Præsidentibus Joanne Maria de Monte, & Marcello Cervino S. R. E. Cardinalibus & de latere Legatis, astantibus duobus Cardinalibus aliis, decem Archiepiscopis & quadraginta septem Episcopis, duobus Abbatibus & Ordinum Religiosorum Generalibus quinque, videlicet Francisco Romæo Ordinis Prædicatorum, Bonaventura Pio Ordinis Minorum Conventualium, Hieronymo Seripando Ordinis Eremitarum S. Augustini, Nicolao Audeto Ordinis Carmelitarum, & Augustino Bonucio Ordinis S. Mariæ Servorum Generali; post præmissa & peracta sacra ab Andrea Cornaro Spalatensi Archiepiscopo, & concionem habitam à Thoma de Stella Salpensi Præsule, edita sunt duo decreta alia; unum, in quo Catholica declaratur doctrina de Justificatione sexdecim capitibus, & oppositi damnantur hæreticorum errores tribus supra triginta Canonibus. Decretum alterum est de Reformatione, complectens capita quinque; quorum primum Prælatorum residentiam in suis Ecclesiis statuit, pœnas antiqui juris renovans, & novas decernens in non residentes. Secundum secundi ordinis Presbyteros beneficia possidentes de jure residentiam exigentia, per Ordinarios ad residentiam cogendos esse definit. Tertium Clericorum tam sæcularium quàm Regularium extra monasteria degentium crimina Ordinarii correctioni subjicit. Quartum Cathedralium, aliarumque majorum Ecclesiarum Capitula, eorumque personas à suis Episcopis aliisque majoribus Prælatis visitari & corrigi posse decernit, non obstantibus quibuscumque exemptionibus vel

privilegiis. Quintum denique nulli Episcopo licere declarat Pontificalia in aliena exercere diœcesi, nisi de Ordinarii loci licentia.

In Sess. 7. anno eod. die 3. Martii.

Post celebrata mysteria sacra à Corcyrensi Archiepiscopo, omissa concione, quia qui concionaturus erat Episcopus S. Marci, raucus erat; præsidentibus iisdem qui suprà Sedis Apostolicæ Legatis, adstantibus Archiepiscopis novem, & 55. circiter Episcopis cum Abbatibus & Ordinum Generalibus iisdem, promulgata sunt decreta duo; unum respiciens Sacramenta, alterum reformationem. Primum continet 15. Canones de Sacramentis in genere, 14. de Baptismo in specie, & 3. de Confirmatione; quibus damnantur recentes circa Sacramenta hæreticorum errores. Alterum quod est de reformatione, 15. complectitur capita, Beneficia incompossibilia vel possessores illorum spectantia ferè omnia. Hinc Tridento Bononiam translatum est Concilium.

In Sess. 8. anno eod. die 11. Martii.

Tridenti grassante morbo contagioso, graviorisque mali minitante periculo, cùm jam 12. Episcopi alii petita, alii non obtenta licentia recessissent, timereturque Concilii dissolutio; editum est ac promulgatum decretum de transferendo Bononiam Concilio, præsidibus duobus iisdem Sedis Apostolicæ Legatis, sex præsentibus Archiepiscopis, & 29. Episcopis, placuit translationis decretum 38. Patribus, contradicentibus & reclamantibus 14. aliis qui Tridenti remansere: Legati verò Bononiam commigrarunt, & cum illis Patres cæteri.

In Sess. 9. anno eod. die 21. April.

Præsidentibus duobus iisdem qui suprà Sedis Apostolicæ Legatis, & præsentibus iisdem qui cum illis Bononiam commigrarunt Concilii Patribus, post sancta celebrata mysteria in Ecclesia S. Petronio dicata à Sebastiano Leccavella Naxiensi Archiepiscopo, & concionem habitam ab Ambrosio Catharino, Minoritano Episcopo; decreta est Sessionis prorogatio ad diem Jovis infra Pentecostes octavam, quia nondum videbatur sufficiens Patrum numerus ad tractandam reliquorum Sacramentorum & reformationis materiam.

In Sess. 10. anno eod. die 2. Junii.

Variis iterùm de causis, sed præsertim ob Germanorum & Gallorum Patrum absentiam, quos nondum venire sinebant Imperator, Christianissimusque Rex Henricus II. à quibus nondum erat probata Concilii translatio, & quos tamen brevì adfuturos sperabat S. Synodus; Præsidibus iisdem Sedis Apostolicæ Legatis, & iisdem præsentibus Concilii Patribus, decreta Sessionis prorogatio ad 15. diem Septembris proximè futuri: sicque suspensa iterùm decretorum promulgatio, licèt interim non omissa discussio dogmaticæ vel reformationis materiæ; & sic in his duabus Sessionibus nona & decima Bononiæ celebratis nihil ferè decisum. Approbata est

eſt interim Concilii translatio ab Henrico II. Chriſtianiſſimo Rege; miſſique ſunt ab eo ad Concilium Oratores Claudius Durfeus, & Michael Hoſpitalius, Pariſienſis Parlamenti Senator; quibus & adjunctus Claudius Eſpenſeus, ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor; & die 14. Septembris anni 1547. habita eſt generalis congregatio in Legatorum reſidentiæ domo: in qua Cardinalis de Monte varias Patribus expoſuit rationes Seſſionis ad 15. diem à Concilio fixæ, ad alium incertum diem prorogandæ. Placuit Patribus propoſita prorogatio, & ad diem incertum, ad Concilii beneplacitum prorogata eſt Seſſio undecima, quæ ad 15. Septembris diem fuerat indicta in præcedenti Seſſione decima. Paulus III. interim ſelectis ex conventu Bononienſi & Tridentino Patribus, Romam venire juſſis, ut ex illorum ſententia diſciplinæ ſanctiones ederet, Concilium ſuſpendit; miſſis hunc in finem ad Cardinalem de Monte literis, quas ille die 17. Septembris denuntiavit anno 1549. ut teſtantur acta à Card. Palavicino laudata lib. 11. cap. 4. Has inter moras moritur Paulus III. die 10. Novembris ejuſdem anni 1549. cujus in locum electus eſt anno 1550. Cardinalis de Monte, ejus in Concilio iſto Legatus, & dictus Julius III. qui Concilium reſumpſit, & Tridenti continuandum indixit anno 1551.

Sub Julio III. Romano Pontifice.

Per ſex ſequentes Seſſiones alias ſub Iulio III. continuatum.

In Seſſ. 11. anno 1551. die 1. Maji.

Promulgato Julii III. mandato, de reſumendo & Tridenti continuando Concilio; in nomine S. & individuæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti, Kalendis Maji anno 1551. inchoatur Tridenti hæc prima ſub Julio III. & Concilii undecima Seſſio, Præſidentibus in ea, vice Julii Romani Pontificis, miſſis ab eo hac de re Legatis, Marcello Cardinali Creſcentio, Sebaſtiano Pighnio Archiepiſcopo Sipontino, & Aloyſio Lippomano, Veronenſi Epiſcopo; præſentibus aliis qui tunc Tridenti aderant Concilii Patribus. In qua, poſt celebratum ſolemne ſacrum à Marcello Creſcentio, Cardinali Legato, & concionem habitam à Sigiſmundo Fedrio Franciſcano, lecta ſunt duo Julii III. ſummi Pontificis diplomata; unum videlicet de reſumendo Concilio, alterum de eo ad Civitatem Tridentinam reducendo, ac de Legatis ſive Præſidibus ad illud moderandum electis. Quibus peractis, indicta eſt futura Seſſio ad Kalendas Septembris.

In Seſſ. 12. anno 1551. Kal. Sept.

Præſidentibus iiſdem Julii III. ſummi Pontificis Legatis, & præmiſſo, de more, ſolemni ſacro à Baltaſſare Eredia Archiepiſcopo Turritano celebrato, ſed omiſſa concione, lecta eſt à Meſſarello Concilii ſecretario brevis de ratione vivendi parænefis, prolataque ſunt & probata Oratorum Caroli V. Imp. & Ferdinandi Romanorum Regis mandata, indictaque futura Seſſio in diem Octobris proximè ſequentis undecimam. Cùmque in præteritis Seſſionibus, de Sacramentis in genere, de Baptiſmo & de Confirmatione in ſpecie actum eſſet, in futura de S. Euchariſtiæ Sacramento, nec non quod ad reformationem ſpectat de reliquis quæ ad faciliorem &

commodiorem Prælatorum residentiam pertinent, agendum esse monuit S. Synodus; hortans Patres omnes, ut interim Domini nostri Jesu Christi exemplo, quantum humana fragilitas patietur, jejuniis & orationibus vacent; ut tandem placatus benedictus Deus, corda hominum ad veræ fidei agnitionem & sanctæ matris Ecclesiæ unitatem, ac rectè vivendi normam reducere dignetur.

In Sess. 13. anno 1551. die 11. Octob.

Post peracta solemnia sacra à Joanne Bapt. Campeggio, Majoricensi Episcopo, & habitam de laudibus Eucharistiæ concionem ab Archiepiscopo Turritano; præsidentibus iisdem Julii III. Legatis, præsentibus Germanis sacri Imperii tribus Ecclesiasticis Electoribus & Principibus Archiepiscopis, Moguntino, Trevirensi & Coloniensi, sexque Archiepiscopis aliis cum 40. circiter Episcopis, Oratoribusque Imperatoriis, Regis Romanorum, Brandeburgensisque Marchionis, ac nonnullis Abbatibus & Ordinum Generalibus, tria fuere edita decreta à Synodo.

Primum est de S. Eucharistiæ Sacramento, quo octo capitibus explicatur doctrina fidei de Eucharistiæ Sacramento, & undecim Canonibus damnantur hæreticorum errores.

Secundum est de Reformatione, octo pariter complectens capita, quæ Prælatorum jurisdictionem spectant, & appellationibus modum imponunt.

Tertium est de prorogatione definitionis quatuor articulorum, & de salvoconductu Protestantibus dando. Quatuor enim erant articuli de Eucharistia, super quibus Protestantes audiri postulabant, sibique ea de causa salvumconductum concedi, seu securitatem fide publica dari; datusque eis salvusconductus, & prorogata illorum quatuor articulorum definitio: erant autem illi quatuor articuli, quatuor isti:

1. *An necessarium sit ad salutem & divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant.*

2. *Num minus sumat qui sub altera, quàm qui sub utraque specie communicat.*

3. *An erraverit sancta mater Ecclesia, laicos, & non celebrantes Sacerdotes sub panis specie dumtaxat communicando.*

4. *An parvuli etiam communicandi sint.*

In Sess. 14. anno 1551. die 25. Novemb.

Sacrosancta Synodus die 25. Novembris S. Catharinæ virgini & Martyri sacra, iterùm in Spiritu Sancto congregata, præsidentibus iisdem Julii III. Legatis, & præsentibus iisdem quibus suprà Concilii Patribus, solemni celebrata Missa à Francisco Manriquio, Auriensi Episcopo, & concionato Episcopo S. Marci, prolixè exposita est Catholicæ Ecclesiæ doctrina de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ-Unctionis, & oppositi deinde damnati hæreticorum errores; editis hunc in finem Capitibus novem, & 15. Canonibus de Pœnitentiæ Sacramento; Capitibus verò tribus, & 4. Canonibus de Extrema-Unctione: editumque posteà de reformatione decretum alterum tredecim complectens capita, Ecclesiæ Prælatos & Beneficiarios, vel Clericos spectantia ferè omnia.

In

In Seff. 15. anno 1552. die 25. Januarii.

Congregatis iisdem Præfidibus à Julio III. Rom. Pontifice miffis, & Concilii Patribus iifdem, & de novo novem aliis, die 25. Januarii anno 1552. poft folemne facrum à Nicolao Maria Caracciolo, Catanenfi Epifcopo, celebratum, & latinè concionatum Joannem Baptiftam Campeggium, Majoricenfem Epifcopum, duo edita fuere decreta; unum de proroganda Seffione ufque ad diem 19. Martii, ad expectandos Proteftantium Theologos, ut eorum nomine poftulatum fuerat à Vvitembergenfis & Saxoniæ Ducum oratoribus; alterum fuit de novo falvoconductu feu publicæ fecuritatis libello eifdem Proteftantibus dando, ad inftar illius qui Boemis fuerat olim à Bafileenfi Concilio datus.

In Seff. 16. anno 1552. die 28. Aprilis.

Poft præmiffa folemnia facra à Michaele à Turre, Cenetenfi Epifcopo, abfente ob ægritudinem Marcello Cardinali Crefcentio, & Præfidentibus Sebaftiano Pighnio Archiepifcopo Sipontino, & Aloyfio Lippomano Veronenfi Epifcopo; ob bella & perturbationes in Germania fubortas, promulgatum eft decretum de fufpendendo ad biennium Concilio: ea tamen lege, ut fi citiùs pax oriatur & rerum tranquillitas fiat, eo ipfo tempore vim fuam & vigorem fuum habere & reftitutum cenferetur Concilium, abfque ulla alia convocatione nova. Huic decreto affenfere omnes Concilii Patres, duodecim ex Hifpanis diffentientibus & reclamantibus; fed nihilominus non fublatis impedimentis omnibus, & interveniente Julii III. Romani Pontificis obitu, die 23. Martii anno 1555. duravit ad decennium præfata Concilii fufpenfio; quæ nec tolli potuit fub Marcello II. Julii III. fucceffore, nec fub Paulo IV. poft Marcellum electo, fed tandem fub Pio IV. feliciter fublata, & refumptum ac finitum Concilium anno 1563.

Sub Pio IV. Romano Pontifice 1562.

Et fub *Pio IV.* feliciter conclufum, novem additis Seffionibus aliis.

In Seff. 17. anno 1562. die 18. Januarii.

Congregato de novo, auctoritate Pii IV. Tridentino Concilio anno 1562. cœpta eft fub illo hæc Seffio prima, quæ eft Concilii decima feptima, die 18. Januarii, Romanæ B. Petri Cathedræ facra: in qua Præfidentibus Hercule de Mantua, Hieronymo Seripando, Stanislao Varmienfi, & Ludovico Simoneta S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, & novis Sedis Apoftolicæ Legatis; poft folemnia facra à Legatorum Principe celebrata, & concionem habitam à Gafpare à Foffo, Rhegienfi Archiepifcopo, ex Ordine Minimorum affumpto, editum eft decretum de Concilio quacumque fublata fufpenfione celebrando, juxta formam & tenorem literarum Pii IV. & de tractandis his debito fervato ordine, quæ proponentibus Legatis, ipfi Concilio viderentur idonea ad levandas horum temporum calamitates, fedandas de Religione controverfias, corrigendos depravatorum morum abufus, & veram Ecclefiæ pacem conciliandam; & indicta eft futura Seffio in diem 26. Februarii proximè futuri.

In Seff. 18. anno 1562. die 26. Febr.

Cupiens sancta Synodus Catholicæ fidei doctrinam, multorum in se dissidentium opinionibus variis in locis inquinatam & obscuratam, in suam puritatem & primævum splendorem restituere, & mores qui à veteri instituto deflexerant, ad meliorem vitæ rationem revocare; animadvertensque in primis numerum excrescere suspectorum & perniciosorum librorum, in quibus impura continetur doctrina, & longè latèque diffunditur, indeque varias fuisse latas à sancta Sede censuras, duo edidit decreta hac in Sessione 26. Februarii, post solemne sacrum à Jerosolymitano Patriarcha peractum, & habitam latinè concionem ab Antonio Cauco Patrarum Archiepiscopo, & Corcyrensi electo, præsidentibus iisdem novis Sedis Apostolicæ Legatis. Primum decretum est de librorum delectu, quo statuitur ut delecti ad hanc inquisitionem Patres, de censuris librisque quid facto opus esset diligenter considerarent, & ad eamdem Synodum suo tempore referrent, quò faciliùs ipsa posset varias ac peregrinas doctrinas, tanquam zizania à Christianæ veritatis tritico separare, de hisque commodiùs deliberare & statuere quæ magis viderentur opportuna. Alterum est de salvoconductu Protestantibus Germaniæ dando, eo ferè modo quo Boemis in Basileensi Concilio, & cum extensione ad nationes alias, in quibus impunè docetur & creditur opposita fidei Catholicæ doctrina.

In Seff. 19. anno 1562. die 14. Maji.

Post celebratum solemne sacrum à Trivigiano Veneto Patriarcha, & concionem latinè peractam à Bergaldo Episcopo S. Agathæ, iisdem præsidentibus Pii IV. & Sedis Apostolicæ Legatis, decreta est Sessionis prorogatio, seu decreta quæ hac in Sessione statuenda erant, usque ad Feriam quintam post festum Corporis Christi, quæ erat pridie nonas Junii, prorogata sunt ac dilata, ut per literas postulaverat Ludov. *Lansacus* Oratorum Christianissimi Regis unus, donec ipse cum collegis & Gallicanæ Ecclesiæ Prælatis ad Concilium veniret; & reipsa posteà venit ipse Lansacus Regii ordinis eques, cum Arnaldo Ferrario Parisiensis Senatus Præside, & Guidone Fabro de Pibrac Judice majori Tolosano, qui die 26. Maji, quo in publico cœtu recepti fuere, eleganter peroravit ac fortiter.

In Seff. 20. anno 1562. die 4. Junii.

Ob difficultates varias ex diversis causis obortas, & ut congruentiùs ac majori cum deliberatione procederent omnia, ut dogmata scilicet cum iis quæ ad reformationem spectant, simul tractarentur & sancirentur statuta, decreta est Sessionis prorogatio, post celebrata & præmissa solemnia sacra à Salmanticensi Episcopo, & latinè concionatum *Ragazzonium* Nazianzenum & posteà Famaugustæ Episcopum, iisdemque præsidentibus à Pio IV. missis Sedis Apostolicæ Legatis; & indicta est futura Sessio in 16. diem Julii proximè futuri.

In

In Seff. 21. anno 1562. die 16. Julii.

Congregatis Concilii Patribus præfixa die 16. Julii, iifdemque præfidentibus Legatis, poft folemne facrum à Marco Cornelio Spalatenfi Archiepifcopo, & concionem habitam ab Andrea Tinienfi Epifcopo, doctrina Ecclefiæ Catholicæ de communione fub utraque fpecie, & parvulorum, quatuor Capitibus eft declarata; & illi oppofita & erronea hæreticorum dogmata totidem Canonibus damnata, editumque unum de reformatione decretum, complectens capita novem; quorum primo ftatuitur, ut nihil Epifcopi aut alii Ordinum collatores, vel eorum miniftri pro Ordinum collatione vel pro literis dimifforiis aut teftimonialibus etiam fponte oblatum, quovis prætextu accipiant, &c. Ut in Coriol. & Nat. Alex.

In Seff. 22. anno 1562. die 17. Septemb.

Celebrato folemni myfterio facro à *Petro Antonio Capuano*, Hydruntino Archiepifcopo, & concione latinè dicta à *Carolo Vice-Comite*, Ecclefiæ Vintimilienfis Epifcopo, iifdem Præfidibus Legatis, doctrina Catholica de facrificio Miffæ octo capitibus five decretis eft expofita, & illi oppofiti hæreticorum errores novem Canonibus fuere damnati. Tria infuper edita decreta alia, unum videlicet de obfervandis atque vitandis in celebratione Miffæ, alterum de reformatione undecim complectens Capita, feu de variis reformandis abufibus, & ultimum fuper petitione conceffionis Calicis.

In Seff. 23. anno 1563. die 15. Julii.

Cùm die 13. Novemb. anno 1562. Tridentum adveniffet Cardinalis à Lotharingia cum cæteris Galliæ Prælatis ac Theologis, receptufque fuiffet in generali cœtu die 23. ibique Caroli IX. Chriftianiffimi Regis fuæ miffionis literas exhibens, elegantem ad Patres orationem habuiffet, variifque deinceps in congregationibus magna cum laude claruiffet, interfuit tandem Concilii Seffioni vigefimæ tertiæ anno 1563. die 15. Julii, in qua poft celebratum folemne facrum ab Euftachio Bellayo, Parifienfium Epifcopo, & concionem habitam ab Epifcopo Aliphano Hifpano, explicata eft quatuor Capitibus Catholica de Ordinis Sacramento doctrina, & illi oppofiti hæreticorum errores octo Canonibus fimiliter damnati. Deinde S. Synodus reformationis materiam profequens, decretum edidit unum de reformatione, 18. Capita complectens; quorum primum eft de Paftorum animarum in fuis Ecclefiis refidentia, de qua tam in privatis Theologorum, quàm in generalibus PP. cœtibus diu multùmque difputatum eft, an fcilicet effet juris divini vel Ecclefiaftici tantùm. Eam juris effe divini afferebant Hifpani Gallique Præfules; Itali econtrà quamplures juris Ecclefiaftici tantùm effe contendebant; inde auctoritatem fummi Pontificis minui falsò rati, & veriti eum de refidentia difpenfare non poffe, fi juris divini effe definiretur.

Petrus Soto è Theologis unus Ord. FF. PP. juris effe divini ad obitum ufque defendit, & Tridenti lethali decumbens morbo, ad Pium IV. luculentam

L 4 leutam

lentam ea de re scripsit epistolam, qua Episcoporum institutionem, eorumque suis in diœcesibus residentiam, juris esse divini propugnat.

Visum tamen sanctæ Tridentinæ Synodo consultius esse hanc non definire quæstionem, cùm varia sentirent hac de re viri ex utraque parte pugnantes eruditi ac religiosi; & ne plures non satis callentes rationem hoc jus interpretandi, inde ansam arripuissent damnandi res anteà gestas, & justam nonnullorum Episcoporum absentiam, ut scripsit Cardinalis à Lotharingia in literis ad Britonem Secretarium suum; sancta Synodus tamen Episcopos aliosque animarum Pastores ad residentiam teneri, hancque obligationem ex Dei præcepto consequentem esse declaravit, dum cap. 1. de reform. sic dixit: *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne verò ea, quæ de residentia sanctè & utiliter jam anteà sub fel. recor. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus à sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhærendo declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine & titulo præfectos, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel diœcesi residentiam, &c.*

In Sess. 24. anno 1563. die 11. Novemb.

Post præmissa solemnia sacra à Georgio Cornelio Tarvisino Episcopo, & concionem dictam à Francisco Richardoto Attrebatensi Episcopo, declarata est Catholica Ecclesiæ doctrina de Sacramento Matrimonii 12. Canonibus sive anathematismis, quibus S. Synodus damnat plurium impiorum de hoc Sacramento malè sentientium errores. Edita fuere insuper decreta duo, quorum primum est de reformatione, complectens Capita decem circa idem Sacramentum; alterum pariter reliquam reformationis materiam prosequens 21. Capitibus comprehenditur.

In Sess. 25. anno 1563. die 4. Decemb.

Ultimò tandem congregati ut Concilio finem imponerent Tridentini Patres in hac ultima Sessione, cœpta die 3. & continuata ac finita die 4. Decembris anno 1563. post celebratum solemne sacrum à Zambeccario Sulmonensi Episcopo, & habitam latinè concionem ab Hieronymo *Ragazzonio*, Nazianzeno Episcopo, Salaminensi coadjutore, iisdemque præsidentibus à Pio IV. missis Sedis Apostolicæ Legatis, & præsentibus Concilii Patribus qui Concilio subscripsere numero circiter 255. varia fuere edita decreta, & præsertim de Purgatorio, de invocatione, veneratione ac reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus, nec non de Indulgentiis, præter decretum de Regularibus & Monialibus, duo suprà viginti complectens capita sive sanctiones viginti & duas.

De-

Decreto de Purgatorio, sic ait: *Cùm Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris literis & antiquis Patrum traditionibus, in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant, &c.*

Decreto de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum ac sacris Imaginibus, sic ait: *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis & cæteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum, à primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant; docentes eos, Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere: illis verò qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei & hominum Jesu Christi; vel stultum esse, in cœlo regnantibus, voce vel mente supplicare; impiè sentire.*

Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerant Christi & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse; per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: ita ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustrà frequentari; omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia sit in Imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, &c.

Decreto verò de Indulgentiis sic eadem S.Synodus ait: *Cùm potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, &c.* Deinde prosequens, omnibus mandat Episcopis, ut ad abusus qui in his irrepserunt corrigendos & tollendos diligenter invigilent: & huic decreto de indulgentiis

subji-

subjicit & alia, quibus confirmat S. Synodus Ecclesiæ consuetudines vel sanctiones nonnullas ab hæreticis impugnatas, videlicet de ciborum delectu, jejuniis & diebus festis, additque & alia; & 1. de indice librorum, Catechismo, Breviario & Missali. 2. De loco Oratorum. 3. De recipiendis & observandis Concilii decretis. 4. De recitandis Concilii decretis *sub Paulo III. Julio III. & Pio IV.* & tandem de fine Concilii, & confirmatione petenda à sanctissimo Papa Pio IV. à quo reipsa posteà concessa 17. Kalendas Februarii anno 1564. singulari ad hoc expressa Bulla, qua Concilium recipi & ab omnibus observari mandat. Sicque conclusum ac finitum tandem Concilium istud, post 18. annos à sua inchoatione lapsos, post quinque visos successivè Romanos Pontifices, *Paulum III. Julium III. Marcellum II. Paulum IV. & Pium IV.* post congregationes varias & 25. Sessiones habitas, post decreta sancita numero plura, & editos Canones viginti sex supra centenos, infrà subjiciendos. Concilio subscripsere tandem ante discessum, Patres numero circiter 255. videlicet 4. Sedis Apostolicæ Legati, 2. Cardinales alii, 3. Patriarchæ, 25. Archiepiscopi, 168. Episcopi, 7. Abbates, 36. absentium Prælatorum Procuratores, & 7. Religiosorum Ordinum Generales, prætermissis aliis numero multis magni nominis Doctoribus & insignibus viris. Vide *Baron. Spond. Palavic. & Labb. tom. 14. Conc. Corol. &c.*

Cujus Canones fuere 126. è quibus

Canones 126.

Præter decreta varia variis temporibus & Sessionibus hoc in Concilio lata, Canones insuper editi fuere varii, quos ne hìc omittam, sed verbo ad verbum singulos recenseam, postulat illorum frequentior, & tyronum commodior usus. Ex iis autem alii sub *Paulo III.* alii sub *Julio III.* & alii sub *Pio IV.* perhibentur editi.

Sub Paulo III. Romano Pontifice 63.

33. Sunt de Justificatione.

In Sessione sexta editi fuere 33. de Justificatione, 13. de Sacramentis in genere, 14. de Baptismo, & 3. de Confirmatione; suntque sequentes isti:

De Justificatione 33.

CANON I.

Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, ad hoc solùm divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut faciliùs homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit.

C A-

CANON III.

Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere, anathema sit.

CANON V.

Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeò ut sit ejus proprium opus, non minùs proditio Judæ quàm vocatio Pauli, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit.

C A-

CANON XII.

Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat certò & absque ulla hæsitatione, propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, hominem à peccatis absolvi & justificari ex eo, quòd se absolvi & justificari certò credat; aut neminem verè esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit.

CANON XVI.

Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.

CANON XVII.

Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit,

CANON XVIII.

Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

CANON XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

CANON XX.

Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum, quasi verò Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.

CANON XXI.

Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.

CANON XXII.

Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.

CANON XXIII.

Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideò eum qui labitur & peccat, numquam verè fuisse justificatum: aut contrà, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, neque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.

CANON XXV.

Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri: tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem, anathema sit.

CANON XXVI.

Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si benè agendo & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit.

CANON XXVII.

Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

CANON XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

CANON XXIX.

Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere: aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana & universalis Ecclesia a Christo Domino & ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit & docuit, anathema sit.

CANON XXX.

Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti culpam ita remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futu-

futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit, anathema ſit.

CANON XXXI.

Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema ſit.

CANON XXXII.

Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita: aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.

CANON XXXIII.

Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de juſtificatione à ſancta Synodo hoc præſenti decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jeſu Chriſti Domini noſtri derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Dei denique, ac Jeſu Chriſti gloriam illuſtrari, anathema ſit.

13. De Sacramentis in genere.

De Sacramentis in genere 13.

CANON I.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quàm ſeptem: videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum, anathema ſit.

CANON II.

Si quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit.

CANON III.

Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licèt omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.

CANON V.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, anathema ſit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi

quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, in Ministris dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

De Baptismo 14.

14. De Baptismo.

CANON I.

Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

CA-

CANON III.

Si quis dixerit, in Ecclesia Romana quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Baptismum qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Baptizatos per Baptismum ipsum solius tantùm fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ irrita esse intelligant, quasi per ea & fidei quam professi sunt detrahatur, & ipsi Baptismo, anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, peccata omnia quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, parvulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos cùm adoleverint interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine dum baptizarentur polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.

De Confirmatione 3.

3. De Confirmatione.

CANON I.

Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

Sub Julio III. Romano Pontifice 30.

Editi fuere in Sessione decima tertia Canones 11. alii de Eucharistiæ Sacramento, & in Sessione decima quarta 15. de Pœnitentiæ Sacramento, & 4. de Extrema-Unctione; suntque sequentes isti;

De sacrosancto Eucharistiæ Sacramento 11.

11. De Eucharistiæ Sacramento.

CANON I.

Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo vel figura aut virtute, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam Panis & Vini, unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ Panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus Panis & Vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat, anathema sit.

CANON III.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaqua-

que specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta; totum Christum contineri, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu dùm sumitur, non autem antè vel pòst, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum: atque ideò non festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circùm gestandum; vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservare, sed statim post Consecrationem astantibus necessariò distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantùm manducari, & non etiam sacramentaliter ac realiter, anathema sit.

CANON IX.

Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit.

Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur: statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

De sanctissimo Pœnitentiæ Sacramento 15.

15. De Pœnitentiæ Sacramento.

CANON I.

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

CANON II.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, verba illa Domini salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium, anathema sit.

CANON IV.

Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ; non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.

CANON VI.

Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata

 mor-

mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantùm esse utilem ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum, non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat se esse absolutum, aut sacerdos non seriò, sed joco absolvat: aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo: & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam confessionem, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideò casuum reservationem non prohibere, quominùs sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quàm fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.

C A-

CANON XIV.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum: & propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi: & fictionem esse, quòd virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit.

De Sacramento Extremæ-Unctionis 4.

4. De Sacramento Extremæ-Unctionis.

CANON I.

Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Extremæ-Unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideòque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate: ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.

Sub Pio IV. Romano Pontifice 33.

Editi fuere reliqui sequentes hujusce Concilii Canones, videlicet in vigesima prima Sessione Canones 4. de Communione sub utraque specie: in vigesima secunda Sessione 9. alii de Sacrificio Missæ: in vigesima tertia Sessione 8. alii de Ordine; & tandem in vigesima quarta Sessione 12. editi alii de Matrimonio: suntque isti,

4. De Communione sub utraque specie.

De Communione sub utraque specie, & parvulorum 4.

CANON I.

Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

CANON III.

Si quis negaverit, totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falsò asserunt, non secundùm ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.

Duos verò articulos, aliàs propositos, nondum tamen excussos, videlicet, An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una tantùm panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus: &, An, si honestis & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno, Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit; & quænam sint illæ: eadem sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimùm occasione, examinandos atque definiendos reservat.

9. De Sacrificio Missæ.

De Sacrificio Missæ 9.

CANON I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem; Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, Anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

C A-

CANON IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideòque abrogandum esse, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, cæremonias, vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideòque abrogandas, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eò quòd sit contra Christi institutionem, anathema sit.

De Sacramento Ordinis 8.

8. De Sacramento Ordinis.

CANON I.

Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi; sed officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi Euangelium; vel eos qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Ordinem sive sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantùm ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum;

ac proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis cæremonias, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, irritos esse; aut eos qui nec ab Ecclesiastica & Canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum Ministros, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

12. De Matrimonii Sacramento.

De Sacramento Matrimonii 12.

CANON I.

Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui dimissa adultera, aliam duxerit; & eam quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

CANON X.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi Matrimonio, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.

Contra Concilium hoc sacrosanctum perperam reclamant Protestantes, quia non in Germania, sed *Tridenti* celebratum.

Objicies 1. fortè cum Protestantibus Germaniæ Ministris, cæterisque Novatoribus prætensæ Religionis Reformatæ viris, contendentibus nullum esse nec pro œcumenico habendum Concilium Tridentinum, & sic. Concilium Tridentinum indictum est ad decidendam Protestantium Germaniæ causam, seu ad damnandas hæreses in Germania natas & à Protestantibus Germaniæ propugnatas; ergo celebrari debuit in aliquo Germaniæ loco, seu in aliqua Germaniæ civitate, & non in Tridentina; cùm præcipiant Canones etiam apud S. Cyprianum lib. 1. epist. 3. *Ut illic lites judicentur, ubi exortæ sunt.* Quod cùm non fuerit observatum hoc in casu, pro nullo & non œcumenico

menico habendum est hoc Concilium. Resp. conc. ant. neg. conseq. ad cujus probationem ex Cypriano desumptam, dico præfatum Canonem intelligendum esse de privatis particularium causis seu criminibus, quæ ideò judicari debent in locis ubi sunt commissa, quia ibi faciliùs reperiuntur testes quàm alibi; sed non de causis communibus, & fidei Catholicæ quæstionibus quæ ad universam spectant Ecclesiam; illas enim in locis ubi sunt exortæ, judicari non est necesse nec præceptum: unde est quòd controversia seu quæstio de legalium cessatione Antiochiæ mota, non fuit Antiochiæ, sed Jerosolymæ in Concilio Apostolorum decisa, ut habetur Act. cap. 15. Ariana pariter hæresis Alexandriæ in Ægypto nata, non Alexandriæ, sed Nicææ in Bithynia damnata. Nestoriana Constantinopoli à Nestorio parta, non Constantinopoli proscripta, sed Ephesi à ducentis Ephesini Concilii Patribus. Eutychiana Constantinopoli similiter orta, non Constantinopoli, sed Chalcedone discussa & judicata. Donatistarum hæresis in Africa suborta, sed Romæ sub Melchiade, & Arelate sub Silvestro in Gallia prostrata. Iconoclastarum denique hæresis Constantinopoli vel orta, vel aucta, & tamen Romæ primùm, postea Nicææ in Bithynia damnata. Potuit ergo pariter Lutherana licèt in Germania nata, Tridenti damnari Protestantium hæresis, ac proinde contra illam potuit Tridenti celebrari Concilium, imò & commodè; cùm Tridentum civitas sit in Italiæ, Germaniæ & Galliæ finibus posita, Germanis commoda, cæterisque nationibus non suspecta: at si sibi visi sunt Protestantes jure petere, ut non fieret in Italia Concilium, ne in eo prævalerent Catholici, jure exigere potuere Catholici, ut non fieret in Germania, ne in eo prævalerent Protestantes Lutherani.

Quia non ab Imperatore, sed à Rom. Pont. convocatum.

Objicies 2. A Romano Pontifice, & non ab Imperatore indictum fuit Concilium Tridentinum; ergo & contra morem antiquum indictum est, ac proinde nullum. Resp. conc. ant. neg. conseq. quia non Imperatoris, sed solius Rom. Pontificis est de jure, ut visibilis Ecclesiæ Capitis & Pastoris generalis ac supremi, generalia convocare Concilia, ut visum est suprà cap. 3. & constat ex solo Chalcedonensis Concilii facto, non permittentis Dioscorum Patriarcham Alexandrinum inter Episcopos remanere, sed illum tam Episcopali quam sacerdotali munere privantis, eò quòd perperam & contra Canones Synodum aliam, videlicet Ephesinam, vulgò prædatoriam Ephesi Synodum convocare fuerat ausus, solo permittente Imperatore *Theodosio*, & minimè consulto Romano Pontifice Leone; quod numquam factum, numquam licitum conclamarunt omnes Chalcedonensis Concilii Patres. Et si inveniantur nonnulla in Oriente celebrata, & ab Imperatore convocata generalia Concilia, ea postulante & consentiente Romano Pontifice celebrata fuisse constat.

Quia in eo per suos Legatos interfuit summus Pontifex.

Objicies 3. Concilium illud pro non legitimo & nullo haberi debet, in quo interfuit Romanus Pontifex, sustinens personam Judicis & Partis, cùm repugnet æquitati, & sit contra jus omne tam divinum quàm humanum, quòd quis in eadem causa sustineat personam Judicis & Partis: Atqui Concilium Tridentinum est tale, cùm in eo interfuerit per suos Legatos ut Judex & ut Pars; ut Judex nimirùm, quatenus interfuit ut decideret; & ut Pars, quatenus interfuit ut suam causam defenderet, utpote quia de multis fidei sanctiorisque disciplinæ corruptelis accusatus; ergo pro non legitimo & pro nullo habendum hoc Tridentinum Concilium. Resp. perm. maj. neg. min. falsum enim est hoc in Concilio & in

eadem

eadem causa Romanum Pontificem sustinuisse personam Judicis & Partis. Ratio est, quia hoc in Concilio non agebatur privata Romani Pontificis causa, sed Fidei, sed Religionis, sed Ecclesiæ causa communis, cujus defensor & custos esse debet Romanus Pontifex, utpote quia visibile Ecclesiæ Caput & Pastor universalis ac primus. Addo quòd si valeret hæc Protestantium objectio, si ideò Romanus Pontifex dicendus esset in Concilio Tridentino sustinuisse personam Judicis & Partis in sua causa, quia communem ibi gerebat Ecclesiæ causam, ac proinde si ex hoc concludi posset nullum esse Concilium Tridentinum, idem dicere potuissent & hæretici cæteri, quotquot fuere in Conciliis ab Ecclesia damnati; nimirùm nulla fuisse Concilia illa à quibus fuere judicati, quia in his interfuit Romanus Pontifex sustinens personam Judicis & Partis, quatenus in his communem Fidei, Religionis & Ecclesiæ causam agebat: sed hoc non dicunt, nec umquam dixere cæteri de Conciliis aliis hæretici, imò nec ipsi dicent Protestantes Lutherani de primis Ecclesiæ Conciliis; ergo nec de Tridentino dicere debent.

Objicies 4. cum iisdem. In hoc Tridentino Concilio non interfuere Germaniæ Civitates, nec Protestantes Augustanæ Confessionis Principes, quia non ritè vocati, nec salvoconductu donati, & tamen absentes & non auditi judicati, quod repugnat æquitati, & indicat non legitimum fuisse Concilium; ergo. Resp. ad Tridentinum Concilium ritè vocatos fuisse vocandos omnes, etiam ipsos Germaniæ Protestantes sive Civitates, sive Principes; & si ad illud non venerint, sibi, non Concilio imputare debent: ipsos enim omnes ritè vocatos fuisse ac invitatos, ipsisque facilem & tutum fuisse ad Concilium aditum, nihil manifestiùs probare potest, quàm publicæ securitatis libellus sive salvusconductus ipsis in Seff. 13. 15. & 18. à Concilio datus, cujus tenor hic est: Quia in eo absentes & non auditi Protestantes judicati.

Sacrosancta & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, Præsidentibus in ea eisdem S. Sedis Apostolicæ Legatis & Nuntiis, omnibus & singulis sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus personis universæ Germaniæ cujuscumque gradus, status, conditionis & qualitatis sint, quæ ad œcumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus quæ in ipsa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipsum œcumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere & commorari, ac articulos quotquot illis videbitur, tam scripto quàm verbo offerre & proponere, & cum Patribus, sive iis qui ab ipsa sancta Synodo delecti fuerint conferre, & absque ullis conviciis & contumeliis disputare, nec non quando illis placuerit, recedere possint & valeant, publicam fidem & plenam securitatem, quam Salvumconductum appellant, cum omnibus & singulis clausulis & decretis necessariis & opportunis, etiamsi specialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam S. Synodum spectat, concedit. Placuit prætereà sanctæ Synodo, ut si pro majori libertate ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quàm pro committendis per eos delictis, Judices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcumque enormia ac hæresim sapientia fuerint.

Objicies 5. cum aliis contendentibus Tridentinum Concilium in Gallia non esse receptum, aut non recipiendum, & sic. Concilium Tridentinum Seff. 23. cap. 12. de Reformatione permittit cuique 25. ætatis annum attingenti ad Presbyteratus Ordinem promoveri, quod est expresè contra anti- Perperam reclamant alii in Gallia non esse receptum,

quos

nec recipiendum Concilium istud.

quos Canones, præsertim Neocæsarensis Concilii anno 314. sub Silvestro habiti, in Nicæno I. receptos & approbatos, & expresse dicentes can. 11. *Presbyter ante 30. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitæ, sed observet usque ad præfinitum tempus: Dominus enim noster Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & tunc prædicavit.* Agathense Concilium sub Symmacho Papa celebratum anno 506. idem confirmat can. 17. dicens: Presbyterum verò vel Episcopum ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perveniat, & Diaconos ante viginti quinque nullus Metropolitanorum ordinare præsumat; idemque postea constitutum in Gallia, Aurelianensi Sanctione; ergo si hoc Tridentini Concilii decretum sit contra antiquos Canones, est consequenter contra Gallicanæ Ecclesiæ libertates, in usu antiquorum Canonum sitas; ac proinde non receptum vel non recipiendum in Gallia Concilium Tridentinum. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia licèt verum sit, illud Tridentini Concilii decretum esse contra antiquos Canones, non sequitur illud Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus adversari, quia cùm ex S. August. plenaria Concilia priora à posterioribus corrigantur persæpè circa disciplinæ decreta, potuit Tridentina Synodus his antiquis derogare Canonibus, & illis re ipsa derogavit hoc præfato de ordinandorum ætate decreto; & post Tridentinum Concilium edita est in Gallia posterior Sanctio, Blesensis nimirùm quæ circa articulum illum Aurelianensi Sanctioni derogavit, seque Tridentini decreto lubenter accommodavit sub Henrico III.

Aut illud contra Canones antiquos decreta tulisse plura.

Objicies 6. Concilium Trident. Sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonii, approbat matrimonia à filiisfamilias, invitis seu non consentientibus parentibus inita, quod est contra antiquos Ecclesiæ Canones & Jurisconsultos omnes, & expresse contra Henrici II. & Henrici III. Galliæ Regum Sanctiones, quibus irritantur hujusmodi filiorum familias connubia, non consentientibus parentibus contracta; ergo vel non receptum, vel non recipiendum à Gallis hoc Concilium. Resp. dist. ant. approbat connubia illa, ut rata & vera matrimonia, conc. ut licita, neg. ant. imò tantùm abest ut illa approbet tanquam licita, quin econtrà illa potiùs expresse reprobat, ut patet ex ipsis præallegati decreti terminis; sic enim ait: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit, &c.*

Vel quia in eo suffragium tulere præter Episcopos alii, ut Ordinum Religiosorum Generales varii.

Objicies 7. Concilium illud pro nullo haberi debet, in quo alii præter Episcopos suffragium tulere, cùm soli Episcopi ad Concilium veniendi & in eo suffragandi jus habeant, juxta illud in Chalcedonensi Concilio à Patribus conclamatum: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* Atqui in Concilio Tridentino interfuere & suffragium tulere decisivum alii præter Episcopos, videlicet varii Religiosorum Ordinum Generales; ergo pro nullo haberi debet Trid. Conc. Resp. majorem esse veram de illis aliis præter Episcopos, qui suffragium decisivum in Conciliis non habent neque de jure, neque ex privilegio: falsum autem de iis, qui ex privilegio decisivum suffragium in Conciliis habent: Abbates

autem

autem & Religiosorum Ordinum Generales jus illud decisivum in Conciliis ex privilegio jam veteri consuetudine firmato habent; ac proinde falsa minor, & ex majore & minore conclusio falsior.

Instabis. Saltem *Jacobus Laynius* Societatis Jesu Præpositus Generalis sub Pio IV. Rom. Pont. invitis & reclamantibus Patribus hoc in Concilio sedit, & suffragium tulit decisivum, cæterosque Religiosorum Ordinum Generales præcedere voluit; ergo sine jure ullo saltem constanti & indubitato, ac proinde nullum ex hoc capite Concilium. Resp. neg. ant. absolutè; mera enim calumnia est perperam & malè conficta in virum religiosissimum, ingenio, judicio, modestia & eruditione magnum, qui teste Phil. Alegambo in Bibliotheca Script. S. J. oblatam à Paulo IV. Cardinalium purpuram sponte recusavit; qui post ejusdem *Pauli IV.* Romani Pontificis obitum, 12. Cardinalium suffragia, ut fieret summus Pontifex, habere meruit; qui ter ad Tridentinum Concilium venire jussus ut Sedis Apostolicæ Theologus, missus primùm à Paulo III. posteà à Julio III. & iterùm à Pio IV. cùmque jam sub Pio IV. & post Beati Ignatii fundatoris obitum, Societatis suæ Præpositus Generalis esset, nedum ut Theologus interfuit Concilio, sed ut judex inter Concilii Patres sedere debuit, & sedit non reclamantibus, sed rogantibus potiùs Concilii Patribus: dubitatum quidem fuit tantisper à cæremoniali Magistro de congruo ei assignando loco, an scilicet infra cæteros Religiosorum Ordinum Generales, eò quòd Ordinis omnium novissimi, licèt jam in Ecclesia celeberrimi, Generalis esset, an supra illos, quòd Ordinis Clericorum caput esset, & Clericos Monachis præire debere constet; ipse interim nihil cunctans, sed modestiæ & pacis amans locum selegit ultimum, cui posteà Sedis Apostolicæ Legati locum dedere à cæteris Ordinum Generalibus sejunctum, ubi post illos suffragium, sine tamen ullo Clericorum præjudicio, ferret.

SECTIO QUARTA.

De particularibus Conciliis, circa præcipuas hæreses in Ecclesia celebratis.

Quia non finit intenta Apparatus nostri brevitas, per singula fusè latèque discurrere particularia Ecclesiæ Concilia; juvat hic cursim & breviter ex iis ea designare sola, quæ fuere in causa præcipuarum hæresum, sive controversiarum habita.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conciliis in causa Quartodecimanorum, sive Paschatitarum habitis.

Pro definienda celebri de Paschatis observatione controversia, varia variis in locis, præter Nicænum œcumenicum primum, habita fuere Concilia particularia; inter quæ fuere præsertim ista,

1. Ro-

Concilia in quibus *Pascha* die Dominico post 14. Lunam Martii celebrandum esse decretum.

1. *Romanum* Concilium unum, à *S. Victore* Papa hujus nominis I. Romæ celebratum, anno Domini 198. Imperii Severi quarto, cui interfuit Theophilus Cæsariensis Episcopus, præfuitque Victor ipse: in quo Pascha non 14. Luna, more Judæorum, sed die Dominico decimam quartam Lunam, æquinoctiumque vernale immediatè sequente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse decrevit; eosque, qui aliter celebrare præsumpserint, excommunicavit. Quæ excommunicatio Gallicanis Ecclesiis visa est paulò severior, & de ea per *Irenæum* Lugdunensem Episcopum conquestæ sunt apud Victorem; ejus tamen acquievere decreto: qui verò non acquiescentes restitere, *Quartodecimani* fuere vocati, quia decima quarta primi mensis Luna, Paschale festum celebrandum esse tenebant.

2. *Palæstinum*, seu *Cæsariense* unum, eodem anno Christi 198. & Imperii Severi quarto, auctoritate *Victoris* Romani Pontificis, à Theophilo Cæsariensi Metropolitano Episcopo, Cæsareæ in Palæstina coactum; in quo de tempore Paschatis celebrandi, idem quod in præcedente & sequentibus quibusdam aliarum Provinciarum Conciliis, est constitutum; nimirùm, nequaquam licere Christianis decima quarta die primi mensis Pascha celebrare. Hujus verò, sicut nec præcedentis Concilii, etsi nulla supersint acta, fragmentum tamen ejus planè aureum reperitur apud Bedam, de *æquinoctio vernali*, quo fragmento liquidò constat, *Theophilum* Cæsariensem Episcopum auctoritate *Victoris* Papæ hoc coegisse Concilium, & ad illud nedum de sua Provincia, sed etiam de regionibus aliis Episcopos vocasse, & ab iis simul congregatis, priusquam concluderetur die Dominico celebrandum esse Paschale festum, investigatum fuisse quomodo mundus fuerit à principio factus; & interrogante *Theophilo*, ab Episcopis responsum, atque è Scriptura probatum, mundum in principio fuisse factum die Dominico, verno tempore, in æquinoctio, quod est octavo Kalendarum Aprilium, & plena Luna.

Quibus ita præmissis & probatis, deinde ex eodem Concilii fragmento constat fuisse conclusum, diem Dominicum præteriri non posse, quin in eo Paschale celebretur festum, cùm tot & talibus fuerit benedictionibus sanctificatus, quarum prima est quòd in ipso die tenebræ sint remotæ, & lux apparuerit; secunda quòd in eodem die de terra Ægypti, velut de tenebris peccatorum, quasi per fontem Baptismi, per mare rubrum populus fuerit liberatus; tertia quòd in eo die in cœlestem cibum, manna hominibus datum sit; quarta quòd Moyses de eo ad populum mandaverit Levit. 7. *Sit vobis observatus dies primus & novissimus*; quinta quòd in illa die resurrexerit Dominus; sexta quòd de die resurrectionis Domini dicat Psalmista Psalm. 117. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.*

3. *Ponticum* Provinciale, seu Concilium unum eodem tempore, & eadem de causa in Ponto celebratum; in quo de Paschatis observatione, idem quod in præcedentibus definitum est, inquit Eusebius, & cujus pariter acta supersunt nulla.

4. *Gallicum*, hoc est in Gallia, sub eodem Victore Romano Pontifice, circa eadem tempora, & ob eamdem Paschatis controversiam habitum: cui præfuit *Irenæus*, & in quo hac in causa, idem quod in præcedentibus constitutum est, & cujus sicut præcedentium periere acta.

5. *Asiaticum*, hoc est, quod in Asia circa hæc eadem tempora, ob eamdem causam, Asiani celebrarunt Episcopi, per *Polycratem* Ephesinum Episco-

Episcopum; in quo putantes se Euangelio, & Majorum traditionibus inhærere, à consuetudine celebrandi Pascha die 14. primi mensis, etiamsi in Dominicum non incideret, recedendum non esse constituerunt, idque per *Polycratem* ad Victorem Romanum Pontificem rescripserunt. *Victor* his auditis, Concilium reprobavit, & quod diu minatus fuerat excommunicationis fulmen, contra pertinaces emisit: quam Victoris sententiam contra Orientales postea confirmarunt Nicæni Concilii Patres, teste eodem Eusebio lib. 5. hist. cap. 23. & seq. imò non solùm id idem determinavit Synodus *Nicæna*; sed & quamplura alia idem definiere Concilia, qualia fuere *Arelatense I. Antiochenum I.* sub Julio can. 1. Unde & *Ephesinum I.* generale in decreto quod allegat Concilium generale Chalcedonense act. 1. ad calcem exemplaris falsati Symboli sic loquitur: *Omnis qui non celebrat sanctum diem Pascha, secundùm sanctæ Ecclesiæ Catholicæ statuta, anathema sit.* Illud confirmat & renovat idem Chalcedonense Concilium, & ante Concilia ista, id statuerat Canon Apostolorum 8. dicens: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum Pascha diem ante vernale Æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur.*

ARTICULUS II.

De Conciliis in causa lapsorum habitis.

L*Apsi* dicuntur hìc à nobis hi, qui tyrannico in Christianos sæviente bello, fuerant à fide in Idololatriam cecidisse deprehensi; quorum alii *sacrificati*, alii *thurificati*, alii *idololatræ*, alii *libellatici*, & *traditores* dicebantur alii, & de quibus omnibus fusiùs egimus suprà lib. 3. art. penult.

In hujusmodi ergo lapsorum causa, varia fuere variis in locis & temporibus variis habita Concilia, qualia sunt,

Concilia in quibus præsertim actum est de Christianis sævientе persecutione lapsis.

1. *Romanum* unum anno Domini 253. à Clero Romano, Sede vacante convocatum, post *Fabiani* Romani Pontificis obitum, ad providendum de modo, quo recipiendi essent redeuntes, pacemque petentes in Africana Ecclesia lapsi. Ex iis enim cùm plurimi à *Cypriano* ardentiùs pacem peterent, datis Ecclesiæ nomine libellis supplicibus, isque non sine pœnitentia & satisfactione prævia recipi posse, neque debere respondisset, *Lucianus* autem confrater quosvis sine discrimine recepisset, Romanæ Ecclesiæ judicio se per literas submittit, ejusque hac in re consilium inquirit. Clerus verò Romanus, ad evitandam lapsorum invidiam & odium, ne videretur solus ipse hoc in negotio novæ disciplinæ promulgator & auctor, sæviente licèt persecutione, illud congregavit Romæ Concilium, ad quod vicinos quosque, & quotquot ex aliis regionibus extorres Romæ, vel aliis in Italiæ locis causa fidei, mutato habitu delitescentes convocavit Episcopos; à quibus simul congregatis statutum est, ut infirmi quidem de vita periclitantes, prævia confessione & pœnitentia recipiantur; aliorum verò causa, & reconciliatio ad electionem novi Rom. Pontificis usque suspendatur, extatque decretum illud ea in Epistola, quam scripsit Clerus Romanus; in qua hæc, inter alia, leguntur notanda: *Pulsent fores, sed non utique confringant; adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum Cælestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se deser-*

desertores fuisse; multùm illis proficiat petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa; mittant legatos pro suis doloribus lacrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, & pudorem.

2. *Carthaginense I.* à *B. Cypriano* sub *Cornelio* Romano Pontifice convocatum, anno Domini 253. in quo decretum est, ut lapsi pœnitentiam agentes, in Ecclesiæ Communionem admittantur quidem, sed non citra urgentem necessitatem, ante impletum satisfactionis tempus.

3. *Romanum* alterum sive I. sub eodem Romano Pontifice *Cornelio*, ad instantiam ejusdem B. Cypriani Romæ celebratum, anno Domini 254. in quo confirmatum est præcedentis Carthaginensis Concilii decretum; nimirùm ut lapsi ad pœnitentiam admitterentur, sed non ad Communionem, nisi impleto satisfactionis tempore; & de Sacerdotibus lapsis est peculiariter statutum, ut reciperentur quidem in Ecclesiam pœnitentia prævia, sed à Sacerdotali functione deinceps abstinerent, laicali Communione contenti.

4. *Carthaginense II.* anno Domini 255. sub eodem *Cornelio* Papa, à B. Cypriano convocatum, occasione duorum schismaticorum, *Felicissimi* nimirùm & *Novatiani*; quorum ille omnes omninò lapsos absque pœnitentia suscipiendos esse docebat, dum *Novatianus* econtrà neminem eorum qui lapsi erant, in Ecclesiam recipiendum esse pertinaciter asserebat. Cujus controversiæ dirimendæ gratia, hoc convocavit *Cyprianus* Concilium, in quo 42. Africanæ Ecclesiæ Præsules mediam ineuntes viam, definierunt lapsis reditum ad Ecclesiam postulantibus, pacem & reconciliationem esse dandam, si impositam sibi pœnitentiam impleverint; idque ordinariè servandum constituerunt, nisi vel imminens mortis periculum, vel instans Tyrannorum persecutio, pœnitentiæ injunctæ vel injungendæ relaxationem exigeret.

5. *Africanum* unum, videlicet Concilium à Cypriano in Africa, ad instantiam Episcoporum Hispaniæ convocatum anno Domini 258. in causa *Basilidis* Legionensis, & *Martialis* Asturicensis Episcoporum, qui lapsi libellatici erant. Hi enim duo Episcopi cùm essent in persecutione lapsi libellatici, hoc est, ex iis qui privatim fidem abnegantes, publicorum Idolorum cultum numerata pecunia vitabant, & securitatis libellos emebant; essentque ea de causa ad denuntiationem fidelium Hispanorum, è suis sedibus detrusi, & eorum in locum *Sabinus* ac *Felix* substituti; contenderentque posteà cessante persecutione, suas in sedes absque ullo honoris gradusve dispendio restitui; quod cùm viderent fideles Hispaniæ Episcopi, causam deferunt ad Africanæ Ecclesiæ Præsules, qui hoc in Concilio congregati confirmant, quod ab Episcopis Hispaniæ, de Basilidis & Martialis depositione, & Sabini ac Felicis substitutione fuerat constitutum; quod & ipsa confirmat Romana Sedes.

6. *Cirtense* Conciliabulum, hoc est, Cirtæ in Numidia sub *Marcellino* Rom. Pont. celebratum Concilium anno Domini 303. auctore & Præside *Secundo* Tigisitano Episcopo, Numidiæque Primate; eaque præsertim de causa convocatum, ut in locum defuncti Cirtensis Episcopi, alius sufficeretur & subrogaretur Episcopus; in eoque reprobatum, quòd traditores Episcopi traditorem elegerunt; Episcopi enim qui ex Imperatorum edicto, Codices sacros, resve alias sacras comburendas tradiderant, aut thurificaverant, in Episcopum Cirtensem elegerunt *Paulum* quemdam, qui paulò

paulò pòst sacros Ecclesiæ Libros, aliaque supellectilia sacra tradidit, sicut & *Silvanus* ejus Subdiaconus, & post ipsum *Cirtensis* pariter Episcopus. Ex his traditoribus impii prodiere Donatistæ, quorum causa, Africana Ecclesia fuit per multa sæcula tot cladibus exagitata.

7. *Sinuessanum* à Clero Romano in causa de lapsu Marcellini convocatum: cùm enim de lapsu accusaretur *Marcellinus* Pontifex maximus, nimirùm quòd Diocletiani sæviente persecutione omnium maxima, ad gentium sacrificia ductus, ibique minis perterritus Deos adorasset alienos, in templo scilicet Isidis & Vestæ, gentium Idolis sacrificando & thurificando, ad convocatorias Cleri Romani literas convenerunt diversarum Provinciarum Episcopi 300. in civitatem regni Neapolitani, nomine *Sinuessam*, de hoc prætenso Marcellini Romani Pontificis lapsu sententiam dicturi: ubi in Crypta Cleopatrensi, post causam maturè discussam, & post nonnullos alios Presbyteros damnatos, Marcellinus ipse sacco indutus, conspersus cinere, humi prostratus pœnitentiam agens, publicè suum fatetur lapsum, pœnamque sibi imponi rogat; cùmque è tot Concilii Patribus in eum sententiam ferre auderet nullus, & dicerent omnes, *Prima Sedes à nemine judicatur, tu te ipsum judica*, seipsum re ipsa judicavit & condemnavit, dum suum confessus lapsum, dixit: Peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum; quæ cùm audiisset Diocletianus, iratus multos ex hujusce Concilii Patribus ad Martyrium trahi jussit, quos inter fuit & ipse *Marcellinus*.

At Concilium istud, lapsumque Marcellini antiqua licèt agnoscat in antiquis tum Romanæ, tum aliarum Ecclesiarum Martyrologiis, & Breviariis hucusque retenta traditio, & à Nicolao I. Rom. Pont. ad Michaelem Græcorum Imperatorem scribente, confirmata; supposititium tamen utrumque, merumque Donatistarum commentum esse, contendunt hodie eruditi non pauci, etiam Catholici viri.

1. Quia apud *Eusebium* & *Theodoretum*, de hoc Marcellini casu nulla mentio. 2. Quòd S. August. lib. de unico Baptismo contra Petilianum cap. 16. dicat, lapsum Marcellini, per rumusculum dumtaxat recentioribus Donatistis cognitum, & Catholicis objectum probari non potuisse, dum ait: *Lapsum Marcellini Donatistæ quidam Catholicis objecerunt, sed crimen esse commissum hactenus non probarunt*. 3. Quòd incredibile prorsus esse videatur, quòd sæviente persecutione omnium maxima, potuerint 300. congregari Episcopi, eo scilicet tempore, quo publicè prodire ac manifestari audebat Christianus ferè nemo, absque vitæ periculo. 4. Denique quòd nulla apud Scriptores sive profanos, sive sacros occurrat hujus Sinuessanæ civitatis mentio.

8. *Illiberitanum*, sive *Eliberitanum*, hoc est, *Eliberi* apud Hispanos in Provincia Bœtica prope Granatam habitum, anno Christi 305. sub *Marcello* Romano Pontifice, & imperante *Constantio*, dum vigeret adhuc Gentilium persecutio; in quo à 19. Episcopis, (quos inter eminebat Osius Cordubensis Episcopus,) potissimùm actum est de fidelibus in persecutione lapsis, & editi Canones 81. quorum quia nonnulli *Novatiano*, alii *Vigilantio*, alii *Iconomachis* favere videntur; ideò Concilium reprobatum, vel erroneum esse sensere viri eruditi nonnulli: *Novatiano* siquidem favere videntur Canones 1. 2. 6. 8. 12. 17. 18. dum lapsis in persecutione, aliisve gravioribus peccatoribus pœnitentiam quidem concedunt, sed Communionem etiam in fine vitæ negant. *Vigilantio* verò favere videtur

Canon 34. dum cereos per diem in cœmeteriis accendi vetat, ne inquietentur Sanctorum spiritus. *Iconomachis* denique Canon 36. dum picturas in Ecclesiis esse prohibet, dicens: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.*

Verùm nec Novatiano, nec Vigilantio, nec Iconomachis favere Concilium istud, veriùs probant alii, & patet; nam

Non *Novatiano* favet, licèt lapsis, gravioribusque peccatoribus aliis Communionem etiam in fine vitæ neget, 1. quia ibi nomine Communionis, Eucharistiam intelligit, non sacramentalem Absolutionem. 2. quia quamvis Absolutionem sacramentalem statueret negandam, per hoc tamen non faveret *Novatiano*, nec conveniret cum Novatianis, quia illam non statuit negandam *desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ.*

Non *Vigilantio* pariter favet, licèt Canone 34. dicat: *Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi; inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt.* 1. Quia non omnem prorsus & absolutè cereorum accensionem prohibet ille Canon; sed solùm superstitiosam, & ritu gentilitio factam ad inquietandos Sanctorum spiritus; ubi per Sanctorum spiritus, defunctorum intelligit animas, quæ quidem non propriè, sed metaphoricè dumtaxat perturbari & inquietari dicuntur, eò quòd valdè displiceant eis illi superstitiosi Gentilium ritus, quos à quibusdam in sui honorem, aut utilitatem vanam fieri & exerceri cognoscunt; vel ex eo quòd carminibus magicis, aliisque superstitionibus adhibitis, animas suas ritu gentilitio invocari, solicitari & inquietari doleant: solebant enim olim Gentiles accensis facibus & incantationibus, defunctorum animas invocare & solicitare. A Gentilibus in Ecclesiam irrepserat ille ritus, & hunc ritum, accendendi scilicet cereos in Cœmeterio, more gentilitio, ad inquietandas seu evocandas defunctorum animas, prohibent hoc Canone Illiberitani Concilii Patres; inquietari enim dicuntur, dum sic superstitioso Gentilium ritu evocantur defunctorum animæ; unde est quòd olim *Samuelis* anima sic superstitionibus invocata *Sauli* respondisse fertur 1. Reg. cap. 28. vers. 15. *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* 2. Quia dici potest cum *Garsia Hoaisa*, Canonem illum de spiritibus fidelium adhuc in terris viventium intelligendum esse, quorum fidelium spiritus, seu mentes, hac cæremonia accendendi cereos in Cœmeterio per diem, perturbabantur & scandalum patiebantur, ob immixtum ritus superstitiosi ac gentilis abusum; aut certè ideò scandalo inquietabantur, quòd animas Martyrum cereis accensis juvari putantes, in errorem inducerentur; sed verior ac probabilior est *Baronii* interpretatio dicentis, per Sanctorum spiritus, mortuorum fidelium animas intelligi, quæ non propriè quidem, sed metaphoricè dumtaxat perturbari & inquietari dicebantur, eò quòd displicebant ipsis ritus illi superstitiosi & gentilitii, quos à quibusdam in sui honorem induci videbant.

Sed quæres fortè, cur adhuc hodie per diem, & lucente sole, accenduntur in Ecclesia candelæ & magnæ sæpè cereorum moles? *Vigilantius* enim hoc improbat, & ut superstitiosum Gentilium ritum damnat, fultus hoc 34. Illiberitani Concilii Canone. Resp. cum S. Hieronymo *in Epist. ad Riparium*, accendi in Ecclesia candelas & cereos, *non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, in honorem Christi & Martyrum*; ac proinde *Vigilantius* dolens hujusmodi honorem Martyrum reliquiis exhi-

exhiberi, perperàm & impiè damnat hanc piam Ecclesiæ praxim, tanquam superstitiosum Gentilium ritum.

Denique non *Iconomachis* favet, etsi Can. 36. dicat: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus pingatur.* Quia hoc Canone non prohibentur Imagines absolute, sed solum ne in parietibus Ecclesiæ depingantur, & hujus prohibitionis & Canonis causæ fuere variæ. Prima fuit, ne imminente persecutione, Christiani has sic in parietibus pictas Imagines cogerentur relinquere, eas secum auferre non valentes & occultare, sicque ibi pictæ remanentes, ludibrio essent Judæis atque Paganis. Secunda fuit, ne hujusmodi picturæ, humiditate, vel parietum decrustatione corruptæ deformarentur: sicque Imagines per eas repræsentatæ, amissa venerabili forma, contemptui exponerentur ac ludibrio potiùs quàm venerationi. Tertia hujus prohibitionis & Canonis esse potuit, exigentia temporis & loci, quia scilicet id tempus & locus ita exigebant, quia tunc periculum erat, ne Gentiles existimarent, Christianos adorare lapides & ligna, in quibus depictæ videbantur & honorabantur Imagines. Quia vero antiqua illa cessavit necessitas persecutione desinente, ideò illa Illiberitani Concilii prohibitio usu abrogata est, & in Nicæno II. œcumenico Concilio Imagines etiam in parietibus depictæ probatæ fuere Act. 7.

Ex iis ergo Canonibus, erroneum vel reprobatum esse Concilium istud nullatenùs inferendum, sed potiùs venerandum, licèt Provinciale tantùm, & non confirmatum; cùm illius Canones laudentur interdum à subsequentibus Conciliis; laudatur enim ab *Osio* in Sardicensi Concilio hujusce Illiberitani Concilii 21. Canon: *Si quis in civitate positus, per tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.*

9. *Ancyranum* ab *Ancyra* Galatiæ civitate dictum, anno Domini 314. sub *Silvestro* Romano Pontifice, in causa similiter lapsorum, finitæ persecutionis occasione convocatum. Cùm enim post *Maximini* Christianorum persecutoris *obitum*, omnis ab Ecclesia tyrannidis metus cessasset, Orientales Episcopi hac pacis occasione freti, ad instantiam lapsorum in Ecclesiæ Communionem recipi petentium, hoc celebrarunt *Ancyræ* Concilium in Asia, à *Vitali* Antiocheno Episcopo convocati, conveneruntque numero 18. qui posteà ferè omnes Concilio interfuere Nicæno, anno 325. Statuerunt autem interim divini Spiritus afflatu, hoc in Concilio Ancyræ pro lapsis habito illud idem, quod sub Deciana persecutione Romæ *Cornelius*, Carthagine *Cyprianus*, in Ponto *Gregorius*, sub Diocletiani tyrannide in Ægypto *Petrus Alexandrinus*, & quod denique *Elibert* Hispaniarum Episcopi, idque unanimi consensu, quantumvis loco & tempore dissiti; ne scilicet quispiam lapsorum ad Ecclesiæ communionem admitteretur, nisi priùs pœnitentia peracta delicto congrua, in cujus rei finem, 24. Canones ediderunt, quibus quam quisque pœnitentiam subire debeat, facile dignoscere valeat. Approbatum fuisse Concilium istud à Nicæna œcumenica Synodo constat ex Act. 4. Florentini Concilii.

10. *Neocæsariense*, hoc est, *Neocæsareæ* in Cappadocia eodem anno 314. & sub eodem *Silvestro* Romano Pontifice habitum; in quo cùm in Ancyrano Concilio, ea quæ ad reformandos Orientalis Ecclesiæ mores spectabant, nondum plane ac perfectè fuissent constituta, Episcopi 13.

N 2 & iidem

& iidem ferè omnes, qui Ancyrano interfuere Concilio, pro reformandis fidelium moribus, 14. edidere Canones, qui sicut & Ancyrani fuere à Concilio œcumenico primo Nicæno comprobati.

II. *Laodicenum*, sive apud *Laodiceam* Phrygiæ Pacatianæ civitatem celebratum Concilium aliud, inter Neocæsariense & Nicænum I. sub eodem Silvestro, anno circiter 320. in quo ad restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam, anctore *Nunechio* Phrygiæ Metropolitano, congregati fuere ex diversis Asiæ regionibus Episcopi 32. qui ad reformandos fidelium mores, 59. edidere Canones; quorum primus est de Bigamis: & ultimus de his, quas psalli vel legi in Ecclesia convenit Scripturis, sive de Canonicis Scripturis.

ARTICULUS III.

De Conciliis, in causa rebaptizantium Hæreticos, habitis.

Concilia in quibus præsertim actum est contra rebaptizantes Hæreticos.

IN firmando rebaptizantium ab Hæreticis baptizatos errore, ab *Agrippino* ante Cyprianum Carthaginensium Antistite primùm orto, varia fuere diversis temporibus habita Concilia, sed reprobata, & nullius ponderis hæc omnia, qualia fuere

1. *Africanum* unum anno Domini 215. sub *Zephyrino* Romano Pontifice, ab *Agrippino* convocatis Africæ & Numidiæ Episcopis habitum; in quo definitum est, Baptisma ab Hæreticis collatum iterandum esse, quia extra Ecclesiam collatum, ac proinde nullum: ex quo novo errore, variæ deinde ortæ in Ecclesia rixæ. Istius meminit Concilii *S. Cyprianus* in Epist. 73. ad *Jubajanum* scripta, dicens: *Apud nos autem non nova, nec repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Episcopi hoc statuerint.*

2. *Iconiense* Concilium sub *Stephano* Papa, anno 258. contra Cataphrygas habitum, hoc est, *Iconii* in Phrygia, occasione Cataphrygarum hæreticorum celebratum; ut de ipsorum, aliorumve hæreticorum omnium Baptismatis valore quid statuendum foret, inquireretur; & in quo ab Episcopis ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliisque proximis regionibus congregatis statutum est, nihil eorum quæ ab hæreticis facta sunt, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse; Ordinationes, Baptismum, manuum impositiones, omne denique quodcumque sacrum ab hæreticis collatum, invalidum esse. At *Stephanus* Papa Orientales Episcopos hæc statuentes excommunicat, & Apostolicæ Sedis Communione privat; Concilium verò hoc ut erraticum, utpote quia contra Apostolorum traditionem, erroris dogma confirmans, reprobat: Orientales verò mittunt Legatos Romam, qui Stephano Romano Pontifici de rebus in Concilio gestis rationem redderent. Sed Romam cùm venissent Legati, à Stephano neque recepti fuere, neque auditi; quam ob causam *Firmilianus* Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, hanc, quam hujus Concilii acta referunt, ad *Cyprianum* scripsit Epistolam, in qua valdè conqueritur de non auditis à Stephano Romano Pontifice Legatis, & hujusce Concilii mentionem facit, tanquam de præcipuis Concilii Patribus unus.

3. *Synadense*, hoc est, *Synadis* in Asia, sub eodem *Stephano* Papa, & eodem

eodem anno 258. quo Iconiense Concilium, in causa Baptismi ab hæreticis collati, habitum; & in quo idem ferè quod in Iconiensi statutum est, nimirum Baptismum ab hæreticis collatum, prorsus invalidum esse.

4. *Carthaginense I.* sub *Stephano I.* Rom. Pont. anno 258. in causa Baptismatis hæreticorum habitum; in quo, ab Episcopis Numidiæ de iterando hæreticorum Baptismate per literas à Cypriano consulti Patres Carthagine congregati, cùm ex Africanis alii juxta Apostolicam traditionem sentirent, non esse rebaptizandos eos, qui ritè ab hæreticis essent baptizati; alii econtrà dicerent, unum baptisma dumtaxat unius Ecclesiæ esse, ideòque apud hæreticos qui extra Ecclesiam sunt, Baptismum verum esse non posse. Qua inquisitione prævia, tandem definierunt, cùm unum sit in sancta Ecclesia Baptisma, neminem foris extra Ecclesiam baptizari posse, ac proinde ab hæreticis baptizatos rebaptizandos esse, vel potiùs baptizandos, quia nondum baptizatos.

5. *Carthaginense II.* eodem anno 258. sub eodem Romano Pontifice *Stephano I.* & in eadem causa Baptismi ab hæreticis collati, à Cypriano ex Africa ac Numidia convocatum, ut ea quæ in præcedenti Concilio fuerant constituta, à pleniore firmarentur Episcoporum cœtu. Ad illud convenere Episcopi numero 71. eo fine, ut quod singuli sentirent de traditionibus Majorum sanctè inviolabiliterque servandis, deponerent: quique cùm convenissent, illud idem quod suprà in præcedentibus Conciliis Africanis, in hac Baptismi ab hæreticis collati, & Basilidis causa habitis definitum fuerat, duplici decreto confirmarunt; quorum 1. est, ut qui in Ecclesia ordinati, à fide defecerunt, revertentes ad Ecclesiam, nonnisi ad laicam communionem reciperentur. 2. Est, ut Baptismus ab hæreticis collatus, nedum pro invalido, sed etiam pro nullo haberetur. Quæ cùm ad Rom. Pont. Stephanum per Synodicam Epistolam scripta fuere, Summus ipse Pontifex Concilium hoc reprobavit, mandavitque sanctissimè, ne à traditione Apostolica, de non iterando hæreticorum Baptismate, vel latum unguem recederent; eorum videlicet hæreticorum, qui ritè, hoc est, eadem forma qua utitur Ecclesia, verbis scilicet Euangelicis baptizassent, omnesque sic ritè ab hæreticis baptizatos, si ad Ecclesiam redire cuperent, non aliter, quàm per solam manuum impositionem, admitterent.

6. *Carthaginense III.* eodem pariter anno 258. in eadem causa, & sub eodem *Stephano* Papa, à Cypriano hac occasione convocatum. Videns *Cyprianus* ea, quæ in præcedenti Africano Concilio, de hæreticorum Baptismate fuerunt statuta, à *Stephano* Papa per literas redditas fuisse reprobata, statim aliud, & Episcoporum numero majus Concilium Carthagine celebrandum esse decrevit; quare convocatis ex Africa, Numidia, & Mauritania Episcopis, iisque numero 87. Carthagine congregatis, hoc tertium in eadem Baptismi causa Concilium habuit, cujus acta non alia supersunt, quàm quæ ex Cypriano & Augustino de Baptismate contra Donatistas referuntur lib. 3. cap. 4. 5. & 6. & lib. 7. cap. 1.

ARTICULUS IV.

De Conciliis in causa Donatistarum habitis.

Concilia varia, quorum alia à Donatistis, alia contra Donatistas habita.

PEndente Donatistarum causa, quæ multa per sæcula, variis calamitatum telis, rixis & cladibus Africanam vexavit & agitavit Ecclesiam, varia reperiuntur habita tum à Donatistis Conciliabula, tum à Catholicis in Donatistas Concilia, qualia sunt

1. *Cirtense* Conciliabulum, de quo supra, anno 303. vel 305. ut volunt alii, à præcipuis Donatistarum Episcopis habitum, Præside *Secundo* Tigisitano Episcopo, Numidiæque Primate, sub Marcellino Papa, ad alium in locum defuncti Cirtensis Episcopi subrogandum Episcopum, & re ipsa in locum traditoris Episcopi, electus fuit hoc in Conciliabulo *Paulus* quidam, qui traditor & ipse. Quibus peractis, inquirens *Secundus Tigisitanus* de sacrorum codicum traditoribus, traditores fuisse convincuntur hoc in Conciliabulo præsentes Episcopi: à *Purpurio* accusatus fuit & ipse ejusdem sceleris *Secundus* Tigisitanus Episcopus Conciliabuli Præses, sicque traditores isti Donatistarum præcipui traditorem elegerunt; qui tamen posteà Cæcilianum, sed perperam & falsò, ut traditorem, & à traditore ordinatum accusarunt & damnarunt, quique se ab omni traditionis labe puros prædicabant.

2. *Carthaginense I.* anno Domini 306. sub *Marcello* Romano Pontifice, & Imp. *Constantino* celebratum: quod non Concilium propriè, sed Conciliabulum jure dicendum; in hoc enim Schismatici Donatistæ Episcopi ferè 70. accersitis ex Numidia Episcopis aliis, *Cæcilianum* Carthaginensis Ecclesiæ Antistiti *Mensurio* subrogatum, falsò accusatum, quòd sæviente persecutione sacros Libros tradidisset, quòd à Felice Aptungitano Episcopo traditore ordinatus esset, quòd victum Martyribus in carcere detentis afferri prohibuisset, injustè condemnarunt, fidelium Communione privarunt, & ejus in locum *Majorinum* quemdam Pseudo-Episcopum intruserunt.

3. *Carthaginense II.* sub eodem *Marcello* Romano Pontifice, ab iisdem Schismaticis Donatistis habitum, anno Domini 308. in quo, postquam 75. diebus acriter disceptatum fuisset, ducenti septuaginta Donatistæ decreverunt, ut traditores, etiamsi baptizari nollent, ad communionem reciperentur. Ut hoc Concilium ab hominum memoria penitùs deleretur, Donatistæ magno studio curarunt; cùm enim se omninò puros, & nulla unquam traditionis macula fœdatos fuisse prædicarent, ac propterea se contra *Cæcilianum*, ejusque socios traditionis labe notatos, solo justitiæ zelo bellum gerere jactitarent; Concilium verò istud numerosissimum, ex Donatistarum traditorum grege collectum, mendacia, impietatem, atque immunditiam eorum detegeret, ideò non mirum, si illud omninò ex hominum memoria deleri tentaverint.

4. *Romanum* sub *Melchiade* Romano Pontifice, anno Domini 313. ad quod cùm citati venissent Cæcilianus, ejusque tum accusatores, tum defensores, congregatique essent in Laterano cum *Melchiade* 18. Episcopi, è quibus quindecim erant Itali, & tres alii Galliarum Episcopi, videlicet *Maternus* Coloniæ Agrippinæ Episcopus, *Rheticius* Augustodunensis, & *Marinus* Arelatensis, indicti Concilii causa proposita, accusatur

tur *Cæcilianus* à Donatiſtis. Defenditur econtrà à Catholicis: ut Schiſmatis auctor arguitur *Donatus* à Caſis nigris, & ſuorum contra *Cæcilianum* productorum teſtium confeſſione de illata calumnia convincitur; qua diſquiſitione prævia, Summus Pontifex *Melchiades* cum Concilio *Cæcilianum* ut innocentem, & calumniosè accuſatum abſolvit; Donatum verò, quòd lapſos non per ſolam manuum impoſitionem, ſed potiùs rebaptizando Eccleſiæ reconciliaſſet, Cæcilianumque calumniatus fuiſſet, juſto judicio condemnat.

5. *Arelatenſe I.* ſub *Silveſtro* Romano Pontifice, anno Domini 314. in cauſa Cæciliani à Conſtantino Imperatore in Galliis tunc degente convocatum, occaſione Donatiſtarum de Concilio Romæ ſub Melchiade habito conquerentium, & ab eo ad Imperatorem Conſtantinum appellantium, eò quòd de *Felice Aptungitano* Epiſcopo, quem ſicut Cæcilianum traditorem fuiſſe, & Cæcilianum ipſum ordinaſſe dicebant, nihil definitum eſſet. Cùm enim ſapiens & pius Imperator eis, impium ac injuſtum eſſe ab Eccleſiaſtico judicio ad ſæculare tribunal provocare, in vanum oſtendiſſet; ne quis illis denegatæ juſtitiæ prætextus competeret, novum judicium decernit; Æliano Africano Proconſuli mandat, ut de facto & traditione Felicis Epiſcopi diligenter inquirat. Proconſul Felicis innocentiam, & Donatiſtarum calumniam variis teſtium depoſitionibus confirmatam agnovit, ſicque Felicem à calumnia Donatiſtarum abſolvit. Ab ejus ſententia ad Imperatorem iterùm Donatiſtæ provocant. Ut non per ſe, vel per ſuos magiſtratus, ſed per Epiſcopos negotium hoc Eccleſiaſticum definiret Imperator, Concilium hoc Arelate in Galliis habendum indixit: ad quod non ſexcenti, ut ſcribit *Ado*, ſed ducenti venere Epiſcopi; de quorum numero fuere *Claudius* & *Vitus* Presbyteri, *Eugenius* & *Cyriacus* Diaconi, ut Concilii Præſides, & Silveſtri Romani Pontificis Legati. Interfuiſſe dicitur à nonnullis & ipſe, quamvis præter morem, & adhuc Catechumenus, Imperator Conſtantinus, ad arcendas Donatiſtarum ſeditiones & turbas; licèt interfuiſſe negent alii, perhibentque tum ex ejus ad Concilii Patres Epiſtola, tum ex Euſebii ſilentio, & denique ex Donatiſtarum ab hoc Concilio ad Imperatorem appellatione. Sed de Imperatoris præſentia quidquid ſit, hoc in Concilio diſcuſſa eſt Cæciliani & Donatiſtarum cauſa, damnati Donatiſtæ, abſolutus Cæcilianus, & 23. pro Eccleſiaſtica diſciplina editi Canones; ſicque finita Cæciliani cauſa, receſſere ſicut acceſſerant ſumptibus Imperatoris, Epiſcopi.

6. *Africanum* unum ſub *Anaſtaſio* Romano Pontifice, anno Domini 401. pro reconciliandis Eccleſiæ Donatiſtis convocatum ex omnibus Africæ Provinciis, & Carthagine idibus Septembris habitum; in quo inter alia, ut faciliùs ad Eccleſiæ pacem & unitatem redirent Schiſmatici, decreta eſt legatio ad Romanum Pontificem, pro obtinenda indulgentia, qua Donatiſtis ad Catholicam redeuntibus Eccleſiam, idem qui anteà relinqueretur dignitatis & honoris gradus.

7. *Africanum* alterum, illudque generale, & ſub *Innocentio* primo in Africa, anno Domini 403. pro reconciliandis Donatiſtis habitum Carthagine, in quo, reverſi Roma Legati cùm quæ ab ipſo Romano Pontifice *Anaſtaſio* obtinuerant, ſignificaſſent, decreta eſt Donatiſtarum Epiſcoporum cum Catholicis conventio, ſcilicet vicini Donatiſtæ cum vicino Catholico Epiſcopo, conventioniſque præſcripta & publicata forma. Quid

autem in ea gestum sit, indicat S. August. contra Cresconium lib. 3. dicens: *Factum est, conventi sunt, recusarunt; quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum est demonstrare.*

8. *Africanum II.* sub eodem *Innocentio I.* Carthagine pariter habitum anno Christi 404. in quo cùm Donatistæ ad pacem & concordiam amicè invitati, fraternam communionem nedum contemnerent, verùm etiam armata manu convenientes Catholicos Episcopos exagitarent, ad huic medendum Ecclesiæ malo, ad Honorium Imperatorem decreta est legatio, qua rogaretur, ut sua interposita imperatoria auctoritate, Donatistarum furorem compesceret.

9. *Africanum III.* sub eodem *Innocentio I.* coactum, & ibidem anno Christi 405. in quo nihil aliud decretum, quàm ut per Legationem Imperatori *Honorio* agerentur gratiæ, de eo quòd Schismatici multi legum ab ipso sancitarum severitate perterriti, relicto schismate ad Catholicam rediissent Ecclesiam, magno totius Africanæ Ecclesiæ gaudio.

10. *Africanum IV.* sub eodem *Innocentio*, anno Christi 407. Carthagine similiter celebratum, & in quo, inter alia, decreta est ad Imperatorem *Honorium* legatio, pro Ecclesiasticarum rerum defensione contra Donatistas & Paganos.

11. *Africanum V. Africanum VI. Africanum VII.* hæc tria pariter sub *Innocentio I.* Carthagine contra Donatistas habita; duo scilicet priora, anno 408. hac occasione. Cùm post *Stiliconem* Occidentalis Imperii perduellem, ac proditorem ab *Heraclio* interfectum, Gentiles & Donatistæ in Africa falso rumore jactarent, leges contra se, non ex Honorii Imperatoris voluntate, sed ex sola *Stiliconis* opera fuisse latas, ideòque illarum vim unà cum Stilicone lapsam & extinctam, ac proinde in Catholicos insurgerent Episcopos; duæ ad Honorium Imperatorem duobus in istis Conciliis legationes fuere decretæ, quibus rogaretur, ut omnia confirmaret Stiliconis statuta. In 3. verò Concilio, scilicet Africano VII. anno 409. habito, confirmantur ea, quæ in præcedentibus fuere definita Conciliis.

12. *Africanum VIII.* anno Christi 410. Carthagine iterùm sub *Innocentio I.* Romano Pontifice, & Honorio Imperatore celebratum; in quo legationem ad Honorium Imperatorem Africani decreverunt Episcopi, qua rogarent eum, ut edictum Donatistarum gratia latum revocaret, quo licebat eis quam quique vellent religionem amplecti; idque ad vitandum futurum, quod ex illo timebant, magnum Christianæ Religionis dispendium.

13. *Cirtense* denique Concilium alterum, anno Christi 412. sub eodem *Innocentio I.* in Numidia *Cirtæ* habitum, hoc est, in Algeritano regno; est enim *Cirta* Numidiæ caput, hodiernique Algeritani regni urbs primaria, dicta *Constantina*; in qua contra Donatistas habitum est Concilium istud: Cùm enim Donatistæ collatione victi & confutati sæviùs grassarentur, verbisque simul ac scriptis mendacia spargerent in Catholicos quamplurima, & Catholicis solis, nequaquam Donatistis loqui fuisse permissum assererent, *Silvanus* Numidiæ Primas, sanctus *Augustinus*, aliive plures ejusdem Provinciæ Prælati Concilium istud celebrarunt, ut inquirerent & consulerent de modo, quo Donatistarum calumniis & mendaciis occurrendum foret.

ARTICULUS V.

De Conciliis in causa Arianorum, vel Semi-Arianorum habitis.

NUlla hactenus in Ecclesia Christi grassata est hæresis, quæ tot fuerit Conciliorum occasio, quot Ariana, Dei Filium Patri ὁμοούσιον, seu consubstantialem esse negans; decursuque temporis tres in sectas divisa, quarum prima fuit *Ætianorum & Eunomianorum*; secunda *Semi-Arianorum*; tertia *Acacianorum*: *Ætianorum* cum Ario blasphemantium Dei Filium, nec ejusdem, nec similis cum Patre substantiæ esse, sed per omnia dissimilem, seu ἀνόμοιον; *Semi-Arianorum* verò asserentium, esse quidem non consubstantialem, seu ejusdem substantiæ, sed similis substantiæ, seu ὁμοιούσιον, ac per omnia similem; *Acacianorum* denique tenentium cum *Acacio*, Filium Dei nec esse ejusdem, nec similis substantiæ, nec creaturam aliquam, esse tamen Patri similem, seu ὅμοιον; eo ferè modo quo effigies hominis est similis homini, licèt diversæ dissimilisque sit substantiæ. Quæ tres Arianicæ sectæ factiones tam uberem præbuere Conciliorum materiam, ut in nulla alia tot reperiantur habita, quot in Arianica materia, Concilia: Fuere autem hac in materia, pro vel contra habita, præsertim ista:

Concilia numero multa, quorum aliqua ab Arianis, alia contra Arianos vel Semi-Arianos habita.

1. *Alexandrinum I.* sub *Silvestro* Romano Pontifice, anno Christi 315. ab Alexandro Alexandrino Episcopo, cum ferè centum Episcopis aliis habitum, in quo condemnatur, & à Communione Catholica rejicitur Arius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter; quòd, quamvis ad resipiscendum sæpè monitus, in sua blasphemia perseverans, cum 12. quos seduxerat, suæ blasphemiæ sociis pertinaciter doceret, Filium Dei non ab æterno à Patre genitum, sed in tempore creatum esse.

2. *Alexandrinum II.* anno 319. sub eodem Silvestro Alexandriæ pariter in Ægypto habitum, indictumque ab Osio Cordubensi Episcopo, ut sanctæ Sedis Legato, ad componendos in Ægypto excitatos Arianorum motus; cui interfuere omnes Alexandriæ Primatiæ Episcopi; unde est quòd S. Athanasius Apologia 2. hunc Episcoporum conventum, generale Concilium dicat; quòd in eo per Legatum interfuerit Romanus Pontifex, & in quo juxta eumdem *Athanasium* ibidem, nedum Arianorum, sed etiam Meletianorum, & Colluthianorum schismaticorum causa, impiaque Sabellii de Trinitate doctrina cognita est ac judicata.

3. *Nicænum* & œcumenicum I. de quo supra, sub eodem Silvestro anno 325. contra *Arianos* præsertim, & *Paschatitas*, à 318. Patribus, præsente Imperatore magno Constantino, habitum.

4. *Tyrium* Conciliabulum ab Arianis Episcopis contra *Athanasium*, anno 335. sub *Silvestro* Tyri celebratum, ad quod licèt illegitimum, quia ab Imperatore præter jus indictum, quia Arianæ tantùm sectæ Episcopi ad illud vocati, & quia in eo, sub prætextu comprimendi tumultus, Præsidem agebat *Dionysius* Comes cum militari manu; citatus tamen comparuit innocens *Athanasius* cum 47. aliis Ægypti Catholicis Episcopis, ne suæ videretur causæ diffidere, & adversariis triumphandi locum dare. Illi variæ objectæ calumniæ, quarum 1. fuit quòd illegitimè fuisset electus. 2. quòd *Philumeno* Imperatoris hosti magnam pecuniæ summam misisset. 3. quòd *Arsenium* Episcopum interfecisset. 4. denique, quòd meretri-

culæ

culæ cuidam vim intulisset : sed ab iis omnibus se purum & innocentem exhibuit Athanasius.

5. *Jerosolymitanum* Conciliabulum eodem anno 335. & ab iisdem Eusebianis Episcopis habitum, in quo, post approbatam fidei confessionem, ab Ario Imperatori oblatam, ambiguam quidem, & in specie Catholicam, Arius ipse recipitur, & Alexandrinæ Ecclesiæ restituitur; *Athanasius* verò de novo crimine læsæ Majestatis falsò accusatus, & per falsos Eusebianæ factionis testes in specie convictus, dixisse se impediturum, ne quid frumenti deveheretur Alexandria Constantinopolim, ab Imperatore Constantino etiam non auditus in Galliam relegatur, & Treviris à *Maximino* Episcopo receptus, non ut profugus & exul, sed ut generosus fidei Athleta, Christique Confessor illustris.

6. *Constantinopolitanum* Conciliabulum, occasione *Marcelli* Ancyrani, ab Arianis habitum anno 337. Qui enim Athanasium è Sede expulerant Ariani, cùm Marcellum Ancyranum in Galatia Episcopum, alterum fidei Catholicæ defensorem, suæque Arianorum factioni infensissimum viderent, illum post calumnias multas, de hæresi falsò accusant, eumque quasi cum Paulo Samozateno, contra *Asterium* Arianæ Sectæ Sophistam scribendo sentire, & Christum purum hominem esse docere dicunt, condemnant, Episcopatu suo privant, & in exilium transmittunt.

7. *Romanum* anno Domini 337. à Julio I. Romano Pontifice in ipso sui Pontificatus initio convocatum, & ab eodem cum centum & sexdecim aliis Orthodoxis Episcopis habitum, duabus potissimùm de causis : prima fuit, ut certæ fidei confessionem ederet, ipsamque Synodum Nicænam suo quoque calculo confirmaret; altera, ut Arianam jam damnatam hæresim ipse quoque suo judicio præscriberet.

8. *Alexandrinum* ex Orthodoxis Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopis, in causa Athanasii sub *Julio I.* Rom. Pontifice convocatum, anno 339. in quo examinantur, & calumniis plenæ reperiuntur Arianorum novæ in Athanasium, post exilii biennium suæ Ecclesiæ restitutum, accusationes; eum enim ab exilio rediisse, ægrè ferentes Ariani, dicebant 1. ejus omni odiosum populo esse reditum, cædesque concitasse plurimas. 2. Athanasium à Synodo *Tyria* damnatum, absque Synodali decreto temerè & contra Canones in suam rediisse Sedem. 3. denique ipsum frumentum, ex liberalitate Imperatoris, Ægypti ac Libyæ viduis distribui solitum, subripuisse.

9. *Antiochenum* sub *Julio I.* similiter convocatum, anno 340. in quo Ariani, quantumvis reclamantibus Catholicis, Constantii Imperatoris nutu & favore, Athanasium, quasi contra Canones, ut ajebant, ab exilio revocatum, & suæ Alexandrinæ Ecclesiæ sine Synodo restitutum deposuerunt, & ejus in locum *Gregorium* Cappadocem intruserunt.

10. *Romanum II.* sub *Julio* pariter habitum, in causa Athanasii anno 340. & 341. Cùm enim Ariani, per Alexandrinæ Ecclesiæ Legatos, Romæ coram *Julio* Romano Pontifice convicti ad Concilium appellassent, & Julius eorum appellationi deferens, hoc Romæ Concilium indixisset, Arianos cum *Athanasio* ad illud venire mandans, statimque venisset *Athanasius*, & Romæ ultra annum & sex menses Arianos expectasset, interimque ibi vitam S. Antonii à se scriptam promulgasset, publicam fidei professionem, quæ Symbolum Athanasii vulgò nuncupatur, latino sermone coram Romano Pontifice recitasset, ac diutius è

sua

ſua abeſſet Eccleſia, quàm par erat, cauſa ejus à 50. Epiſcopis hoc in Concilio congregatis diſcuſſa eſt, & cognitis accuſantium Euſebianorum calumniis, publicè iterùm abſolutus, & in communionem receptus eſt, & deinde Marcelli Ancyrani, & aliorum plurimorum Epiſcoporum cauſa cognita.

11. *Romanum III.* ſub eodem *Julio*, pro Athanaſio coactum anno 342. conquerentibus Arianis per legatos & literas ad *Julium* miſſas, de Athanaſio abſoluto, de termini ad comparendum præfixi anguſtia, de judicio ipſius Romani Pontificis, & Concilii illegitimè uſurpato, deque nonnullis aliis; *Julius* hoc Comprovincialium Epiſcoporum congregato Concilio, literas calumniantium legi præcipit, & quid calumniantibus ſit reſpondendum inquirit: placuitque Concilii Patribus, ut per Epiſtolam omnium nomine à Julio ſcriptam, Euſebianorum refutentur calumniæ, & juſta Athanaſii, Marcelli, & aliorum defendatur abſolutio.

12. *Antiochenum II.* ab Arianis ſub *Julio* pariter habitum anno 344. in quo Ariani, ſeu Orientales Epiſcopi, ut à ſe Arianæ hæreſeos ſuſpicionem removerent, & inter Occidentales Orthodoxos deciperent Epiſcopos, Conſubſtantialitatiſque nomen delerent, rejectis prioribus fidei formulis, aliam prolixiorem ediderunt, in ſpecie Catholicam, & apparenter damnantem Arianæ doctrinæ perfidiam; eamque ad Occidentales Epiſcopos, ſed nullo cum ſucceſſu tranſmiſerunt.

13. *Mediolanenſe* ſub eodem *Julio*, & eodem anno 344. à Catholicis habitum, in quo Mediolani congregati Orthodoxi Patres, tranſmiſſam ſibi ab Orientalibus fidei formulam per *Eudoxium*, *Martyrium*, *Macedonium*, & *Demophilum* Legatos, examinarunt, & ob novitatem, vocemque *Conſubſtantialitatis* omiſſam, ejecerunt.

14. *Sardicenſe* generale, hoc eſt, à *Julio I.* indictum anno 347. & *Sardicæ*, quæ eſt urbs Thraciæ Metropolis, à Catholicis habitum, pro cauſa Athanaſii, ſeu pro reſtituendo in propriam Sedem Athanaſio per Arianos perperam & iniquè dejecto: ad quod 376. venere Epiſcopi, trecenti videlicet Occidentales, & 76. Orientales; ſed diviſi ab Occidentalibus Orientales iſti, nolentes cum *Athanaſio*, *Marcello* Ancyrano, eorumque defenſoribus aliis communicare, *Philippopolim* ſe tranſtulere, ibique ſeorſim ſuum Conciliabulum habuere, quod nihilominus perperàm & falsò Concilium Sardicenſe dixere, ſuum interim verum ac legitimum Sardicæ proſequentibus Occidentalibus Orthodoxis. Unde ortum eſt, ut duplex vulgò circumferatur Sardicenſe Concilium, Orthodoxum unum, verè ac legitimè *Sardicæ* habitum, Arianorum alterum, ſpurium, ac illegitimum *Philippopoli* celebratum, & Sardicenſis nomine ab Arianis perperàm ventilatum, ſed ab Eccleſia ſemper rejectum, tum quia in eo ſtabilita Arii dogmata, & edita Arianæ fidei formula, tum quia in eo Oſium, cæteroſque Orthodoxos, imò & ipſum Summum Pontificem Julium excommunicare attentatum eſt. Primum econtrà Sardicæ à Catholicis habitum, à Romano Pontifice ex toto orbe Chriſtiano convocatum, & præſidentibus *Archidamo & Polyxeno* Presbyteris, ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatis, ſemper ut legitimum & œcumenicum ab Eccleſia receptum, & unum & idem cum Nicæno œcumenico I. ſpectatum; tum quia in eo iidem ferè Patres interfuere, qui in Nicæno; tum quia nihil in eo de novo conſtitutum, ſed ſolùm Nicæni confirmata fides; nec in eo novi editi Canones, ſed ſolùm confirmati, vel explicati Nicæni: unde

unde est, quòd sicut Symbolum *Constantinopolitanum* passim vocatur Nicænum, quia est explicatio Nicæni; ita *Zosimus*, *Bonifacius*, & *Cælestinus* suis in Epistolis, imò & Concilii VI. Carthaginensis Patres, Canones Concilii Sardicensis vocant Nicænos, quia re ipsa Canones Sardicenses nihil sunt aliud, quàm Nicænorum confirmatio vel explicatio.

Dices. Sardicense Concilium Canone 3. 4. & 7. statuit, à judicio Concilii Provincialis ad Romanum Pontificem appellari posse: sed de hoc nihil in Nicæno Concilio fuerat statutum; ergo. Resp. perm. maj. neg. min. Ratio est, quia hoc jam fuerat statutum, si non explicitè, saltem implicitè in Nicæno Concilio Can. 6. quo præcipitur *antiquas Ecclesiæ consuetudines observari*; ergo & appellationes, quæ anterioribus sæculis observari solebant. Scribit enim *S. Leo* Epist. 89. ad Episcopos Galliæ, hanc esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem; ad *Pium I. Marcion*, ad *Cornelium Fortunatus*, & *Felix* in Africa ad *Stephanum* Pontificem, *Basilides* in Hispania depositus, appellarunt. *Athanasius* ad *Julium* Pontificem provocans, per eum ab Arianorum calumnia, & depositionis sententia absolutus fuit; unde manifestum est, Sardicensis Concilii Patres hoc Canone de jure appellandi, nihil de novo statuisse, quod non fuerit implicitè saltem statutum à Nicæni Concilii Patribus, seu per hoc Sardicense Concilium, non est inductum de novo jus appellationis, sed solùm declaratum, usum & exercitium talis juris jam inducti omninò expedire ad tollendam omnem tyrannidis occasionem: & huic Sardicensi Canoni occasio fuit *S. Athanasius* ad Julium appellans, injustè damnatus, & depositus ab Eusebianorum Concilio, quam appellationem illegitimam, sibique injuriam dum clamarent Eusebiani, volentes à Concilio multorum Episcoporum non posse appellari, nisi ad majoris numeri Concilium; ideò Patres Sardicenses; hos præfatos 3. 4. & 7. edidere de jure appellandi Canones, sextum explicantes & confirmantes Concilii Nicæni Canonem.

15. *Mediolanense II.* anno 350. à Catholicis in Arianos sub *Julio* pariter habitum; in quo *Valens* & *Ursacius*, præmissis ad *Athanasium* literis pacificis & communicatoriis, pœnitentia ducti, confessi sunt, omnia à se hactenus in Athanasium dicta vel facta, falsa & meram calumniam esse, seque ad Arianam fidem execrandam & abjurandam esse paratos; ideòque ob rei gravitatem, ad *Julium* Romanum Pontificem à Concilio fuere missi, ut coram ipso hæresim abjurarent, & spectante Romana Ecclesia *Exomologesim* agerent: quibus peractis, fuere venia donati, & in communionem Ecclesiæ recepti.

16. *Jerosolymitanum* eodem anno 350. & sub eodem *Julio*, pro Athanasio à Maximo Jerosolymitano congregatum; in quo Episcopi illi, qui olim sententiæ in Athanasium latæ subscripserant, suum delictum confessi & detestati, eam quam postularunt, præsentis Athanasii communionem & reconciliationem impetrarunt.

17. *Mediolanense* universale, seu Concilium in causa Athanasii sub *Liberio* Romano Pontifice, & Constantio Imperatore, anno 355. Mediolani habitum, occasione promulgati ab Imperatore edicti, de subscribendo sub pœna exilii, condemnationi Athanasii, à Liberio Pontifice ad avertendam ab Ecclesia persecutionem imminentem, duabus legationibus expetitum; & à Constantio Imperatore, eo fine concessum, ut trecentos & ampliùs Occidentis Episcopos Catholicos eodem in loco congregatos, ad in-

ad innocentem condemnandum Athanasium, per vim impelleret; nolentes verò Sedibus suis expulsos relegaret. Et reipsa hoc in Concilio, de novo *Valens* & *Ursacius* Arianæ sectæ defensores præcipui, perfidique nebulones relapsi, novas in Athanasium calumnias opponunt, ejusque damnationem urgent, & hæretico favente, Catholicisque vim faciente Imperatore impetrant. Ad subscribendum condemnationi urgentur Catholici Episcopi. Plurimi sperantes inde futuram Ecclesiæ pacem, subscripsere; *Lucifer* verò *Calaritanus* Episcopus, *Pancratius* Presbyter, & *Hilarius* Diaconus, Sedis Apostolicæ Legati, *Dionysius* Mediolanensis, *Eusebius* Vercellensis Episcopus, ne condemnatione *Athanasii*, fidem quoque Nicænam damnare viderentur, subscribere recusantes, in longinquas & diversas relegati fuere regiones; ipse quoque Romanus Pontifex *Liberius* per nuntios & literas, blanditiis, minisque ad subscribendum tentatus, tandemque furtim noctu, & vi *Mediolanum* translatus, post habitum ibi cum ipso Imperatore dialogum, eamdemque subscriptionem negatam, in Thraciam exul translatus est; unde reprobatum Concilium istud, Conciliabulumque dicendum, æterna oblivione delendum.

18. *Biterrense* Conciliabulum sub *Liberio*, anno Domini 357. à *Saturnino* Arelatensi Episcopo Ariano, favore Constantii convocatum: is enim ægro videns animo, *Hilarium*, & alios Gallicanæ Ecclesiæ Præsules à sua Communione mutuo consensu separatos, hoc *Biterris* in Occitania Concilium haberi curavit, ad quod vi metuque venire Catholici cogerentur Episcopi. Quo in Concilio ne ab Arianis deciperentur Catholici, eis libellum obtulit legendum *Hilarius* Pictaviensis Episcopus, quo Arianorum detegebantur injuriæ, fraudes & hæreses; unde & ipse in Phrygiam relegatus *Hilarius*.

19. *Sirmiense* Concilium 300. & amplius Episcoporum, sic ideò dictum, quia anno 357. in civitate Sirmiensi Pannoniæ præcipua celebratum est, contra *Photinum* Sirmiensem Episcopum, tempore *Liberii* Papæ, eadem in urbe tunc exulantis à Constantio Imperatore: quo in Concilio, duæ fidei formulæ ab Arianis editæ, Catholica secundùm se una, & hæretica altera. Prima docebat, *Christum esse Patri similem secundùm substantiam, silebat tamen consubstantialitatem*; altera verò *substantiæ vocem omittebat*. Approbatum est in eo Concilium istud, quòd *Photinum* damnavit, asserentem cum suo Magistro *Paulo Samozateno*, Antiocheno Episcopo, Christum non esse Deum, sed purum hominem, ex utroque sexu natum; sed reprobatum est in eo, quòd in multis aliis deprehendatur arianizare, maximè dum docet *Filium Dei, qua Deus est, esse Patri obsequentem, & ministrum*.

Primæ hujus Concilii formulæ in se Catholicæ, per vim & minas impulsus subscripsit *Liberius* Romanus Pontifex, Athanasium condemnavit, & cum Arianis communicavit, attestantibus *Athanasio*, *Hilario*, & *Hieronymo*. Nec tamen in hoc dicendus subscripsisse hæresi formaliter & expressè, cùm in se Catholica esset hæc fidei formula, nisi fortè illativè & interpretativè, quatenus communicavit cum Arianis, & Athanasium damnavit, cujus causa erat cum fidei causa conjuncta.

Secundæ fidei formulæ, per vim & tormenta inductus, senio & meritis venerandus subscripsit *Osius*, magnus ille vir, multarum Synodorum auctor, & fidei Catholicæ defensor insignis; sed de hac subscriptione

punien-

puniendus, nisi paulò pòst, de vi & injuria sibi illata protestatus, Arianorum hæresi condemnata, eorumque communione fidelibus interdicta, pœnitentiam egisset, atque ita Dei vindicis iram antevertisset.

20. *Ancyranum*, hoc est, *Ancyræ* à Semi-Arianis in Galatia habitum, anno Domini 358. in quo Orientales Episcopi secundam ac perfidam Sirmianam fidei formulam detestati, ablegatum à Filio Dei *substantiæ* nomen restituentes, impia illius secundæ Sirmiensis fidei formulæ statuta damnarunt, Filiumque Dei secundùm substantiam Patri per omnia similem esse dixerunt; suamque fidem ut exprimerent, 12. regulas, seu definitiones, fidei secundæ Sirmiensi planè repugnantes ediderunt, easque per Legatos ad Constantium Imperatorem Sirmii commorantem miserunt, & quas Libro de Synodis recenset Hilarius.

21. *Ariminense*, post Sirmiense Concilium & Ancyranum, aliud in eadem causa, & Episcoporum numero majus, sub eodem *Liberio* Rom. Pont. indictum est anno 359. & Constantii Imperatoris Arianizantis cura, duas in partes ita divisum, ut Occidentales *Arimini* in Italia convenirent, Orientales verò *Seleuciæ* in Isauria remanerent. Sperabat enim Constantius inde futurum esse, ut sic Orthodoxi loco divisi, dividerentur votis & animis. Major itaque hujusce Concilii pars, hoc est, quadringenti Occidentales Prælati congregati sunt Arimini, & Seleuciæ Orientales circiter ducenti; unde est, quòd hoc in Concilio sic Imperatoris Constantii cura convocato, duasque in partes diviso, & à majori parte, *Ariminensi* vulgò nuncupato, dicantur interfuisse Præsules, sive Occidentales, sive Orientales, circiter 600. Qui Seleuciæ erant congregati, Præsules Ariani ferè omnes, aut saltem partim Semi-Ariani, & partim Acaciani, (præter *Hilarium* Pictaviensem, in Phrygia tunc exulantem, & alios perpaucos Ægypti Prælatos,) abierunt in Conciliabulum, in quo discordes inter se à Semi-Arianis damnantur Acaciani. Quadringenti verò Arimini congregati Orthodoxi omnes, præter 50. juxta Sever. Sulp. vel 80. juxta Athanasium, qui Ariani erant, & inter quos præcipui erant *Ursacius*, *Valens*, *Germinius*, *&c.* sicut inter Orthodoxos eminebant sancti *Phœbadius* Aginnensis Episcopus, *Servatius* Tungrensis, *Restitutus* Carthaginensis, & alii; qui omnes Sirmiensis Concilii fidei formulam damnarunt, fidem Nicænam confirmarunt, & *Valentem*, *Ursacium*, & alios Arianorum præcipuos excommunicarunt.

Quibus sic ritè peractis, & hucusque legitimè gestis, decem Legati ad Constantium mittuntur ab Orthodoxis cum Epistola Synodica, narraturi quid in Concilio definitum aut gestum esset. Totidem deputantur ab Arianis, qui Orthodoxos anteirent, & falsis relationibus Imperatoris aures præoccuparent; quod cùm re ipsa præstitissent, & Orthodoxos falsò insimulassent, Imperator ægrè admodùm ferens, quòd formulam fidei, se præsente Sirmii confirmatam rejecissent, Orthodoxos Concilii Legatos contempsit, eosque ut longa fatigaret mora, Andrianopoli; cæteros verò Arimini congregatos, per hiemem Arimini morari jussit, ibique expectare, donec ab expeditione bellica in Barbaros parata rediret. Interim Ariani novam fidei formulam in specie Catholicam, sed re ipsa Arianam, sub Nicænæ fidei nomine promulgarunt, & jussu Imperatoris subscribendam proposuerunt, & cui tandem exilii, tormentorumque metu ac fraudibus decepti Præsules Orthodoxi subscripsere: hac enim fidei formula

mula fatebantur Ariani, *Filium non esse creaturam, cæteris creaturis similem*: Putabant enim bona fide Orthodoxi, Arianos fateri Filium Dei creaturam non esse absolutè, sed Deum Patri Consubstantialem, seu ὁμοιόνιον. Qua Orthodoxorum subscriptione fraudulenter obtenta, *Valens* & *Ursacius* quasi ovando conclamarunt, se non dixisse, Filium non esse creaturam absolutè, sed solùm non esse creaturam cæteris creaturis similem; neque consubstantialem esse Patri, sed solùm similem in substantia; seu se non dixisse, Filium esse ὅμοιον, sed esse ὁμοιόσιον. Sicque per fraudem damnata est Nicæna fides, & confirmata Arianorum adulterata fidei formula ab omnibus ferè, etiam Orthodoxis Concilii Patribus; ex quo, inquit *S. Hieronymus* in dialog. contra Lucifer. *Totus ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est*: subscripserant enim omnes, præter *Liberium* Pontificem, *Servatium* Tungrensem Episcopum, & alios 18. nec tamen hæretici dicendi illi, qui sic fraudibus decepti subscripsere Præsules, quia sola scribens manus hæreticum non facit, quando reclamat animus. *S. Gaudentius* Ariminensis Episcopus subscribere nolens, fustibus & lapidibus petitus occubuit, gloriosa sic Martyrii palma donatus, & Liberius Summus Pontifex eadem de causa in exilium est relegatus.

22. *Constantinopolitanum* Conciliabulum, eodem tempore, quo Arimini congregati detinebantur adhuc Episcopi, ipso præsente *Constantio* celebratum à 50. circiter Episcopis ex Bithynia congregatis, & à quibus edita nova fidei formula, è qua non modò vox substantiæ, sed etiam voces *hypostasis*, vel *subsistentiæ* aberant; quam cùm Semi-Ariani detestarentur & rejicerent, fuere vicissim ab Arianis condemnati, suisque Sedibus privati, in exilium missi.

23. *Antiochenum* Conciliabulum anno 360. eodem imperante Constantio, eo fine ab Arianis & Acacianis habitum, ut *Meletium* Antiochenum Episcopum Sede sua justè depulsum declararent. Cùm enim *Meletius* ab Eudoxianis & Acacianis, post aliorum Semi-Arianorum depositionem, ad Sedem Antiochenam fuisset evectus, & præter illorum spem & intentum, Dei providentia singulari, Nicæni Concilii fidem publicè tanto zelo prædicaret, ut dum ipsius concionantis os manu obstrueretur ab Archidiacono, digitos ille primò tres, deinde unum exhibens, Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate doceret, jussusque ab Imperatore palinodiam canere recusaret, Sede sua fuit Imperatoris jussu dejectus, & in exilium missus; quam licèt injustam *Meletii* depositionem & relegationem, hoc in Conciliabulo Antiochiæ convenientes approbant Acaciani, novamque rursus fidei formulam omnium deterrimam edunt, qua Filium Patri substantia & voluntate dissimilem, atque ex nihilo ortum esse blasphemant.

24. *Alexandrinum* anno 362. hortatu & auctoritate *Liberii* Romani Pontificis, ab Athanasio è tertio exilio, & quinquennalibus latebris reverso indictum, ut suam Ecclesiam ab Arianæ hæresis sordibus purgaret, ejusque statum dira multorum annorum persecutione collapsum restitueret, pacemque inter dissidentes componeret; cui interfuere ut Romani Pontificis Legati, *Eusebius Vercellensis*, & *Lucifer Calaritanus* Episcopi; & in quo definitum fuit inter alia,

1. Ut Episcopi per ignorantiam, vel tormenta in hæresim lapsi, dum ad Catholicam reverterentur Ecclesiam, in eodem honoris gradu, quo ante

ante lapsum erant insigniti, permanerent; si verò hæresis auctores fuerint, prævia pœnitentia, sublatis honoribus ad Communionem dumtaxat admitterentur laicam.

2. Gravis illa ac periculosa controversia de nominandis in sacrosancta Trinitate suppositis, inter Græcos & Latinos exorta, feliciter tandem fuit sopita: quæ in hoc sita erat, ut Græci, qui tres hypostases dicebant, viderentur Latinis tres οὐσίας, sive essentias cum Ario dicere, eò quòd, *S. Hieronymo teste*, *Epist.* 57. *tota Græcorum profanorum schola discrimen inter hypostasim & οὐσίαν ignorabat.* Latini verò, qui rejecto nomine hypostasis, personas dicebant, Græcis videbantur distinctionem non realem, sed tantùm ratione muneris sive officii, inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum agnoscere; eò quòd nomen personæ ad designandam officii auctoritatem usurpari solet: & ob illam de nominibus litem, eò res pervenerat, ut teste Nazianzeno, oratione de laudibus Athanasii, *Periculum esset, ne orbis terrarum fines*, id est, Orientalis & Occidentalis Ecclesia, *unà cum syllabis à se invicem distraherentur, & abrumperentur.* Effecit autem S. Athanasius hoc in Concilio, ut deposita illa de nominibus controversia, Græci *personæ* nomen pro *hypostasi* usurparent, & Latini vicissim *hypostasim* pro *persona* dicerent; & quamvis *S. Augustino* lib. 5. de Trinitate, cap. 8. & 9. Latinisque posteris hæc non placuerit conciliatio; effecit tamen *S. Hieronymus* Epist. 57. apud *Damasum*, ut reciperetur: & licèt olim vox *hypostasis* pro essentia & *subsistentia* fuerit usurpata, usu tamen deinceps in Ecclesia receptum est & nunc, ut nedum in divinis, sed in natura qualibet intellectuali idem significet græcè *hypostasis*, quod Latinè *persona*.

3. Fidei formula ab Arianis titulo Sardicensis Concilii promulgata, ut spuria & subreptitia, fuit hoc in Concilio rejecta.

25. *Parisiense* anno 362. sub *Liberio* Romano Pontifice celebratum, unumque ex frequentibus Conciliis illis, post *Hilarium* ab exilio reversum in Gallia habitis, quibus Orientalium error adversùs Nicænam fidei professionem, unà cum suis auctoribus nomen *Consubstantialitatis* à Dei Filio relegantibus, penitùs condemnatur.

26. *Alexandrinum II.* sub *Liberio* pariter Romano Pontifice, anno 363. post Juliani Imperatoris obitum, ab Orthodoxis Episcopis, per Athanasium ex Ægypto, Thebaide, ac Libya convocatis habitum, ad conscribendum fidei Catholicæ libellum, novo Imperatori *Joviniano* fidem doceri petenti citò mittendum, ne ab hæreticis præventus, illorum perfidiæ fautor fieret.

27. *Antiochenum II.* sub eodem *Liberio* anno 363. à *Meletio* Antiocheno ac Catholico Episcopo, ad Acacianorum instantiam convocatum; cùm enim Semi-Ariani, Imperatoris animum præoccupaturi, oblato fidei libello postulassent, ut Acaciani Filium Dei Patri in substantia dissimilem esse docentes, suis ejicerentur Sedibus, eorumque in locum substituerentur ipsi Acaciani, *Meletium* illicò rogant & urgent, ut Orthodoxorum Antiochiæ Episcoporum Concilium cogat; quod cùm coegisset Catholicus Antistes, ad illud venere 27. Arianæ factionis Episcopi, ibique omnes ad unum, Nicænam fidem in medium prolatam communi suffragio comprobarunt, suaque subscriptione munitam, ad Imperatorem *Jovinianum* transmitti curarunt, sicque fidem toties impugnatam sunt tandem sine contentione professi.

28. *Lampsa-*

28. *Lampsacenum*, tempore *Liberii* Romani Pontificis, anno 364. à *Semi-Arianis* adversùs Arianos *Lampsaci* in Hellesponto habitum; in quo, juxta *Sozomenum*, lib. 8. cap. 7. decretum est, acta Constantinopoli, opera ac studio *Eudoxii* & *Acacii* cum suis sancita, abroganda esse; fidei formulam in consecratione Ecclesiæ Antiochenæ editam, & Seleuciæ confirmatam, in omnibus Ecclesiis esse tenendam; & ut hi qui ab iis, qui Filium Patri dissimilem asseverant, abdicati essent, suis denuò restituerentur Ecclesiis, utpote quia per nefas & injustè detrusi.

Ex iis omnibus, Concilium istud Catholicum fuisse, colligunt cum *Sozomeno* viri eruditi non pauci, nec deceptum fuisse Sozomenum, dum hujus Concilii Præsules Catholicos esse putavit; Catholici enim dici debent hi Episcopi, qui Arianam damnabant hæresim, fidemque Nicænam agnoscebant, nec ulla aliunde erant erroris labe maculati, quales erant Lampsaceni Concilii Patres. Ab aliis tamen, ut Conciliabulum reputatur Concilium istud, tanquam ab Arianis & Semi-Arianis habitum.

29. *Singedunianum*, seu Conciliabulum anno 366. à *Valente* & *Ursacio*, aliisque eorum in Ariana perfidia sociis, *Singeduni* in Mysia adversùs Semi-Arianos habitum, ut scilicet Semi-Arianos inducere tentarent ad Ariminensem & Constantinopolitanam fidei formulam approbandam, qua Filius Patri tantùm similis esse dicebatur, sed non in substantia, seu non per omnia similis: eoque fine ad *Germinium* Semi-Arianum Epistolam scripsere *Valens* & *Ursacius*, quærentes ab eo quid sentiret ipse de Dei Filio; sed ab eo responsorias accepere literas, suæ doctrinæ dissonas, quibus fatetur Filium Patri per omnia similem, innascibilitate excepta.

30. *Romanum I.* sub *Damaso* Romano Pontifice, anno 367. in quo *Valens* & *Ursacius*, cæterique manifestè Arianizantes fuere damnati, totique terrarum orbi per literas Romani Pontificis denuntiati.

31. *Romanum II.* sub eodem *Damaso*, anno Christi 369. à 90. Episcopis ex Italia & Gallia convocatis habitum; in quo *Auxentius* Mediolanensis Ecclesiæ invasor Episcopus, & Arianus condemnatur, deponitur, & ab omnibus sub pœna anathematis vitandus denuntiatur, & *Ursicinus* schismaticus toties in *Damasum* studia renovans, iterùm damnatur.

32. *Aquilejense* denique Concilium, anno Domini 381. sub *Damaso* pariter habitum à 32. Italis & Pannonicis Episcopis, præsentibusque Gallorum & Afrorum Legatis, *S. Ambrosio* Mediolanensi Episcopo Præside; in quo *Palladius* & *Secundianus* Episcopi Ariani damnantur, qui conquerentes se de hæresi Ariana injustè infamari, ad sui purgationem à *Gratiano* Imperatore universale Concilium indici petierant; sed *S. Ambrosio* hoc indignum esse monente *Gratianum*, ut propter duos in fide cariosos viros, totius orbis convocarentur Episcopi, suarum Ecclesiarum damno, hoc Aquilejæ Concilium indixit, ad quod Italiæ vocavit Episcopos; aliis verò extra Italiam Episcopis ad libitum venire permisit.

ARTICULUS VI.

De Conciliis in causa Pelagianorum, vel Semipelagianorum habitis.

Concilia varia, in quibus Pelagiani atque Semipelagiani cum suis hæresibus damnati.

Circa Pelagianorum, vel Semipelagianorum hæreses, quæ quinto ineunte sæculo in Ecclesia grassari cœpere, varia variis in locis habita reperiuntur Concilia, quorum præcipua sunt ista:

1. *Diospolitanum* Concilium, hoc est, *Diospoli* in Palæstina, anno Domini 415. sub *Innocentio* Papa, hujus nominis primo, à 14. dumtaxat Episcopis, Præside *Eulogio* Cæsariensi Metropolita habitum; in quo Pelagius, post hæreses suas proprio ore simulatè damnatas, fictèque fidei Catholicæ professionem emissam, absolutus est à Concilii Patribus sic errore facti deceptis; & hæc est Synodus illa, quam confirmare renuit *Innocentius*, & quam, miserabilem Synodum vocat *Hieronymus*, Epist. 79. cùm in ea dolosè & miserè egerit, quidquid Pelagius egit.

2. *Carthaginense* sub eodem *Innocentio I.* anno Domini 416. à 34. Episcopis in Africa celebratum, ad Pelagii causam iterùm examinandam, eò quòd in præcedenti Diospolitana Synodo suas hæreses simulatè dumtaxat ejuraverat, quo discusso negotio, & omnibus diligenter inspectis, *Pelagii*, *Cælestii*que proclamata damnatio, nisi suas hæreses ipsi essent damnare parati.

3. *Milevitanum II.* hoc est, *Milevi* in Numidia eodem anno 416. sub eodem *Innocentio I.* Romano Pontifice, & *Silvano* Numidiæ Primate, & contra eosdem, *Pelagium* videlicet & *Cælestium* à 61. Episcopis habitum: qui cùm Pelagianas hæreses, octo Canonibus editis, unanimi consensu damnassent, Synodicam ad Innocentium Romanum Pontificem scripserunt Epistolam, cui & quinque privati ejusdem Concilii Episcopi, videlicet *Aurelius*, *Alipius*, *Augustinus*, *Euodius* & *Possidius*, suas privatas & familiares adjunxere literas, quibus monerent illum, ne cum Pelagianis Romæ degentibus communicaret, aut saltem conniveret, ut secum communicare gloriabantur Pelagiani. Concilium istud ideò Milevitanum II. dicitur, quia sub *Innocentio* Romano Pontifice, duo fuere *Milevi* in Numidia habita Concilia, unum scilicet, illudque primum anno 402. tempore *Xantippi* Numidiæ Primatis; in quo post nonnulla confirmata Synodalia decreta, *Cresconii* Villaregiensis Episcopi, *Quodvultdei* Centuriensis Antistitis, *Maximiani* Vagiensis Præsulis, & *Xantippi* Numidiæ Primatis causæ fuere tractatæ: alterum, illudque II. anno 416. in quo hæresis Pelagiana damnata, quæ tempore Milevitani primi nondum erat exorta.

4. *Africanum*, sive plenarium totius Africæ Concilium, sub *Zozimo* Rom. Pont. anno Christi 438. ab Aurelio Carthaginensi Episcopo, totiusque Africæ Primate convocatum, & ab eodem cum 214. vel 217. Episcopis in eosdem, *Pelagium* videlicet & *Cælestium*, habitum, & de quo S. Prosper in Chronico sic paucis ait: *Concilio apud Carthaginem habito, ducentorum decem & septem Episcoporum, ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta prolata sunt, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.*

5. *Constantinopolitanum* particulare Concilium unum, anno 424. vel 425. ab Attico sub *Cælestino I.* Romano Pontifice celebratum, ut constat ex S. Pro-

S. Prospero, *Carmine de ingratis* cap. 2. in quo pariter Pelagiani fuere damnati, & urbe Regia post damnationem ejecti.

6. *Romanum* particulare alterum, anno Domini 430. à *Cælestino I.* in *Nestorium* quidem, & Nestorianam hæresim convocatum, in quo tamen Pelagianæ Sectæ Episcopi, qui Constantinopolim confugerant, & quos Nestorius fovebat, fuere damnationis pœna mulctati.

7. *Ephesinum* denique primum, quod est œcumenicum tertium, contra Nestorianam hæresim pariter convocatum, anno 431. & in quo cùm Sedis Apostolicæ Legati narrassent, quæ Romæ gesta fuerant in Pelagianos Episcopos, quorum fautor Nestorius erat, unanimi voce conclamata est iterùm Pelagianorum damnatio; sicque duæ illæ quasi coætaneæ hæreses, *Pelagiana* videlicet & *Nestoriana*, fuere simul confossæ, simulque sepultæ.

8. *Arausicanum II.* anno Domini 529. sub *Felice IV.* Romano Pontifice, contra *Semipelagianos* & *Massilienses* habitum, & à *Cæsario* Arelatensi Episcopo convocatum, occasione cujusdam *Fausti Regiensis* scripti de gratia Dei qua salvamur; in quo, sub specioso Pelagium damnandi prætextu, verè pelagianizabat: contra quod Fausti Regiensis opus, *Cæsarius* Arelatensis non solùm libellum de gratia & libero arbitrio scripsit, sed hoc Episcoporum Concilium indixit, ad definiendum quid circa hanc Orthodoxæ fidei doctrinam credendum esset atque tenendum, & in eo communi Patrum consensu, pro fide Catholica de gratia & libero arbitrio, 25. Canones fuere constituti, qui omnes ferè ad unum sunt ipsissima S. Augustini verba, sententiæque ex diversis Augustini locis depromptæ. Hoc in Concilio, à *Bonifacio II. Felicis IV.* successore confirmato, Semipelagiani ultimo tandem ictu jugulati, atque sepulti fuere. Dicitur autem Arausicanum II. quia longè antè habitum fuerat Arausicanum aliud, sub *Leone I.* Romano Pontifice, anno Domini 441. in quo, Præside *Hilario* Arelatensi, actum est de Ecclesiastica disciplina, & de recipiendis variorum generum pœnitentibus, triginta Canonibus ad hoc ibidem constitutis.

ARTICULUS VII.

De Conciliis in causa Nestorianorum habitis.

Concilia in quibus Nestoriana damnata hæresis.

A Tempore quo in Christum, Christique Matrem Nestoriana grassari cœpit hæresis, hæc in eam, ejusque sectarios Nestorii discipulos habita reperiuntur Concilia.

1. *Romanum* unum à *Cælestino I.* Romano Pontifice, anno Domini 430. Romæ celebratum; in quo Summus ille Pontifex, visa Nestorii ad se directa Epistola impietatis semine plena, acceptisque Cyrilli Nestorianam impietatem confutantibus literis, de unanimi Patrum consensu, Nestorii damnavit hæresim, ipsique Nestorio decem dierum spatium ad resipiscendum, per literas ad eum missas dedit, anathema comminans nisi resipiscat; scripsitque ad Cyrillum Alexandrinum, suas illi committens vices, & mandans, ut Nestorium, nisi intra præscriptum decem dierum intervallum resipiscat, anathemate feriat.

2. *Alexandrinum* eodem anno 430. post acceptas Cœlestini Romani Pontificis

tificis literas, à Cyrillo Alexandrino convocatum; in quo quatuor decernuntur Legati, ad Nestorium cum literis Romani Pontificis mittendi, eique decem dierum spatium ad hæresim abjurandam præscripturi. Literis Pontificis plures alias adjunxit Cyrillus, quarum una cum duodecim anathematismis erat ad Nestorium directa, aliæ ad Clerum Constantinopolitanum, vel ad Monasteriorum Patres. Constantinopolim cùm pervenissent Legati quatuor, videlicet, *Theopemptus* & *Daniel* Episcopi, necnon *Potamon*, atque *Macarius*, Alexandrinæ Ecclesiæ Ministri, creditasque literas cum anathematismis Nestorio reddidissent, nentiquam respondere dignatus est Nestorius; sed de eludenda Romani Pontificis sententia cogitans, Imperatorem in Cyrillum commovet, Anathematismos de Apollinaristarum hæresi suspectos asserit; sicque sententiam in se à Romano Pontifice latam, sibique ut hæretico denuntiandam, Cyrillo hæresis labe polluto non potuisse committi contendit. Quas adlites componendas, cùm universali Concilio opus esse videret Theodosius Imperator, de illo, anno sequenti Ephesi celebrando, apud Cœlestinum Romanum Pontificem egit.

3. *Ephesinum* primum, quodque fuit œcumenicum tertium, anno 431. sub eodem *Cœlestino I.* Romano Pontifice celebratum, de quo suprà, & in quo à ducentis Patribus Nestoriana prostrata est hæresis.

4. *Ephesinum* Conciliabulum eodem tempore, quo præcedens œcumenicum, à *Joanne Antiocheno* Nestorii amicissimo, Cyrillique hoste manifesto, cum nonnullis aliis sibi devinctis Syriæ Episcopis habitum, adversùs *Cyrillum*, aliosque Orthodoxos in Nestorium Ephesi congregatos.

5. *Antiochenum* unum anno 432. à *Joanne Antiocheno* convocatum, ut ibi decerneret cum suæ factionis Episcopis, quid sibi agendum incumberet, ne ex mandato Imperatoris Theodosii cogeretur ad dicendam causam Nicomediam proficisci, ibique detineretur, donec cum Cyrillo pacem iniisset; & communi Patrum sententia decretum, ut illicò ad parendum Theodosii monitis, Nestorianam damnaret hæresim cum suo auctore, communicationemque cum Romano Pontifice, & Cyrillo Alexandrino peteret: & reipsa Nestorianam damnavit hæresim, Nestorii depositionem, & *Maximiani* subrogationem approbavit, ac tandem petitam communionem impetravit, sicque cum Cyrillo, & tota Ecclesia Catholica pacem inivit.

6. *Armeniense*, sive Armeniæ Concilium unum, anno Domini 435. sub *Sixto III.* Romano Pontifice, & imperante Theodosio, ab Armeniæ Episcopis celebratum, ad damnandos nonnullos Nestorianorum Libros, videlicet aliquos *Theodori* Mopsuesteni & *Diodori* Tarsensis Libros impietate plenos, & in linguam Syriacam, Armenam atque Persicam translatos, omnibusque ad legendum expositos tanquam Catholicos; quos pariter, ad instantiam hujusce Concilii Patrum, damnavit & ipse *Proclus* Constantinopolitanus Episcopus.

7. *Romanum* denique Concilium sub *Joanne II.* Rom. Pontifice, in *Acœmetas* Monachos habitum, anno Domini 533. vel 534. Erant autem *Acœmetæ* nonnulli Scythiæ Monachi, Eutychianæ hæresis Sectarii, & Chalcedonensis Concilii hostes occulti, tres in turmas ita distributi, ut per vices succedentes sibi, Dei laudibus in Ecclesia canendis diu noctuque sine intermissione vacarent; unde Ἀκοίμητοι, id est, *Insomnes* vocati: qui cùm Chalcedonensi Concilio quasi imperfecto, subdolè addendum esse dice-

dicerent, *Unum de Trinitate passum esse in carne*; nihil econtrà addendum esse diceret *Victor Diaconus*, Chalcedonensis Concilii tanquam perfecti defensor egregius; causa delata est ad *Hormisdam* Romanum Pontificem. Damnati sunt *Acæmetæ*: nihil addendum esse respondit *Hormisdas*, & propositionem illam, *Unus de Trinitate passus est in carne*, à Chalcedonensi Concilio procul rejecit. Ex qua decisione, cùm isti nestorianizando *Acæmetæ* Monachi concluderent, *Si unus de Trinitate non est passus in carne*: ergo neque natus in carne, ac proinde *B. Maria non est dicenda Deipara*; idque dum propugnarent, recurritur ad Romanum Pontificem *Joannem II.* Scribit ad illum Justinianus Imperator, Legatos mittit, mittunt & Monachi suos. Convocat & celebrat Romæ Concilium istud Romanus Pontifex, & in eo *Acæmetas* ut Nestorianizantes damnat; & definit Catholicè & piè dici posse, *Unum de Trinitate passum in carne*; declaratque, in quo sensu hoc rejecerit & improbaverit *Hormisdas* Papa, dicendo videlicet propositionem illam, *Unus de Trinitate passus est in carne*, fuisse ab *Hormisda* Papa rejectam, non ut hæreticam, sed tantùm velut novam & insolitam, ac de Eutychianorum fraudibus suspectam, seu ut Chalcedonensi Concilio quasi imperfecto subdolè ab Eutychianis addendam; eam verò non rejecisse, nec improbasse separatim, & in se, remota Eutychianorum fraude, consideratam.

ARTICULUS VIII.

De Conciliis in causa Priscillianistarum habitis.

Contra *Priscillianum*, *Abylæ* Hispaniæ civitatis Episcopum, & Hæresiarcham, à quo Priscillianistæ fluxere hæretici, in Hispania præsertim grassati, celebrata Concilia reperiuntur ista: *Concilia in quibus Priscillianistæ fuere damnati.*

1. *Cæsaraugustanum* in Hispania, anno Domini 381. sub *Damaso* Summo Pontifice, à duodecim Episcopis contra Priscillianistas habitum, & in quo, contra eorumdem perversa dogmata, octo fuere Canones editi.

2. *Burdegalense* anno Domini 385. sub *Stricio* Romano Pontifice contra Priscillianum, ad instantiam *Maximi* Imperatoris indictum. Cùm enim Priscillianus à Cæsaraugustano Concilio damnatus, *Gratiani* Imperatoris mandato fuisset restitutus, *Ithacius* Hispaniæ Episcopus, & Priscillianistarum hostis acerrimus, eumdem Priscillianum nedum de hæresi, sed de criminibus aliis apud *Maximum* accusavit, mortisque supplicio dignum esse nuntiavit. Quibus motus accusationibus Imperator, hoc Burdegalæ Concilium haberi, & ad illud Priscillianum cum Ithacio venire mandavit. Qui cùm causam dixissent, Ithacius suo Episcopatu indignus est judicatus; non quòd adversùs hæreticos auxilium Principis implorasset, sed quòd Episcopus ipse eos pœna capitis, vitæque supplicio mulctandos denuntiasset; Priscillianus verò se pariter damnandum prævidens, ad Principem appellavit: qua appellatione contra jus, & Ecclesiæ regulas admissa, Treviris auditus & convictus, & tandem cum nonnullis aliis, jussu *Maximi* Imperatoris, gladio truncatus est.

3. *Hispanicum generale* anno Domini 447. à *S. Turibio* Asturicensi Episcopo, suasu *S. Leonis* Magni Romani tunc Pontificis, ex diversis Hispaniarum Provinciis, videlicet Tarraconensi, Carthaginensi, Lusitana & Bæ-

Bætica, in causa Priscillianistarum indictum; in quo Priscilliana damnata fuit hæresis, & contra eam particularis fidei regula cum aliquot Capitulis edita.

4. *Bracarense I.* hoc est *Bracaræ*, quæ Gallæciæ civitas est Metropolis, à *Lucretio* Metropolita, & Comprovincialibus Episcopis habitum sub *Joanne III.* Rom. Pont. & *Theodomiro* Suevorum Rege in Hispaniis regnante, anno Domini 563. in quo damnata est Priscillianistarum hæresis cum multis aliis aliorum hæreticorum erroribus; ideòque ante omnia, proposita ea Capitula, quæ contra Priscillianum, ejusque hæresim fuerant in Hispanico generali Concilio, suasione *S. Leonis*, constituta, & posteà pro disciplina Ecclesiastica 22. Canones editi.

5. *Bracarense* fuit & alterum Concilium sub *Ariamiro* Suevorum Rege, anno Domini 572. post obitum *Joannis III.* Romani Pontificis, eo tempore interregni Pontificii, jussu Regis habitum; in quo, post quatuor recensita Concilia œcumenica prima, nulla quinti in Hispaniis nondum recepti mentione facta, pro Ecclesiastica disciplina decem Canones sunt constituti.

6. *Bracarense* fuit denique & Concilium III. sub *Adeodato* Papa, tempore *Bambæ* Hispaniæ Regis habitum, anno 675. contra superstitiosos Presbyteros nonnullos, lac pro vino consecrare præsumentes; & definitum in pane tantùm, & vino aqua permixto consecrandum.

ARTICULUS IX.

De Conciliis in causa Eutychianorum habitis.

Concilia in quibus Eutychiana damnata hæresis.

INter Concilia, quæ Eutychiana vigente hæresi, contra Eutychen, vel pro Eutyche habita fuere Concilia, numerantur ista:

1. *Constantinopolitanum* unum, anno Domini 448. sub *S. Leone* Romano Pontifice, Præside *Flaviano* Patriarcha Constantinopolitano, in causa Florentii Sardiorum Metropolitani, adversùs Episcopos *Joannem* & *Cossinium* ejusdem suffraganeos convocatum: in quo cùm nuntiasset Eusebius Dorilæi Episcopus, vulgatam incerto auctore novam hæresim, qua docebatur in Christo Domino, ante Incarnationem, duas; post Incarnationem verò, non duas, sed unam dumtaxat fuisse naturam, ab Eutyche Archimandrita prædicari & doceri; seque eum pluries, sed frustrà monuisse; obtulit adversùs eum querelarum libellum in Concilio legendum, & ut ad sui defensionem citaretur Eutyches, petiit: qui post varia subterfugia, trinamque citationem, comparuit tandem, & de hæresi convictus, nec resipiscens, communi Patrum Concilii calculo, Sacerdotali officio, primatu Monasterii, & Ecclesiæ communione privatus, sive excommunicatus: cui subscripsere sententiæ 32. Episcopi, & 23. Concilio præsentes Archimandritæ. A sententia ad Romanum Pontificem appellavit Eutyches, sed frustrà.

2. *Constantinopolitanum* alterum anno 449. jussu Theodosii Imperatoris in causa Eutychetis habitum. Dum enim in priori Concilio se à *Flaviano* damnatum vidit Eutyches, nullum non movit lapidem, ut favente Chrysaphio Eunucho Imperatorii Cubiculi Præfecto, acta Synodalia à *Flaviano* legitimè confecta, planè irrita reddat, & in ipsum Flavianum damna-

damnationis pœnam convertat; itaque publicis, palamque propositis scriptis se injuriam passum asserit. Acta Constantinopolitani Concilii per Notarios diminuta, falsataque contendit; eaque de causa, oblato Imperatori libello, hujusmodi acta Concilii alio in Concilio retractari petit, & ejusdem Chrysaphii suasionibus obtinet. Jussit confestim Imperator, ut iidem 30. Episcopi Constantinopolim convenirent, Præside *Thalassio* Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, & præsente *Florentio* Patritio in isto conventu, in gratiam Chrysaphii faventibus Eutycheti Magistratibus, variis cavillis illusum est legitimæ Eutychetis damnationi, & prioris Concilii de Eutychete judicio. Posteà *Flavianus* fidei Confessionem edere jussus, paruit; eamque, quæ extat initio Chalcedonensis Concilii, Epistolam fidei dogmata continentem scripsit, & ad Theodosium Imperatorem misit.

3. *Ephesinum* secundum universale, sed reprobatum, ac Conciliabulum, prædatoriumque Concilium, & latrocinium diaboli jure dictum. Cùm enim communionem à *S. Leone* Romano Pontifice non potuisset Eutyches assequi, inaudito Flaviano, Synodum universalem obtinuit ab Imperatore, ope Chrysaphii, cujus suasu hanc Imperator contra jus omne indixit Ephesinam Synodum, dato ad Dioscorum Alexandrinum rescripto, quo eum Synodi Præsidem constituit, cum facultate adducendi quos vellet Episcopos, quique Eutychetis causæ contra Flavianum faverent. Convenerunt 128. Episcopi anno 449. à quibus, Præside *Dioscoro*, & non auditis Sedis Apostolicæ Legatis, videlicet *Juliano* Puteolano Episcopo, *Renato* Presbytero Cardinali S. Clementis, & *Hilario* Ecclesiæ Romanæ Cardinali Diacono, Eutyches hæresiarcha fuit absolutus, ejus confirmata hæresis, & lata depositionis sententia in *Flavianum*, & *Eusebium* Dorilæi Episcopum: cui, præter Legatos S. Sedis, cæteri ferè omnes quamvis Orthodoxi subscripserunt Episcopi, vi metuque fracti. Cum Flaviano damnati sunt & alii Episcopi plurimi, quos inter fuere *Ibas* Edessenus, & *Theodoretus* Cyri Episcopus. Ab hujus prædatorii Concilii sententia, cùm ad Romanam Sedem viva voce appellasset *Flavianus*, & scriptum appellationis libellum Legatis obtulisset, *Cæsus est*, inquit *Liberatus* Carthaginensis Archidiaconus, in suo de causa Nestorii & Eutychetis *Breviario*, *cap.* 12. *& multis injuriis affectus, dolore plagarum migravit ad Dominum.*

4. *Romanum III.* sub eodem *S. Leone* Romano Pontifice, eodem anno habitum; in quo omnia præcedentis Ephesini Conciliabuli gesta fuere post Hilarii Diaconi reditum penitùs damnata. Quod cùm Dioscorus audiisset, eò insolentiæ venit, ut vix Alexandriam reversus, habito Episcoporum conventu, in *S. Leonem* Romanum Pontificem excommunicationis sententiam tulerit. Quod inauditum facinus ita exhorruere Præsules ferè omnes, ut vix decem, hique lacrymantes & inviti, tam portentosæ nefariæque subscripserint sententiæ.

5. *Constantinopolitanum* sub eodem *S. Leone*, anno Domini 450. celebratum; in quo, præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis, *Abundio* videlicet, *Asterio*, *Basilio*, ac *Senatore* Presbyteris, *Anatolius* Constantinopolitanus Præsul in *Flaviani* locum subrogatus; aliique Episcopi, cogente Dioscoro, in satanico Ephesino Concilio lapsi, fidei Confessionem edidere, & constitutùm est, ut eis suæ tantùm, non totius Ecclesiæ Catholicæ communio daretur; sancitumque, ne *Dioscori* Alexandri-

ni, *Juvenalis* Jerosolymitani, necnon *Eustathii* Beryti Episcoporum nomina recitarentur in sacris, eò quòd impœnitentes Schismaticorum essent antesignani.

6. *Mediolanense* sub eodem *S. Leone*, ab *Eusebio* Mediolanensi Episcopo cum suis Comprovincialibus ante Chalcedonense habitum, anno 451. ad profitendam, & subscriptionibus testandam doctrinam de Incarnatione Verbi, à *S. Leone* ad Flavianum in Epistola missam. Erat enim pristino usu receptum, ut cùm œcumenicum indicebatur Concilium, cui non omnes interesse poterant Occidentales Episcopi; hi, si opportunitas temporis id ferret, vel Romæ ad Synodum convocarentur, vel habitis sub Metropolitano Provincialibus Conciliis, per Synodalem Epistolam de suo suffragio Romanum Pontificem certiorem facerent, atque ita ipsi licèt absentes, suum quodammodo suffragium per Legatos à Romano Pontifice missos & instructos, in œcumenico Concilio ferrent, & hunc in finem, jussu S. Leonis ante Chalcedonense œcumenicum contra Eutychen & Dioscorum indicendum, hoc Provinciale Concilium Eusebius Mediolanensis habuit.

7. *Chalcedonense* œcumenicum IV. anno eodem 451. sub eodem *S. Leone* Romano Pontifice, & Marciano Imperatore contra Eutychen & Dioscorum à 636. Patribus habitum, ut fusiùs visum est suprà.

8. *Alexandrinum* anno 452. sub eodem *S. Leone* Rom. Pontifice, à *Poterio* Alexandrino Episcopo, & in locum Dioscori, magna Alexandrinorum seditione, subrogato celebratum; in quo actum est de Eutychianorum conversione, & concessum, ut qui ob hæresim Eutychianam hactenùs fuerant ab Ecclesiæ communione separati, ad eam redire possint, fidei Catholicæ confessione præmissa.

9. *Constantinopolitanum* 73. Episcoporum, anno Domini 459. sub eodem *S. Leone* Papa, à *Gennadio* Constantinopolitano Episcopo, præsentibus *Domitiano* atque *Geminiano* Episcopis, Sedis Apostolicæ Legatis, habitum, ad Ecclesias ab Eutychiana hæresi & à Simoniaca labe purgandas; & in quo actum est primò de firmando fidei decreto in Chalcedonensi Concilio edito, & ab Hæreticis frequentibus ictibus impugnato; deinde contra Simoniacam Constantinopolitanæ Ecclesiæ labem editus est ille Canon, qui in Encyclica hujusce Concilii reperitur Epistola.

ARTICULUS X.

De Conciliis in causa trium Capitulorum habitis.

Concilia varia, in quibus agitata trium Capitulorum causa.

CIrca celebrem trium Capitulorum controversiam, quæ per annos ferè centenos Catholicam exagitavit Ecclesiam, ista reperiuntur habita Concilia:

1. *Constantinopolitanum* unum an. Domini 547. sub *Vigilio* Rom. Pont. habitum, cujus occasio dici potest *Theodorus* Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus. Is enim cùm Justiniano Imperatori suasisset, futurumque promisisset, ut si tria Chalcedonensis Concilii Capitula, nempe *Theodorum* Mopsuestenum, Epistolam *Ibæ* Edesseni, & *Theodoreti* Cyrensis adversùs Cyrillum scripta condemnaret, statim *Acephali* omnes Chalcedonense Concilium susciperent: cùmque monitis ejus persuasus, publico edicto hæc præfata

Capi-

Capitula damnasset *Justinianus*, hoc in edictum insurrexere *Vigilius* Romanus Pontifex, cæterique Occidentales Episcopi, & præsertim Africani, putantes hoc edictum in præjudicium Chalcedonensis Concilii datum, quo in Concilio *Ibas* & *Theodoretus* fuere post abjuratos scriptorum errores admissi. Planè sciens Imperator hoc suum edictum nullius roboris esse, nisi esset Episcoporum, & Vigilii præsertim Romani Pontificis auctoritate & subscriptione firmatum, de Concilio regia in urbe celebrando cogitavit, Vigiliumque Romanum Pontificem honorificè rogavit & induxit, ut Roma Constantinopolim veniret. Quò cùm pervenisset, obtinuit Justinianus, ut trium Capitulorum ibi in 70. Episcoporum conventu causam examinaret. Sed hos cùm vidit inter se dissentientes Episcopos Vigilius, statuit per seipsum seorsim à Synodo judicium ferre; & reipsa singulorum suffragiis sibi scripto delatis, judicium tulit, quo tria præfata Capitula hactenus cum Occidentalibus propugnata damnavit; quod cùm audiissent, improbarunt Occidentales Episcopi, & datis ad Justinianum literis, trium Capitulorum defensionem suscepere. Quos motus cùm viderent *Vigilius* & *Justinianus* sedari non posse sine Concilio universali, de illo indicendo simul conveniunt, de loco disconveniunt: interim usque ad illud œcumenicum proximè futurum Concilium, de proposita trium Capitulorum quæstione tacendum, omnibus sub anathematis pœna imperat *Vigilius*.

2. *Mopsuestenum* novem dumtaxat Episcoporum Concilium, sub *Vigilio* pariter habitum *Mopsuestiæ* in Cilicia, anno Domini 550. adversùs Theodorum Mopsuestenum, ab annis ferè centum antè defunctum, & contra ipsos Theodori, edicto Imperatoris condemnati, defensores; in quo decretum est, Mopsuestiæ antiquas inquirendas esse memorias, & videndum num de ipso reliquiæ conservarentur aliquæ, & num in sacris ejusdem Ecclesiæ Dypthichis ipse cum aliis ejusdem Civitatis Catholicis Episcopis reperiretur adscriptus.

3. *Aurelianense V.* quinquaginta Episcoporum sub eodem Romano Pontifice *Vigilio* celebratum, anno Domini 552. occasione trium Capitulorum habitum esse suadetur ex 1. Canone damnante Nestorii & Eutychetis hæreses, quarum causa non ignorabant Concilii Patres, Ecclesiam præsertim Orientalem agitari trium Capitulorum controversia.

4. *Constantinopolitanum*, quod fuit œcumenicum quintum, contra Origenis errores, & pro componenda trium Capitulorum controversia, sub eodem *Vigilio* Papa, & *Justiniano* Imperatore habitum, anno 553. & de quo fusiùs suprà, ubi de œcumenicis Conciliis.

5. *Jerosolymitanum* unum eodem anno 553. sub *Vigilio* similiter habitum; in quo quinta œcumenica de tribus Capitulis approbata Synodus, & cujus acta summatim referuntur act. 1. Concilii Nicæni secundi, his verbis: *Præterea Imperator noster Dei amantissimus acta Synodi quintæ Jerosolymam misit, in qua civitate coacto Episcoporum conventu, quotquot erant Palæstinorum Episcopi, manibus & pedibus & ore sententiam & statutum Synodi confirmarunt; nisi quòd Alexander Episcopus Abyles contrarium sensit: quamobrem Episcopatu exutus, Byzantium se recepit, & terræmotu absorptus est & defossus.*

6. *Aquilejense* Conciliabulum eodem anno 553. & sub ejusdem *Vigilii* Pontificatu, ab Occidentalibus Episcopis habitum, contra quintam de tribus Capitulis Synodum. Cùm enim putarent Occidentales Episcopi,

tria

tria Capitula in quinta Synodo, in odium & præjudicium Chalcedonensis Concilii fuisse damnata, & sibi non liceret per edictum *Justiniani* trium Capitulorum defensores persequentis, in locis Imperii reclamare, Concilium istud Aquilejense celebrarunt, in quo quintam Synodum respuendam esse definierunt, & schismate facto, se ab unione Ecclesiæ Catholicæ segregarunt, in eoque schismate per annos ferè centenos perseverarunt.

7. *Aquilejense* Conciliabulum alterum habitum fuisse sub *Sergio* Romano Pontifice, circa annum 698. constat ex *venerabili Beda, Libro de sex ætatibus; ex Paulo Diacono, lib. 5. cap. 14. & ex Sigiberto in Chronico*. Quo in Conciliabulo pariter, quintam Synodum respuendam esse decretum est; unde colligitur Occidentales bis in eumdem errorem fuisse relapsos, totidemque reversos, prima quidem vice resipuisse, cura S. Gregorii, ut constat ex Synodalibus actis Concilii Romani sub *Agathone*, & secunda vice, *Sergii* Romani Pontificis opera.

ARTICULUS XI.

De Conciliis in causa Monothelitarum habitis.

Concilia varia, in quibus damnata Monothelitarum hæresis.

OB diram Monothelitarum hæresim, quæ unicam in Christo voluntatem asserebat, Concilia diversis temporibus congregata fuere, præsertim ista:

1. *Alexandrinum* Conciliabulum unum à Cyro Monothelita & Alexandrino Patriarcha, sub *Honorio I.* Romano Pontifice congregatum, anno 633. quod sub specie futuræ pacis & unionis Acephalorum cum Ecclesia, Monothelitarum hæresi latam aperuit viam, quatenus Synodale decretum edidit, quod *Satisfactio* inscribitur, novem Capitula complectens, quorum septimo fraudulenter allegans S. Dionysium, asseruit unicam in Christo esse operationem, dicens juxta S. Dionysium: *Eumdem unum Christum & Filium operari Deo decibilia, & humana, una Dei-virili operatione*; quamvis apud S. Dionysium non legatur *una*, sed *nova* Dei-virili operatione. Hanc fraudem alii secuti sunt Monothelitæ; hanc secutus est præsertim *Sergius* Constantinopolitanus Patriarcha; ad quem, celebrato suo Conciliabulo, transmiserat *Cyrus* hæc sua præfata Capitula novem. Ei gratulatoriam rescripsit *Sergius* Epistolam, scripsit & ad *Honorium* Romanum Pontificem aliam, suadens ei, pro bono pacis ad tempus silendum esse de una, vel duabus operationibus & voluntatibus, ad vitandum scandalum ex illarum prolatione vocum emergens, & satis esse, si in Christo Dei-virilis operatio, & voluntas diceretur. Ad illum rescripsit Honorius, & ejus œconomiam, ut fibulam pacis laudavit, silentiumque de una, vel gemina voluntate præscripsit.

2. *Romanum* unum sub *Joanne IV.* Romano Pontifice, anno Domini 640. habitum; in quo damnata est Monothelitarum hæresis, & impia *Ecthesis* Heraclii proscripta, ut breviter refert *Theophanes*, addens & in Africa, in Provinciis Byzacena, Numidia, & Mauritania diversos pariter Episcopos convenisse, Conciliaque celebrasse alia, & eamdem Monothelitarum hæresim anathemate confodisse, seu eodem ferè anno

tria

tria alia habita fuisse Concilia; *Numidiæ* videlicet unum, tempore *Theodori* Papæ, Præside *Columbo* Metropolitano; *Byzacenum* alterum 42. Episcoporum, Præside *Stephano* Primate; & *Carthaginense* denique unum 68. Episcoporum, & in his omnibus fuisse damnatam Monothelitarum hæresim.

3. *Romanum* alterum anno Domini 648. à *Theodoro* Papa, convocatis Episcopis & Clero ad sepulchrum Principis Apostolorum, contra *Paulum* & *Pyrrhum* Monothelitas habitum; in quo *Paulum* Constantinopolitanum Episcopum sæpè monitum ut Monothelismum ejuraret, nec tamen resipisceret, sed econtrà suam hæresim pertinaciter propugnaret, anathemate percussit, & Sede Constantinopolitana privavit piissimus Papa *Theodorus*. *Pyrrhum* verò, qui post ejuratam hæresim, ad suum vomitum redierat, simili anathematis & depositionis sententia damnavit, sententiæque subscripsit calamo Christi sanguine in Calice tincto, ut testatur *Theophanes*; idque, ut celebrior foret hæc Monothelismi, Monothelitarumque damnatio, terribiliorque cæteris Monothelitarum fautoribus atque sectariis.

4. *Romanum* iterùm aliud *Lateranense*, Romanum vulgò dictum, & à *Martino I.* Romano Pontifice convocatum, anno Domini 649. cui centum & quinque interfuere Episcopi; cùm enim post Theodorum electus fuisset *Martinus I.* & ejus electioni consensisset, more solito, *Constans* Imperator; ab eoque in signum gratitudinis exegisset, ut promulgatum à se *Typum*, seu perfidam, Orthodoxæque fidei contrariam fidei formulam edicto propositam approbaret, suaque subscriptione firmaret; non modò non approbavit, sed statim hoc convocato Concilio, perfidum illum Constantis *Typum* proscripsit, & Monothelitarum hæresim, ejusque Promotores, *Cyrum* Alexandrinum, *Sergium*, *Paulum*, & *Pyrrhum*, Constantinopolitanos successivè Episcopos damnavit. Tanta fuit semper hujusce Concilii auctoritas & dignitas, ut in professionibus fidei, post quinque Synodorum universalium confessionem adderetur & istius confessio, usque ad plenam sexti œcumenici Concilii promulgationem. In eo fuere viginti Canones editi, sub anathemate recipiendi.

5. *Anglicanum* unum anno Domini 679. Præside *Theodoro* Dorovernensi Episcopo, viro natione Græco, hujus rudioris sæculi doctissimo, peritiaque sacrarum scientiarum celeberrimo, sub *Agathone* Romano Pontifice habitum; in quo fides Orthodoxa fuit contra Eutychianos & Monothelitas confirmata.

6. *Mediolanense* sub eodem *Agathone* Papa, & eodem anno 679. in causa Monothelitarum habitum. Cùm enim monuisset Romanus Pontifex *Agatho*, anno sequenti in causa Monothelitarum universale futurum esse Concilium, ideòque necessarium videri, ut omnes Italiæ Episcopi, particularibus habitis Synodis, eamdem causam inquirant & decidant, suamque decisionem ipsi posteà, vel per seipsos, vel per literas cæteris œcumenici Concilii Patribus exponant. Paruerunt Insubres Episcopi, & habito isto Mediolani Concilio, Monothelitarum hæresim condemnarunt, fideique Orthodoxæ professionem ediderunt. Cùmque plerique eorum, ætate, morbo, vel obicibus aliis impediti, ad œcumenicum Concilium Constantinopolim venire non possent, Synodalem Epistolam ad Constantinum Pogonatum mittendam esse censuerunt, ut saltem scripto suffragio

suo

suo perniciosam condemnarent hæresim, quam præsentes anathematizare non possent.

7. *Romanum* rursus alterum sub *Agathone* pariter habitum, anno 680. in quo 125. Episcopi Orthodoxam fidem confirmarunt, Monothelitarum hæresim condemnarunt, legationemque Constantinopolim, ad œcumenicum proximè futurum Concilium mittendam esse decreverunt. Implevit enim Romæ Romanus Pontifex *Agatho*, quod ejusdem jussu Mediolani præstiterant Insubres Episcopi; effecit nimirùm, ut Occidentales Episcopi, qui per ætatem, vel corporis morbum, vel itineris difficultates, per se œcumenico Concilio interesse non possent, per legationem profiterentur, & exponerent quid pro fide Catholica adversùs Monothelitas decernendum esse sentirent; & reipsa congregati 125. Occidentales Episcopi, damnata Monothelitarum hæresi, Orthodoxaque roborata fide, tres Legatos cum Synodali mittendos Epistola delegerunt; videlicet *Joannem Portuensem*, *Abundantium Paternensem*, & *Joannem Regiensem*, sive Regitanum, Episcopos. His Legatis adjunxit & suos *Agatho*; quibus & privatam commisit ad *Constantinum* Epistolam, in qua ad defensionem *Honorii* ait, Apostolicam Sedem, ejusque Pontifices supremos in fide numquam errasse.

8. *Constantinopolitanum III.* œcumenicum VI. anno Domini 680. inchoatum, & anno 681. absolutum sub *Agathone* Papa, & *Constantino* Pogonato; in quo Monothelitarum hæresis fuit condemnata.

9. *Constantinopolitanum* Conciliabulum anno Domini 702. tempore *Constantini* Papæ, & *Philippici* Imperatoris, à *Joanne* Constantinopolitano Patriarcha, & Monothelitarum antesignano indictum; in quo innumera ferè Episcoporum Orientalium multitudo congregata, ad nutum Imperatoris, & ad libitum Patriarchæ Monothelitæ, sextam œcumenicam Synodum contra Monothelitas habitam damnavit; excæcatus enim corpore, & mente Monothelita Monachus, *Philippico* venturum prædixerat Imperium, ipsumque longævum, si sextam aboleret œcumenicam Synodum. Impostori Pseudo-Monacho credens *Philippicus*, se id impleturum juramento promisit; & re ipsa imperium adeptus, contra sextam œcumenicam Synodum, hoc à *Joanne* Monothelita Conciliabulum indici curavit; *Philippico* tamen sextam Synodum abolere, & Monothelitarum hæresim renovare conanti, invicto restitit animo Summus *Pontifex Constantinus*, ejusque cum hæretica fidei professione missas, cum execratione respuit literas.

ARTICULUS XII.

De Conciliis in causa Iconoclastarum habitis.

INter ea, quæ sæviente Iconoclastarum hæresi, reperiuntur pro sacris Imaginibus celebrata Concilia, vel contra sacras Imagines habita Conciliabula, sunt præsertim ista:

Concilia in quibus fuerunt Iconoclastæ damnati.

1. *Constantinopolitanum* Conciliabulum unum, anno Domini 730. su *Gregorio II.* Papa, à *Leone III. Isauro* Imperatore, Iconomacho Copr nymi patre, in aula Regia cum nonnullis hæreticis convocatis habitum inconsulto Rom. Pont. *Gregorio II.* & renitente licèt vocato S. Germa

Pa-

Patriarcha Constantinopolitano; in quo impius Imperator impium promulgavit de abolendis Imaginibus edictum; cui cùm subscribere nollet *S. Germanus*, à Sede Patriarchali detrusus est, & ejus in locum intrusus *Anastasius Syncellus*, vir Imperatori deditus & hæresi; ipseque *S. Germanus* paulò pòst è propria domo, in quam deposito pallio lubens recesserat, in Monasterium quoddam longè dissitum deportatus, tandemque propè centenarius strangulatus, sicque Martyrii laurea donatus.

2. *Romanum* Concilium unum, occasione præfati Leonis Isauri Conciliabuli, circa idem ferè tempus ab ipso *Gregorio II.* Romano Pontifice cum Italicis Episcopis habitum; in quo primò damnata est illa Iconomachorum hæresis, & confirmata de sacrarum Imaginum usu Ecclesiæ Catholicæ fides; & posteà excommunicatus ipse *Leo Isaurus* Imperator, hæresis promotor, & Catholicorum persecutor, necnon *Anastasius* pseudo-Patriarcha Constantinopolitanæ Sedis invasor, hæresisque sectator.

3. *Romanum* alterum anno 732. sub *Gregorio III.* Rom. Pontifice, pro sacrarum Imaginum cultu, occasione Leonis Imperatoris Iconomachi convocatum. Cùm enim hortatoriam ad ipsum scripsisset Epistolam Summus Pontifex, qua illum ad detestandam Iconoclastarum hæresim induceret, Epistolamque misisset per *Gregorium* quemdam Presbyterum, legationis Apostolicæ munere functurum, ipseque Presbyter Gregorius metu perterritus, creditam sibi non reddidisset Epistolam, congregata alia Romæ Synodo, à Presbyterio deposuisset eum Summus Pontifex, nisi pro eo præsentium Episcoporum cœtus veniam rogasset: illum venia donatum cùm iterùm literis commonitoriis munitum ad Imperatorem misisset Summus Pontifex, & illum Imperator Iconomachus retinuisset, ablatisque literis, in exilium amandasset, Summus Pontifex collecto hoc Romæ 93. Episcoporum Concilio ad confirmandas antiquas Patrum de sacrarum Imaginum usu traditiones, decretum edidit sub anathematis pœna sequendum: insuper à Concilio ad Imperatorem commonitoriam epistolam mittendam esse decrevit.

4. *Constantinopolitanum* Conciliabulum pseudo-septimum universale, & reprobatum, anno Domini 754. tempore *Stephani III.* Romani Pontificis, à *Constantino Copronymo* contra sacrarum Imaginum usum convocatum, & nullo Catholico Patriarcha præsente, à 338. Episcopis habitum; qui non solùm sacrarum Imaginum cultum damnarunt, sed & ipsos sacrarum Imaginum cultores anathematizarunt, & inter ipsos, præcipuè *S. Germanum* Patriarcham Constantinopolitanum, *Georgium* Cyprium Episcopum, & *Joannem Damascenum*; & tandem soluto Conciliabulo, Imperator Iconomachus delatis in medium Crucis effigie, sacra Eucharistia, & sacris Euangeliis, per hæc sacra omnia, suos ritu solemni jurare coegit, quòd sacras Imagines nusquam colerent, sed ut idola potiùs execrarentur & fugerent.

5. *Gentiliacense*, hoc est, *Gentiliaci* prope Lutetiam anno Domini 766. *Paulo I.* Rom. Pont. in causa sacrarum Imaginum, jussu Pipini Christianissimi Regis habitum, occasione Constantini Copronymi; qui cùm ad Pipinum Galliarum Regem Legatos misisset nobilissimos, sex videlicet Patritios, cum pluribus Episcopis, *Godegesilam* ipsius *Pipini* filiam, *Leoni Augusto Copronymi* filio nubendam petituros, cum Ravennatis exarchatus restitutione pro dote; & ne religionis disparitas fœdus impediret ineundum, controversiam de sacrarum Imaginum cultu, Gallicanorum Epi-

Episcoporum judicio permissuros. *Pipinus* Concilium istud hunc in finem, cum Sedis Apostolicæ venia, *Gentiliaci* prope Lutetiam haberi jussit; in quo duplex agitata quæstio, prima scilicet de Imaginibus, altera de Spiritus Sancti processione. Cùm enim Occidentales de sacrarum Imaginum despectu ac contemptu *Copronymum*, ejusque sectarios Orientales accusarent, isti vicissim Latinis Occidentalibus exprobrabant, quòd addendo particulam *Filioque*, Symbolum innovassent. Quid fuerit hoc in Concilio decisum, etsi non referant auctores, ex Gallicanæ tamen Ecclesiæ fide gestisque hac in materia, in ejus sequentibus Conciliis aliis colligi potest, damnatam fuisse hoc in Concilio Iconoclastarum hæresim, & fidem de Spiritus Sancti à Patre Filioque processione confirmatam.

6. *Romanum* iterùm aliud anno 769. Præside *Stephano* Papa, hujus nominis quarto, habitum; in quo de electione Summi Pontificis, & de sacrarum Imaginum cultu tractatum est. In eo enim discussis & rescissis *Constantini* pseudo-Papæ actis, qui à *Desiderio* Longobardorum Rege, ex Laico in Sedem Apostolicam repentè fuerat intrusus, statutum est, ne quis deinceps alius, quàm Diaconus, aut Presbyter Cardinalis ad supremum eveheretur Pontificatum; & reprobata posteà omnia, quæ contra sacras Imagines, sub *Constantino Copronymo*, in Conciliabulo Constantinopolitano fuere decisa.

7. *Nicænum II.* œcumenicum septimum, anno Domini 787. sub *Adriano I.* Romano Pontifice, imperantibus *Constantino* & *Irene* matre, contra Iconoclastas habitum; sed de illo suprà.

8. *Francofordiense* anno 794. sub eodem *Adriano I.* Romano Pontifice, regnante Carolo Magno, à 300. Episcopis, præsentibus Sedis Apostolicæ Legatis habitum, contra *Elipandum Toletanum* Episcopum, & *Felicem Urgelitanum* pariter Episcopum, & in hoc approbatum, sed reprobatum in hoc quòd septimam œcumenicam Synodum pro sacris Imaginibus habitam damnaverit.

9. *Constantinopolitanum* Conciliabulum alterum, anno Domini 814. sub *Leone III.* Romano Pontifice, à *Theodoro* pseudo-Patriarcha & Iconomacho, contra sacras Imagines, & septimam œcumenicam Synodum convocatum; & in quo re ipsa Iconoclastæ hæretici Nicænum II. Concilium verè œcumenicum septimum & orthodoxum pro sacris Imaginibus habitum condemnarunt, & pseudo-septimum Constantinopoli contra sacras Imagines habitum, & impium confirmarunt.

10. *Parisiense* pseudo-Concilium, sive potiùs collatio, vel conventus Episcoporum Parisiis in causa sacrarum Imaginum habitus, & à *Ludovico Pio*, obtenta *Eugenii II.* Romani Pontificis venia, convocatus anno 824. occasione legationis honorificæ sibi à *Michaele* Orientis Imperatore, & *Theophilo* Michaelis filio missæ, qua, ut cum Romano Pontifice, & Occidentis Imperatore reconciliari possent, ejus amicitiam, & erga Romanum Pontificem officia rogabant; & ne suam ob hæresim indigni forent, fidei professionem literis insertam misere, qua se non Imaginum cultum prohibere omnem asserebant, sed solam adorationem, venerationemque superstitiosam, qualis erat in usu apud multos in Oriente populos. Quare ut conferrent Gallicani Præsules, hanc collationem sive conventum Parisios convocavit *Ludovicus Pius*: quo in conventu, licèt errore facti decepti Gallicani Patres, sicut in Francofordiensi Con-

Concilio Germani, secundam Nicænam Synodum impugnaverint, ab illa tamen non recessere circa Fidem, sed circa disciplinam: non enim impugnarunt sacrarum Imaginum cultum, sed colendi modum; non damnarunt venerationem sacris Imaginibus debitam, sed indebitam, sed superstitiosam, sed adorationem propriè dictam illis deberi negabant, quam errore facti decepti putabant, ipsis à Nicæna II. Synodo fuisse decretam.

II. *Constantinopolitanum*, tempore *Gregorii IV.* Romani Pontificis, anno Christi 842. post *Theophili* Imperatoris obitum, imperantibus *Theodora* conjuge religiosissima, & *Michaele* filio vix quatuor annos nato, convocatum; in quo damnata est Iconoclastarum hæresis, cultus sacrarum Imaginum Constantinopoli restitutus, ejectoque *Joanne* Patriarcha hæretico, *Methodius* invictus orthodoxæ Fidei defensor est subrogatus: sicque tandem dissipata est Iconoclastarum hæresis, quæ per annos viginti supra centenos Catholicam agitavit Ecclesiam: licèt in Constantinopolitano Concilio quarto, anno 869. sub *Adriano II.* Rom. Pont. & imperante *Basilio*, pro Ignatii restitutione & Photii depositione convocato, actione 8. iterùm actum sit de Iconomachis, quorum caput erat *Theodorus* quidam, cognomento *Crithinus*, qui cùm ad Concilium venire jussus asseruisset, se Imagines sacras ideò non venerari, quòd non inveniretur ea de re Christi Domini præceptum aliquod; huic responsum est, cùm infallibile sit Ecclesiæ judicium circa Fidei præsertim quæstiones, illud censetur à Christo præceptum, quod est ab universa definitum Ecclesia. Introducti sunt postea Iconomachi duo alii, videlicet *Nicetas* Clericus, & *Theophilus* laicus, qui suam hæresim ejurantes, & pœnitentes, fuere nedum in Ecclesiæ sinum admissi, sed etiam ab Imperatore osculo recepti, & tandem anathematismi eadem in actione fuere in Iconomachos repetiti, & in Tridentino denique Concilio, sess. 25. omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus curamque sustinentibus mandatum est, *ut juxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum, à primævis Christianæ Religionis temporibus receptum ..... de legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant ..... Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam esse doceant.*

ARTICULUS XIII.

De Conciliis in causa Berengarii Sacramentariorum ducis habitis.

UT *Berengarium* à nefanda revocarent hæresi, realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam impugnante, nedum præstantes & eruditi, ejusque coætanei undecimo sæculo scripsere viri; quales fuere *Adelmannus* Brixiensis Episcopus, *Hugo* Lingoniensis Antistes, *Guitmundus* ex Ordine Benedictino S. R. E. Cardinalis, & celebris *Lantfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus, & Angliæ Primas; & post illos omnium optimè duodecimo sæculo, *Algerus* Cluniacensis Monachus; sed insuper & varia habita fuere Concilia, qualia sunt,

I. Ro-

Concilia in quibus damnata perversa Berengarii dogmata.

1. *Romanum* unum sub *Leone* Papa, hujus nominis nono, anno Domini 1050. convocatum, occasione *Berengarii ad Lantfrancum* Epistolæ de Corpore & Sanguine Christi; qua hoc in Concilio lecta, & intellecto, quòd de Eucharistia fidei adversa sentiret, hæresimque de Corpore & Sanguine Christi doceret, damnatum illicò est tam perversum *Berengarii* dogma, ipseque sanctæ Ecclesiæ communione privatus. *Lantfrancus* verò ab ea quam incurrerat, ob sibi directam præfatam Berengarii Epistolam, fuit penitùs omni hæresis suspicione detersus, ut constat ex ipso Lantfranco in lib. *de Corpore & Sanguine Christi*, cap. 4.

2. *Vercellense* aliud eodem anno contra eumdem Berengarium, pro Lantfranco sub eodem *Leone IX.* Rom. Pont. *Vercellis* habitum; cui interfuit ipse *Lantfrancus*, sicut & in præcedenti Romano. Vocatus verò venire renuens *Berengarius*, duos sui fautores erroris quasi legatos misit Clericos, qui cùm ejus partes tueri tentassent, primoque aditu defecissent, Berengarii iterùm damnata hæresis, & Joannis Scoti *de Corpore Domini* liber, quo plurimùm nitebatur, lectus pariter atque proscriptus.

3. *Parisiense* unum, quod *Henrici I.* Christianissimi Regis jussu, eodem anno contra eumdem Hæresiarcham fertur habitum. Cùm enim videret Christianissimus Rex, Concilii Vercellensis judicio non parere *Berengarium*, istud ea de causa Concilium haberi voluit, cui interfuit & ipse. Interfuisse dicuntur & Præsules numero multi, secundi ordinis Sacerdotes non pauci, & nobiles Laici varii, ipseque contumax Berengarius, cujus lectæ fuere ad *Paulum* quemdam familiarem suum Epistolæ, quæ cùm essent repertæ nequissima sordentes hæresi, tertiò cum sua hæresi damnatus & ipse.

4. *Florentinum* unum anno Domini 1055. *Victore II.* Rom. Pontifice, *Leonis IX.* successore, convocatum quidem contra Ecclesiasticarum rerum alienatores; sed in eo, post constitutum de non alienandis Ecclesiæ bonis decretum, damnatus quartò fuit & ipse cum sua hæresi Berengarius, teste *Lantfranco*, asserente Victorem II. in omnibus Conciliis quæ celebravit, vel celebranda curavit, cuncta à Prædecessore suo, præsertim contra Berengarianam hæresim, confirmasse decreta.

5. *Turonense*, hoc est, *Turonis* in Gallia unum, tempore ejusdem *Victoris II.* Romani Pontificis habitum, anno 1055. ab *Hildebrando* Archidiacono, & Sedis Apostolicæ Legato. Quo in Concilio, cùm Berengario tuendi suam causam esset optio data, nec ausus fuisset, abjurata hæresi confessus est coram omnibus communem Ecclesiæ fidem, seque illam deinceps professurum juramento promisit, quamvis promissa non tenuerit, sed suum, ut canis, ad vomitum redierit.

6. *Romanum* alterum 113. Episcoporum, anno Domini 1059. à *Nicolao II.* convocatum; in quo, post edita circa Romani Pontificis obitum, & successoris ejus electionem, statuta varia, suam iterùm *Berengarius* abjuravit hæresim, librumque *Joannis Scoti*, ex quo hauserat illam, in ignem conjecit, & Catholicam de Corpore & Sanguine Christi professus est fidem, quam posteà iterùm relapsus dimisit.

7. *Rothomagense* unum anno Domini 1063. sub *Gregorio VII.* Rom. Pont. à *Maurilio* Rothomagensis Ecclesiæ Archipræsule cum suffraganeis Episcopis habitum, *Vvillelmo* Normannorum Duce præsente; in quo rursus *Berengarii* damnata hæresis, ejusque sectarii anathematis fulmine percussi,

cussi, & fides Catholica de Eucharistiæ Sacramento firmata, ut Rothomagensis Ecclesiæ testantur acta.

8. *Pictaviense* fertur habitum & unum sub eodem *Gregorio VII.* anno 1075. Præside *Gerardo* Engolismensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato; in quo Berengarius damnatus iterùm, & fides Catholica de Corpore & Sanguine Christi firmata.

9. *Romanum* iterùm unum, videlicet anno Domini 1078. quod convocavit *Gregorius VII.* ut *Berengarii* causam, quam olim in Galliis Apostolicæ legationis officio fungens, in *Turonensi* Concilio jam noverat, ultimo tandem anathematis ictu jugularet, & penitùs extingueret: sed isto in Concilio, cùm ad resipiscendum inducias ad proximè futurum usque Concilium impetrasset Berengarius, subdolam iterùm & simulatam fidei professionem emisit.

10. *Romanum* denique alterum, quod anno sequenti convocavit idem Summus Pontifex, ut hanc *Berengarii* subdolam fidei professionem accuratiùs examinaret; & hoc tandem in Concilio, cùm à *Brunone*, posteà *Signiæ* Episcopo, & aliis fortiter ac eruditè de Corpore & Sanguine Christi disserentibus convictus fuisset, se errasse confessus est, veniam petiit & obtinuit, Catholicam ac sinceram fidei professionem emisit, Romaque posteà discedens, Turones venit; ubi cùm sæculi pompis renuntiasset, & per aliquot annos Deo militasset, Catholicus & pœnitens obiisse fertur celebris ille *Berengarius*, anno Christi 1088.

Sunt & particularia alia ferè innumera, variis in locis & variis de causis habita Ecclesiæ Concilia, quæ hìc brevitati studens non recenseo; sed qui recenseant, breviter subjicio præcipuos & illustriores Conciliorum Ecclesiæ compilatores, è quorum fontibus hausta selegi, quæ de Conciliis hactenùs dixi.

ARTICULUS XIV.

De illustrioribus Conciliorum Ecclesiæ Compilatoribus.

PRæter eruditos non paucos, qui dogmaticè potiùs quàm historicè de sacris scripsere Conciliis, quos inter eminent *Dominicus Jacobatius*, *Joannes de Turre Cremata*, *Thomas de Vio*, vulgò *Cajetanus*, & *Robertus Bellarminus*, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Eminentissimi; præter alios numero multos, qui ex iisdem Ecclesiæ Conciliis sacros collegere Canones, quales in primis fuere *Dionysius Exiguus*, *Ferrandus Diaconus*, *Cresconius*, *Martinus Bracarensis Episcopus*, *Isidorus Mercator*, *Burchardus Vvormaciensis Episcopus*, *Yvo Carnotensis Antistes*, & *Gratianus* patria Clusinus, ex Ordine Benedictino Monachus; claruere & eruditi plures alii, qui sacra hinc inde dispersa, in unum redegere Ecclesiæ Catholicæ Concilia; quos inter floruere præcipui Clariores Conciliorum compilatores fuere:

1. *Jacobus Merlinus* natione Gallus, patria Lemovicensis, è vico S. Victuriani, Doctor Parisiensis, & insignis Parisiensis Ecclesiæ Pœnitentiarius; qui sapienter arbitratus nihil fortius & efficacius esse ad retundendos Hæreticorum errores, quàm arma illa, quibus Patres Orthodoxi eorumdem contrivere conatus, sacrorum videlicet Conciliorum, & Summorum Pontificum instituta; Concilia idcircò colligenda decrevit, Merlinus.

collectionemque suam primò Parisiis in duo volumina magna in lucem dedit, anno 1524. deinde Coloniæ, anno 1530. in duo pariter volumina, ac tandem Parisiis in tria volumina *in folio* rursus edidit anno 1535.

Crabbeus. 2. *Petrus Crabbeus*, vulgò *Crabbe*, patria Meclinensis, & professione Minorum Ordinis S. Francisci, vir pietate & eruditione clarus; qui post Merlinum, novam multòque ampliorem Conciliorum collectionem exornavit, quæ Coloniæ primò in lucem prodiit digesta in duo volumina magna, anno 1538. & iterùm ibidem multò auctior in tria magnæ molis volumina nova, & *Carolo V.* Imperatori dicata visa est anno 1551. obiitque tandem vir ille pius & eruditus tribus annis octogenario major, anno 1554.

Carranza. 3. *Bartholomæus Carranza*, Navarrus natione, patria Mirandensis, Ordinis FF. PP. S. Dominici, unus è Concilii Tridentini Theologis, Mariæque Philippi II. Hispaniarum Regis uxori Sacerdos à Confessionibus, & Toletanus tandem Archiepiscopus: qui præter utilem *de Episcoporum, aliorumque Pastorum residentia* tractatum, brevem edidit *Conciliorum Ecclesiæ Summam*; obiitque Romæ, quò accesserat, ut se à variis hostium calumniis purgaret, anno circiter 1576. die 2. Maji, ætatis suæ 72. quiescitque in sui Ordinis Ecclesia, *Minervæ* dicta.

Surius. 4. *Laurentius Surius*, patria Lubecanus, hoc est, *Lubecæ* ad Visurgim in Germania natus, & professione Coloniensis Carthusiæ Carthusianus, vir pietate & eruditione clarus, qui, præter collatas vitæ Sanctorum historias, & septem in tomos luci publicæ datas, Conciliorum Ecclesiæ compilationem, *Crabbeana* multò locupletiorem & à mendis puriorem, in quinque distributam volumina magna Coloniæ dedit anno 1567. & ibidem tandem sua in Coloniensi Carthusia feliciter obiit anno 1578.

Joverius. 5. *Franciscus Joverius Valentinus* unam pariter Conciliorum omnium compilationem suis temporibus edidit, anno circiter 1555. cum hoc præfixo titulo, *Sanctiones Ecclesiasticæ tam Synodicæ, quàm Pontificiæ, tres in classes distinctæ*; quarum 1. universales Synodos, 2. particulares, 3. Pontificia decreta complectitur; quæ omnia fuere hactenus commixta, nunc verò perspicua & obvia.

Garsias. 6. *Garsias Loaysa* Hispanus, Complutensis Academiæ Doctor, & Archidiaconus Toletanæ Ecclesiæ, Philippique Hispanorum Regis Catholici Præceptor, tandemque suæ Toletanæ Archipræsul Ecclesiæ; qui omnia Hispaniensis Ecclesiæ Concilia in unum collecta corpus, variisque illustrata notis edidit anno 1590. ætatis verò suæ obiit anno 65.

Binius. 7. *Severinus Binius* Sacræ Theologiæ Doctor, & Coloniensis Ecclesiæ Canonicus; qui post duas sui temporis novissimas Conciliorum compilationes, *Crabbeanam* videlicet & *Surianam*, suam ipse novam aliam quatuor tomis inclusam, sublatis ex ea mendis quibus scatebat plurimis, rursus in lucem dedit, quæ bis Coloniæ prodiit, anno videlicet 1606. & 1618. & tandem Parisiis, locupletissimis ac eximiis gravida notis, & in novem distributa tomos, quorum septimus est in duo volumina divisus.

Corolianus. 8. *Franciscus Longus à Coroliano*, ex Ordine FF. Minorum sancti Francisci Capuccinorum, qui juxta Eminentissimi Cardinalis Baronii Annalium Chronologiam, aliorumque illustrium virorum historiæ Ecclesiasticæ monumenta, edidit Antverpiæ *Summam Conciliorum omnium eruditam*, Conciliorum videlicet, quæ à S. Petro ad Gregorium usque XV. in Eccle-

Ecclesia fuere celebrata, eamque Gregorio XV. tunc temporis Romano Pontifici dicavit anno 1623.

9. *Jacobus Sirmundus*, natione Gallus, Ricomagi in Arvernia natus, professione Jesuita, sui sæculi scriptor celeberrimus, de eruditis omnibus benè meritus, & ab Eminentissimo Annalista Baronio non semel laudatus; qui fuit Christianissimo Regi Ludovico XIII. à Confessionibus, & plura suæ profundæ eruditionis in lucem dedit opera, quorum aliqua ipsi propria, alia verò aliorum Auctorum, sed variis & doctis ab ipso illustrata notis; inter quæ sunt Sirmundus.

1. *Censura de suburbicariis Regionibus.*
2. *Anastasii Bibliothecarii collectanea.*
3. *De duobus Dionysiis dissertatio.*
4. *Sermones S. Augustini.*
5. *Theodoreti Opera Græco-Latina, tomis quatuor.*
6. *Hincmari Rhemensis Archiepiscopi Opera.*
7. *Historia prædestinatiana.*
8. *Historia publicæ pœnitentiæ, de azymo.*
9. *Caroli Calvi capitula.*
10. *Conciliorum Ecclesiæ Gallicanæ collectio, tomis tribus.*

Obiit tandem meritis clarus anno 1651. ætatis verò suæ 93.

10. *Philippus Labbæus* & *Gabriel Cossartius*, Societatis Jesu scriptores celebres & eruditi, qui Conciliorum compilationem omnium maximam atque locupletissimam, in lucem Parisiis dedere anno 1672. cum hoc præfixo titulo: *Sacrosancta Concilia ad Regiam editionem exacta, quæ nunc quarta parte prodiit auctior, studio Philippi Labbæi & Gabrielis Cossartii Societatis Jesu Presbyterorum.* Unde & Labbæana vulgò dicitur hæc editio, utpote quia à Philippo *Labbæo* primùm suscepta, multùmque promota, licèt non completè peracta, sed ab erudito Labbæi continuatore Gabriele *Cossartio*, manu ultima data; nihilque est aliud hæc Labbæana Conciliorum editio, quàm Regiæ Conciliorum editionis exemplum, atque, ut illa, merum opus Binii; sed ita auctum ac locupletatum, tum Gallicanis Sirmundi Conciliis per debita loca diligenter insertis, tum variis aliis, sive Gallicanæ, sive aliarum Ecclesiarum monumentis, Pontificum Epistolis, variorum Auctorum observationibus & notis, perpetuaque ubique excurrente Chronologia, cum serie Pontificum, Imperatorum, & Regum, qui sederunt vel regnarunt per ea tempora & loca, in quibus quæque habita fuere Concilia; tum denique indicibus quatuor volumen constituentibus ultimum, quorum 1. Concilia, quæ in tomis continentur, indicat omnia. 2. Pontifices. 3. Decreta. 4. denique historica plura, observationesque varias; ut non idem, sed novum omninò, longèque diversum videatur opus, & septem supra triginta compleat volumina. Labbæus.

Natus anno 1617. vitam clausit sanctissimam Parisiis, in Collegio Ludovici Magni, 17. Kalendas Aprilis, anno 1667. *Philippus Labbæus*, patria Bituricensis, hoc imperfectum relinquens opus: cui tandem manum admovit ultimam, finemque dedit, in ejus labores succedere jussus vir æquè diligens, pius ac eruditus *Cossartius*.

11. *Joannes Cabassutius* Aquisextiensis, Congregationis Oratorii Domini Cabassutius.

 Jesu

Jesu Presbyter eruditus; qui nostris diebus eruditam *Conciliorum notitiam* edidit, & Eminentissimo Domino Hieronymo Grimaldo S. R. E. Cardinali, & Aquarum-Sextiarum Archiepiscopo dicavit; cujus Eminentiæ suasionibus & auspiciis, brevem insuper de usuris tractatum, ac tandem exactam juris Canonici theoriam & praxim, ad utrumque forum, tam sacramentale, quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum, tum sæculare, nedum ad juris communis & Romani, sed etiam ad juris Françici normam, luci publicæ dedit Lugduni anno 1668.



M E-



METHODICUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM
APPARATUS.



LIBER SEXTUS.

De Pontificiis Ecclesiæ definitionibus.



CUM viri Theologi sit, fideles erudire & exhortari in doctrina sana, & Ecclesiæ sit, sanam à non sana secernere doctrinam, dubia circa Scripturam, Traditionem, vel Religionem emergentia singula resolvendo, quid sit de Fide Catholica credendum, vel non credendum definiendo, quid in praxi circa morum disciplinam sequendum vel fugiendum assignando: ideò hìc definitionum sive constitutionum Ecclesiæ, sive à Concilio, sive à Romano Pontifice manantium, aliorumque nonnullorum ad ipsas, Romanumque Pontificem spectantium, levis quidem & tenuis, sed utilis & Theologiæ Candidato necessaria prælibatur idea.

ARTICULUS PRIMUS.

De multiplici specie definitionis, sive constitutionis Ecclesiæ.

OMnis ab Ecclesia proveniens definitio, sive decisio vel constitutio, qualiscumque sit, sive circa Fidem, sive circa morum disciplinam, sive à Conciliis, sive à Romano Pontifice ex Cathedra loquente procedat, nihil est aliud quàm constitutio, & constitutio nihil aliud quàm lex scripta, sive jus scriptum, jus inquam non quocumque modo sumptum, sed jus specialiter pro lege consideratum.

Solet enim jus in communi quadrupliciter vulgò sumi, videlicet 1. pro scientia seu arte, seu pro jurisprudentia; ut cùm dicitur, jus *est ars boni & æqui*. 2. pro re justa seu debita, ut cùm dicitur, *justitia est constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. 3. pro potestate, ut cùm dicitur, *jus patronatus*, *jus suffragii*. 4. denique pro lege seu pro constitutione, ut dum dicitur, aliquid jure naturali, divino vel humano vetitum vel imperatum; & de *jure* sic pro lege usurpato intelligitur, dum dicitur quòd quælibet ab Ecclesia manans definitio sive constitutio, sit lex scripta sive jus scriptum: dico jus scriptum; nam jus etiam pro lege sumptum esse potest scriptum vel non scriptum, & utriusque variæ species: quæ, quia ad multorum in decursu Theologiæ dicendorum intelligentiam Candidatis scitu necessariæ, ut hìc breviter & distinctè prænotentur singulæ,

CONCLUSIO.

Variæ juris species, divisionesque multiplices.

Dico, *jus in communi sumptum pro lege multipliciter dividi, videlicet*, 1. in *naturale*, *divinum & humanum*. 2. Naturale, in *naturale primarium sive genericum*, *& in naturale secundarium sive specificum*. 3. Divinum, in *divinum naturale & in divinum positivum; sicut & positivum, in vetus & novum*. 4. Humanum, in *Civile & Canonicum*, *& utrumque in commune & particulare*, *in scriptum & non scriptum*, *in vetus & novum*.

Ratio hujus divisionis subdivisionisque multiplicis est, quia homo, qui jure regitur, potest spectari, vel quatenus regitur à natura, vel à Deo, vel ab homine alio. Si primo modo spectetur, regitur jure naturali, quod est à natura. Si secundo, regitur jure divino, quod est à Deo. Si tertio, jure regitur humano, quod est ab homine; ac proinde rectè & adæquatè dividitur *jus*, in *naturale*, *divinum & humanum*.

Et quia homo dum regitur à natura, potest iterùm spectari, vel ut regitur à natura generica, vel ut regitur à natura specifica; primo modo spectatus, regitur jure naturali primario seu generico, omnibus animalibus communi. Secundo modo consideratus, regitur jure naturali secundario seu specifico, soli homini proprio, vulgòque *jure gentium* nuncupato.

Si verò consideretur, ut regitur à Deo; vel regitur à Deo ut auctore naturæ, vel à Deo ut auctore gratiæ; sive ut explicant alii, vel regitur à Deo præscribente aliquid ab ipsa natura præscriptum, vel à Deo præscribente aliquid nullatenus à natura præscriptum, hoc est, neque præ-

ceptum,

ceptum, neque prohibitum à natura. Primo modo spectatus, regitur *jure naturali divino*. Secundo modo consideratus, regitur *jure divino positivo*, quod, jus *vetus*, si in veteri, & *novum*, si in novo reperiatur Testamento, dicitur.

Si denique consideretur homo, ut regitur ab alio homine sibi in dignitate superiori, vel regitur ab eo ut superiori laico, vel ut Ecclesiastico; si primum, regitur *jure civili*, si secundum, *jure Canonico*, seu Pontificio sive Ecclesiastico.

Rursus consideratus ut regitur à superiori laico, vel regitur à superiori laico universali, v. g. totius Imperii, ut imperanti omnibus, vel à superiori aliquo particulari, v. g. alicujus dumtaxat Provinciæ, Reipublicæ, Civitatis, vel Communitatis; si primum, regitur jure *civili communi*; si secundum, jure *civili particulari*; & pariter si à superiori Ecclesiastico regatur; vel à superiori Ecclesiastico universali, v. g. totius Ecclesiæ, vel à superiori aliquo particulari, v.g. alicujus particularis Ecclesiæ, Societatis, Congregationis, vel Communitatis. Si primum, regitur jure *communi Canonico*; si secundum, jure *particulari Canonico*.

Et utrumque iterùm, sive *Civile*, sive *Canonicum* jus, vel est scriptum, vel non scriptum: si primum, dicitur *constitutio*, sive lex scripta: si secundum, dicitur *consuetudo*, definiturque *jus moribus institutum*; ergo rectè & adæquatè dividitur *jus* in naturale, divinum & humanum, & *naturale* in primarium & secundarium; *divinum* in divinum naturale, & divinum positivum; *positivum* in vetus & novum; & *humanum* in Civile & Canonicum; & *utrumque* in commune & particulare, in scriptum & non scriptum, imò & in vetus & novum.

Jus naturale primarium, seu genericum,

Est illud, quo à natura animalia reguntur omnia, seu quod natura sola animalia docuit omnia, quale est illud v. g. quo ab animalibus omnibus noscuntur ista:

Fuga mali, & prosecutio boni sibi congrui:
Vitæ propriæ conservatio, ejusque contra nociva defensio;
Maris & fœminæ ad liberos gignendos conjunctio mutua,
Natorum nutritio, eorumdem educatio, & alia similia.

Et singularum specierum exempla varia.

Jus naturale secundarium, seu specificum,

Quodque *jus gentium* vulgò dici solet, estque solùm inter homines commune, est illud quod sola ratio, seu rationis dictamen inter homines statuit, quodque ignorat nemo, quale est, v. g. illud quo scit omnis homo,

Quòd Deus sit colendus.
Quòd Parentes sint honorandi.
Quòd patriæ sit parendum.
Quòd fides, etiam hosti data, non sit frangenda.
Quòd Legatorum corpora sint etiam inter hostes tuta.
Quòd pacta, contractus, conventionesque serventur.

Quòd sibi creditum ab alio secretum non sit violandum.
Quòd alteri faciat nemo, quod sibi fieri non vult, &c.

Jus Divinum naturale

Est illud, quod est à Deo promulgatum, de his quæ jam jure naturæ præcepta vel prohibita erant, seu quod est à natura & à Deo, qualia sunt, v. g.

Decem Decalogi Præcepta.

Præceptum de uno colendo Deo.
Præceptum de parentibus honorandis.
Præceptum de non furando.
Præceptum de non occidendo.
Præceptum de non mœchando, &c.

Cùm Decalogus nihil sit aliud, quàm juris naturalis recapitulatio; jus enim naturale est ipsum rationis dictamen, quod quia vitiatum est ab homine, dum se variis immiscuit erroribus, à Deo reparatum est per hæc decem mandata, quibus ea iterùm præcipit aut prohibet Deus, quæ dudum per naturale jus præcepta vel prohibita erant; unde immutabilia & indispensabilia præcepta ista, etiam à Deo, ut ita loquar, cùm sint à natura, hoc est, ab ipsa dictante ratione.

Jus Divinum positivum

Est illud quod est, non à natura, sed à sola Dei libera voluntate positum, & in Scriptura sacra, vel in sacris Traditionibus expressum. Qualia sunt, v.g.

Joan. c. 3. v. 3. *Nisi quis renatus, &c.*

A Christo instituta novæ legis Sacramenta,
Ut *Præceptum de Baptismo suscipiendo,*
Præceptum de Eucharistia sumenda,
Et similia alia, non à natura, sed à Christo Domino instituta.

Joan. c. 6. v. 53. *Nisi manducaveritis.*

Et jus istud Divinum positivum etsi sit immutabile, & ab homine penitùs indispensabile, potest tamen à Deo, quando expedit, mutari; lex siquidem Mosaica divina erat, & tamen à Christo Domino mutata est & abrogata.

Jus humanum Civile

Dicitur illud, quod est à potestate sæculari sive laica positum, ut ab Imperatore, à Principe, à Republica, à Magistratu, quales sunt *Civiles* omnes, sive communes, sive particulares *leges*.

Jus humanum Canonicum

Est illud quod est ab auctoritate Ecclesiæ institutum, ut à Concilio, à Summo Pontifice, ab Episcopo, vel ab alio Ecclesiæ Prælato.

Qualia

Qualia sunt, v.g. Ecclesiæ mandata, Conciliorum Canones, Summorum Pontificum constitutiones, Episcoporum vel Religionum aut Congregationum statuta : uno verbo, quale est omnis Ecclesiastica constitutio, quomodocunque sit vocata; solet enim constitutio Ecclesiastica variis nominibus donari : nam interdum dicitur *Canon*, modò *decretum*, vel *decretalis*, *dogma*, *mandatum*, *interdictum*, vel *sanctio*, *rescriptum*, *Bulla*, vel *Breve*.

Canon sive Regula dicitur ea, quæ est in Concilio statuta.

Decretum vocatur, si à Summo Pontifice de consilio Cardinalium statuatur, ad nullius consultationem.

Decretalis nuncupatur, si sit Epistola seu constitutio per modum Epistolæ, quam Papa vel solus, vel de consilio Cardinalium statuit ad consultationem alicujus.

Dogma vocari solet constitutio illa, quæ consistit in doctrina fidei.

Mandatum verò dicitur, si in pura morum doctrina versetur.

Interdictum solet dici, si transgressoribus pœnam adjiciat nullam.

Sanctio econtrà vocatur, si pœnam injungat aliquam, quia sic sanctum efficit quod statuit; & si de certis quibusdam negotiis sit, *pragmatica* dicitur, à voce Græca πρᾶγμα significante *negotium*; qualis fuit Carolina constitutio in Bituricensi Concilio edita, tempore Caroli Galliæ Regis, hujus nominis septimi.

Rescriptum etiam vocari solet quodcumque diploma à Summo Pontifice manans, ad preces vel ad consultationem privatorum; nihilque est aliud quam privata constitutio, quæ interdum *Bulla*, interdum *Breve* dici solet.

Bulla vocatur, si sit amplo stylo, & in membranis scripta, plumbeoque sigillo munita seu bullata.

Breve dicitur, si sit breviori stylo, brevioribusque characteribus in papyro, non in membranis scripta, ceraque rubea, non plumbo sigillata.

Jus autem illud Canonicum

Quale habetur hodie, quodque corpus juris Canonici conficit, in tria volumina vulgò distributum, quinque istis comprehenditur Libris, qui vulgò dicuntur *Decretum*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinæ*, *Extravagantes*. Libri juris Canonici sunt,

Decretum

Gratiani communiter nuncupatum à suo Auctore *Gratiano*, natione Etrusco, patria Clusino, & professione Ordinis S. Benedicti Monacho, nihil est aliud quàm collectio juris Canonici in Ecclesia usu recepti ad undecimum circiter usque sæculum, complectens anteriores *Dionysii Exigui*, *Isidori Mercatoris*, & *Yvonis Carnotensis* collectiones, novis Summorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorum Canonibus, & variis SS. Patrum dictis sive sententiis adauctas, quæ prodire cœpit annò 1151. sub *Eugenio* Rom. Pont. hujus nominis *tertio*, & sub hac inscriptione, *Concordantia discordantium Canonum*, unde perperàm & ineptè *Decretum* dici consuevit, cùm non decretum, nec unius decreti, sed multorum decretorum collectio sit, quæ tres in partes dividitur, quarum 1. inscribitur *Distinctiones*. 2. *Causa*. 3. *de Consecratione*. 1. centum & unam complectitur Distinctiones. 2. Causas 36. singulas in quæstiones, quæstionemque causæ trigesimæ tertiæ, Decretum Gratiani.

tracta-

tractatum de pœnitentia complectentem, in septem distinctiones per capita subdivisam. 3. pars tractatum *de Consecratione* in distinctiones quinque divisum complectitur, & hæ tres collectionis Gratiani partes, memoriæ juvandæ gratia, sequentibus versibus notari solent:

Decretum centum distinctiones dat & unam;
Triginta Causas & sex addit tibi mixtas;
Distinguit septem pœnitentia, consecra quinque;
Auctorem quarum tibi declaro Gratianum.

In multis peccat hæc Gratiani collectio, in hoc præsertim, quòd uni interdum tribuat auctori, quod convenit alteri, v.g. Joanni Chrysostomo, quod Ambrosio, Concilio Carthaginensi, quod Chalcedonensi, &c. In hoc etiam, quòd ut certas referat omnes veterum trium priorum sæculorum Pontificum ante Siricium epistolas, ab *Isidoro Mercatore* collectas; sed ab iis, si non omnibus, saltem plurimis est purgata mendis hæc Gratiani collectio præfata, jussu & cura Summorum Pontificum Pii IV. Pii V. & Gregorii XIII. & tandem multò diligentiùs & accuratiùs ab *Augustino Tarraconensi* Episcopo, libro hunc in finem edito, inscriptoque *de emendatione Gratiani.*

Decretales

Decretales Gregorii IX. *Gregorii* vulgò dictæ, nihil sunt aliud quàm nova decretalium Epistolarum Alexandri III. Innocentii III. Honorii III. & Gregorii IX. Summorum Pontificum collectio, jussu Gregorii IX. à *S. Raymundo de Pennafort*, Ordinis Prædicatorum viro sanctissimo, & ejusdem Gregorii IX. Capellano, in lucem edita anno circiter 1230. divisaque in libros alios, qui ita sunt in titulos distributi, tituli in capitula, & capitula in paragraphos, ut primus liber agat de munere & officio personarum Ecclesiasticarum. Secundus de judiciis, & de pertinentibus ad ea. Tertius de rebus ad Clericos, & Ecclesias spectantibus. Quartus de spectantibus ad laicos, & præsertim de matrimonio, ratione cujus plures jurisdictioni subjiciuntur Ecclesiasticæ. Quintus de delictis & de pœnis eorum: quod omne vulgates & triti isti designant versus:

Pars prior officia creat, Ecclesiæque Ministros;
Altera dat testes, & cætera judiciorum;
Tertia de rebus & vita Presbyterorum;
Quarta docet quales sint ritus conjugiorum;
Quintaque de vitiis, & pœnis tractat eorum.

Vel breviùs isti:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen,
Hæc tibi designant, quid quæque volumina signant.

Sextus

Sextus Bonifacii. *Decretalium* liber *Bonifacii VIII.* vulgò dictus, est Decretalium Bonifacii VIII. ejusque prædecessorum Summorum Pontificum ad Gregorium usque nonum, ab ipso Bonifacio VIII. promulgata collectio anno circiter 1298.

1298. additaque ad quinque præfatos Decretalium Gregorii libros; unde *Sextus*, id est, Liber Decretalium sextus vulgò nuncupatus, à Decretalibus licèt separatus, & quinque in alios partiales libros sicut Decretales subdivisus, librique partiales ejus in titulos, & tituli in capitula, eo modo & de eadem materia, ac ipsi Decretalium Gregorii libri, ita ut, si quid non sit decisum in *Decretalibus*, decisum reperiatur in *Sexto*; in quo idem servatur librorum & rerum ordo, qui in Decretalibus, designaturque versibus iisdem, quibus Decretalium ordo, videlicet istis:

Pars prior officia creat, &c. vel istis, *Judex, judicium, clerus, &c.*

Clementinæ

Nihil sunt aliud quàm simul collectæ Constitutiones aliæ à Clemente V. in Viennensi Concilio editæ, & à Joanne XXII. Clementis V. successore promulgatæ circa annum 1316. versanturque circa easdem materias, suntque in quinque libros, & eodem modo, quo *Gregoriana* & *Bonifaciana*, digestæ. Clementinæ Clementis V.

Extravagantes,

Quarum aliæ numero 20. Joannis XXII. aliæ communes vulgò dictæ, nihil sunt aliud quàm constitutiones illæ à Joanne XXII. editæ, & ejus nomine promulgatæ, istæ à diversis aliis Romanis Pontificibus ortæ; quæque omnes licèt hodie corpori juris Canonici insertæ, dicuntur tamen adhuc Extravagantes, eò quòd extra juris Canonici corpus vagarentur olim; & ista Extravagantium collectio in libros & titulos est divisa, sicut præcedentium Gregorii, Bonifacii, Clementisque Decretalium compilatio; cum hoc tamen discrimine, quòd quatuor dumtaxat libros habeat, quia in Extravagantibus non agitur de matrimonio, quod est quarti Decretalium libri materia. Extravagantes Joannis XXII.

Jus novum.

Præter hoc juris Canonici corpus, ex quinque libris illis præfatis, videlicèt ex *Decreto*, *Decretalibus*, *Sexto*, *Clementinis*, & *Extravagantibus* conflatum, accessit jus novum aliud, à tempore Clementis V. ad nostra usque tempora inductum per Concilia generalia, vel per novas Summorum Pontificum constitutiones in Bullario collectas, vel in *Regulis Cancellariæ* vulgò dictis, quæque sunt numero 71. quarum tres præcipuæ sunt in Gallia usu receptæ, quia in ipsa æquitate naturali fundatæ, videlicet una de *infirmis resignantibus*; altera de *publicandis resignationibus*; & tertia de *verisimili notitia*.

Jus speciale

Dicitur illud, quod præter commune Canonum jus, est cuilibet nationi, provinciæ, civitati, vel universitati proprium; nulla enim est orbis natio, provincia, civitas, communitasque nulla, quæ præter commune jus, suum insuper non habeat speciale jus aliquod sibi proprium. Sic Gallia præter sibi cum aliis commune civile, canonicumque jus, habet pro jure sibi speciali & proprio *legem salicam*, *libertates* seu *immunitates Ecclesiæ Gallicanæ*, *Capitularia Regum*, *pragmaticam sanctionem* & *concordata*. Jus speciale Gallicum.

Lex

Lex Salica

Lex Salica.

Vulgò dicitur illa, quam prope fluvium *Salam* sanxere, dum in Gallias primò venere Franci, hoc est, antiqui Franconiæ populi, quaque regebantur olim in Gallia sub prima Regum prosapia Galli, & quæ non una, sed multiplex est, seu cujus collectio, & in varia capita reductio tot leges particulares, quot capita continet; harum enim omnium quæ superest nobis hodie collectio, sub hoc præfixo titulo, *pactum legis Salicæ*, 80. comprehendit titulos de variis rebus criminibusque variis, inter quos est de alendis titulus unus, in cujus articulo 6. statuitur, ut nulla Salicæ portio successione transeat ad fœminas, sed à solis acquiratur possidenda masculis; & hoc niti articulo putant nonnulli perantiquam Galliæ praxim, qua soli masculi & non fœminæ succedunt in serenissima Franciæ corona; quamque ideò praxim, sive per excellentiam *legem* dixere *Salicam*, licèt reipsa Salicæ leges propriè dicantur leges à populis eorumque dominis in Franconia prope fluvium *Salam*, in Comitiis Salisburgensibus olim statutæ, & posteà à *Pharamundo I.* Francorum Rege usu receptæ, atque firmatæ, à Christianis deinde *Pharamundi* successoribus Galliæ Regibus, *Childeberto* nimirùm & *Clotario* Clodovæi filiis & successoribus reductæ, & ab omni Paganismi suspicione purgatæ; tandemque post illos à *Carolo Magno*, ejusque filio & successore *Ludovico Pio* variis articulis auctæ. Vide *Meseray hist. Franc. &c.*

Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ.

Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ.

Cùm privilegium nihil sit aliud quàm privatum jus contra jus commune indultum, privilegia Ecclesiæ Gallicanæ nihil sunt aliud quàm privata jura quædam, seu privatæ quædam leges contra jus commune etiam in Gallia usu receptum, seu quædam privatæ leges quæ Gallos eximunt à lege communi: & in hoc differunt privilegia Ecclesiæ Gallicanæ à libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quòd libertates consistant in antiqui juris communis usu, privilegia verò sint exemptiones quædam ejusdem juris communis; sic v.g. privilegium Ecclesiæ Gallicanæ seu privatum Galliæ jus est à Leone X. vi concordatorum indultum, quòd Rex Christianissimus ad Episcopatum nominare possit personam in 27. dumtaxat ætatis anno constitutam, contra jus commune in Conc. Neocæs. cap. 11. & in Lateran. IV. quo constat neminem in Episcopum eligi posse, nisi post trigesimum ætatis annum.

Capitularia Regum

Capitularia Regum.

Sunt statuta, sive Regum edicta nonnulla, in quibus reperiuntur Capitula varia Ecclesiæ politiam spectantia, & in Conciliis de Episcoporum assensu condita, unde Capitularia vulgò dicta, è quibus sola nobis supersunt ea, quæ Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus, Ludovicus Balbus, Carolomanus & Carolus Simplex Galliæ Reges edidere, quæque deinde ab eruditis & de re literaria benè meritis viris diversis temporibus collecta fuere.

Ansegisus Ord. S.Bened. Monachus, & Cœnobii Laubiensis Abbas Diœcesis

cesis Cameracensis, *Caroli Magni*, ejusque successoris & filii *Ludovici Pii* Capitularia collegit, & in quatuor libros digessit omnia anno Christi 827. quibus posteà Pater *Sirmundus* Jesuita Parisiis adjecit Capitularia *Caroli Calvi* anno 1623. tandemque Stephanus *Baluzius*, vir eruditus & accuratus, Regum Capitularia simul collegit omnia, notis elucidavit & illustravit, lucique publicæ dedit anno 1676. Vide *Baluzium*, *Doujat in Specimen juris Eccl. &c.*

Pragmatica Sanctio,

Sive *Carolina* Constitutio nihil est aliud, quàm celebris illa Constitutio in Bituricensi Concilio sub *Carolo VII.* Christianissimo Gallorum Rege cusa anno 1438. quæ talis erat, ut 23. continens articulos, in hoc unum & summatim tenderet, ut Gallici regni bono consuleret, & varia ab eo incommoda removeret: unde præsertim eò tendebat, Pragmatica Sanctio.

1. Ut acceptaret Basileensis Concilii decreta de auctoritate Concilii generalis.

2. Ut Regni beneficiorum collatoribus ordinariis sua relinquerentur conferendi jura.

3. Ut juxta Basileensis Concilii decretum, tertia beneficiorum pars conferretur graduatis, sicut & præbenda Theologalis, nec non parochiales Ecclesiæ in villis muratis sitæ.

4. Ut Cathedrali vacante Sede, à Clero sive Capitulo, ut anteà more solito eligerentur Episcopi, seu ut restituerentur electiones.

5. Ut reservationes particulares, & gratiæ expectativæ abolerentur omnes, quarum occasione ingeritur mortis alienæ votum.

Hæc ut revocaretur Pragmatica Sanctio, diu multùmque rogarunt Summi Pontifices, sed frustrà: diu multùmque restitere rogati Christianissimi Reges, donec tandem post obitum *Caroli VII.* ejusque successorum *Ludovici XI. Caroli VIII.* & *Ludovici XII.* hæc sopita dissensio, per inita concordata inter *Leonem X.* Rom. Pont. & *Franciscum I.* Galliæ Regem anno 1516. Vide *Pinsson Pragmat. Sanct. Mezeray hist. Franc. Doujat in Specimen juris Eccl.*

Concordatum Gallicum.

Hic nomine concordatorum, vulgò concordati Gallici, nihil à nobis intelligitur aliud, quam percelebris illa conventio Bononiæ inter *Leonem X.* & *Franciscum I.* inita anno 1516. & in Lateranensi Concilio confirmata, pro finiendis altercationibus & dissidiis, occasione Sanctionis Pragmaticæ motis. Illam enim dum abolere enixè postularet Romana Curia, & eam econtrà vigere & executioni mandari niteretur natio Gallica, has ut pacarent discordias & rixas *Leo X.* & *Franciscus I.* Bononiæ tandem convenere de abroganda illa Sanctione Pragmatica, certis quibusdam pactis sive conventis ejus in locum subrogatis, quæ concordata, sive concordatum vulgò vocamus, & in quibus firmè retinentur nonnulla Sanctionis Pragmaticæ capita, & abrogantur, vel temperantur alia, & inter illa Concordatum Gallicum.

1. Ad simoniacam abolendam labem, qua persæpè Episcoporum & Abbatum laborabat electio, abrogatur antiquus ille Prælatos eligendi mos, &

ejus

ejus in locum Regia subrogatur ad Prælaturas nominatio, seu statuitur, ne deinceps Cathedrali vacante Sede, per Capitulum eligatur Episcopus, sed Papæ nominetur à Rege intra sex menses unus aliquis, qui sit in vigesimoseptimo saltem suæ ætatis anno constitutus, & Doctor sive Magister vel Licentiatus in Theologia vel in jure, nisi sit Regis consanguineus, vel persona sublimis, aut de Mendicantibus Monachis, qui juxta sui Ordinis statuta ad hujusmodi gradus non possit assumi, de quo sic qualificato per Regem nominato, & aliunde idoneo, Summus Pontifex vacanti providere teneatur Ecclesiæ: si tamen in Curia Romana præfatas Cathedrales vel Abbatiales, per obitum vacare contingat Ecclesias, eas statim replere possit Summus Pontifex, nulla expectata nominatione Regia, exceptis tamen Capitulis, vel Monasteriis suos sibi Prælatos eligendi privilegio munitis.

2. Prohibetur ne deinceps ullæ dentur gratiæ expectativæ, nullæque fiant reservationes, sive generales, sive speciales, ad vacatura beneficia.

3. Canonicos creare permittitur, ad effectum dumtaxat obtinendi dignitatem, personatum vel officium, sed non præbendam primò vacaturam.

4. Pro graduatis idem statuitur, quod *Basileense* Concilium, & post Basileense Concilium, *Pragmatica Sanctio* decernit, videlicet ut graduatis, præter Theologales præbendas, & Parochiales Ecclesias in villis muratis sitas, conferatur insuper aliorum beneficiorum per obitum vacantium tertia pars, non per turnum, ut Pragmatica Sanctio jubebat, sed ita, ut ea eis determinatè conferantur beneficia quæcumque vacatura, intra 4. anni menses, videlicet *Januarium*, *Aprilem*, *Julium* & *Octobrem*; iis tamen exceptis beneficiis, quæ pendent ex nominatione Regia, vel sunt de jure Regaliæ, vel de Laicali Patronatu, vel quæ sunt electiva, aut Capitulorum dignitates.

5. Agitur de mandatis Apostolicis à Summis Pontificibus olim dari consuetis, sed posteà per Tridentinum abrogatis Sess. 24. cap. 19. de reformatione.

6. De causis & appellationibus agitur, & statuitur, ut causæ omnes, exceptis majoribus, in partibus terminentur apud Judices, qui de jure vel consuetudine præscripta, aut privilegio, earum cognitionem habere debent: at quoad appellationes, præscribitur ut fiant ad superiorem immediatum, & non ad alium, licèt Papam, omisso medio.

7. Denique agitur de pacificis possessoribus, de concubinariis publicis, de excommunicatis non vitandis, de interdictis non leviter ferendis, &c. Vide *Rebuffum in Concor. Doujat in Specimen juris Eccl.*

Jus speciale Germanicum. Sic & Germania præter commune sive Civile, sive Canonicum, habet pro jure sibi proprio & speciali bullam auream, & concordatum Germanicum.

Bulla Aurea.

Bulla Aurea. Sive *Carolina* constitutio, nihil est aliud quàm edictum sive constitutio Imperialis à *Carolo IV.* Imperatore in comitiis Nurembergæ habitis edita, anno 1356. Unde *Carolina* vocata, & *Bulla Aurea* vulgò dicta, quia in formam Bullæ aureo bullata sigillo referente impressam Imperatoris effigiem ex una parte, & Romani Capitolii figuram ex altera, habeturque

turque Bulla hæc, sive constitutio pro fundamentali Imperii Germanici lege, continetque 30. capita, in quibus præscribitur forma, sive modus aut ritus procedendi in celebranda sive Romanorum Regis, sive Imperatoris electione, & determinantur singulorum electorum numerus, officia, locus, comitatus & jura, aliaque statuuntur plura ad generale Imperii regimen spectantia.

Concordatum Germanicum.

Sicut Gallia suum habet concordatum, quo regitur in materia beneficiali, sic habet & longè antè Germania suum, initum videlicet inter *Fridericum III.* Imp. & *Nicolaum V.* Rom. Pont. anno 1448. & confirmatum à *Clemente VII.* & à *Greg. XIII.* cùm enim de reservationibus Pontificiis, aliisque Curiæ Romanæ, ut vocant, gravaminibus conquesta esset Germanica natio, inter *Joannem* R. E. Cardinalem *Nicolai V.* à latere Legatum, & *Fridericum III.* Imp. aliosque Germaniæ Principes hæc inita sunt concordata, sive conventa, quibus loco 4. mensium (per quos vacantium beneficiorum collatio, secundùm Romanæ Cancellariæ stylum, Ordinariis relicta erat) sex iisdem menses indulgentur, aliaque conceduntur, quibus ejusdem styli Curiæ Romanæ mitigatur asperitas. Unde hoc in Concordato Germanico, circa beneficia determinantur præsertim quatuor ista: Concordatum Germanicum.

1. Collationes beneficiorum omnium in curia Romana, vel intra duas diætas ab Urbe, quomodocumque vacantium, Summo Pontifici reservantur.

2. Pro electivis jus eligendi suos Prælatos relinquitur Metropolitanis Cathedralibus & Monasteriis, & Summo Pontifici obligatio confirmandi, nisi fortè de consilio Cathedralium, alius utilior aut capacior videatur eligendus.

3. Pro collativis statuitur, ut alternatim ita à Papa & à Collatoribus ordinariis omnia sive sæcularia sive regularia conferantur beneficia, ut à Papa conferantur mense *Januario* vacantia, ab Ordinariis verò mense *Februario*, & sic deinceps alternis mensibus; ita ut Papa conferat per 6. menses alternos, qui ideò *menses Papales* dicuntur; Ordinarii verò per 6. alternos alios: excipiuntur tamen Cathedralium Collegiatarumque dignitates, quæ semper à suis Collatoribus ordinariis conferenda remanent; imò & ea beneficia, quæ vacabunt intra 6. menses Papales, si nullus appareat provisus à Papa intra tres menses à die vacationis in loco beneficii notæ.

4. Denique pro dignitatibus, personatibus, & aliis quibuscumque beneficiis à S. Sede collatis decernitur, ut primi anni reditus per modum annatæ solvantur, exceptis tamen his, quæ vi expectativæ gratiæ, vel permutationis causa fuerint collata, aut quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt.

Hoc Germanicum Concordatum, quo reguntur etiam in *Lotharingia* & in *Alsatia* Galli, *Maximiliani* Imperatoris jussu *Leodii* promulgatum est ac receptum anno 1518. & *Caroli V.* Imp. edicto in Ecclesia *Cameracensi* executioni mandari jussum, anno 1554. vigetque per extensionem, ex speciali indulto, in Ecclesiis *Metensi*, *Tullensi* & *Virdunensi*, quia *Trevirensis* Ecclesiæ suffraganeis, sed indultum *Ludovico XIV.* Christianissimo Regi

con-

conceſſum eſt ab *Alexandro VII.* anno 1664. & à *Clemente IX.* confirmatum anno 1668. pro nominatione ad illas Cathedrales *Metenſem*, *Tullenſem*, & *Virdunenſem*, & ad alia in his Diœceſibus ſita conſiſtorialia beneficia. Vide *Doujat in Specimen juris Eccl.*

ARTICULUS II.

An & quibus in definitionibus infallibilis ſit Eccleſia.

Quid ſit quæſtio juris, & quid quæſtio facti.

SCiendum eſt primò ad clariorem quæſtionis propoſitæ deciſionem, & ad majorem eorum omnium quæ in hac materia dici ſolent intelligentiam; quæſtiones de quibus diſputari ſolet, an in illis definiendis ſive reſolvendis infallibilis ſit Eccleſia, alias eſſe quæſtiones juris, alias quæſtiones facti. Quæſtiones juris genericè loquendo, & apud Juriſtas, ſunt eæ quæ ex jure reſolvi poſſunt ac decidi: quæſtiones verò facti in materia contingenti ſunt eæ, quæ ex nullo jure poſſunt reſolvi; ſic v. g. ſi quæratur, *an Titius occiderit Cajum*, eſt quæſtio facti, quia ex nullo jure decidi poteſt; ſed ſuppoſito hoc facto, nimirùm quòd Titius occiderit Cajum, & quæratur, *an Titius puniri debeat, & qua pœna*, eſt quæſtio juris, quia ex jure decidi poteſt.

Quid quæſtio juris apud Theologos.

Sciendum eſt ſecundò apud Theologos, quæſtiones juris dici illas, quæ ex ſolo jure divino ſolvi poſſunt, hoc eſt, quæ ex Scriptura vel Traditione, in quibus eſt jus Fidei noſtræ, decidi poſſunt: unde eſt quòd apud Theologos quæſtio juris eadem eſt ac quæſtio Fidei, & vice verſa; quæſtiones verò facti apud Theologos ſunt hæ, quæ ex jure divino, ſeu quæ nec ex Scriptura, nec ex Traditione ſolvi poſſunt. Sic v.g. ſi quæratur, *an Chriſtus ſit creatura*, eſt quæſtio juris, quia ex jure divino, hoc eſt ex Scriptura & Traditione poteſt reſolvi: ſi verò quæratur, *an Arius dixerit Chriſtum eſſe creaturam*, eſt quæſtio facti, quia ex jure divino, hoc eſt, nec ex Scriptura, nec ex Traditione ſolvi poteſt.

Sciendum eſt tertiò præter ſimplices quæſtiones juris, & ſimplices quæſtiones facti, alias eſſe quæſtiones, quæ dicuntur mixtæ ex jure & facto; quæſtio enim mixta dicitur ea quæ duas includit quæſtiones, unam juris, & alteram facti; ut v.g. ſi quis quærat, *an Epiſtola Ibæ ſit hæretica in ſenſu Ibæ*, hæc quæſtio dicitur mixta, quia duas includit quæſtiones, unam juris, ſcilicet iſtam, *an Epiſtola Ibæ ſit hæretica*, & alteram facti, ſcilicet iſtam, *an in ſenſu Ibæ ſit hæretica*; ſeu an dicere cum Neſtorio duas in Chriſto perſonas eſſe ſit hæreticum, & an *Ibas* ſua in Epiſtola dixerit cum Neſtorio duas in Chriſto perſonas eſſe.

CONCLUSIO.

Dico, *Eccleſiam eſſe infallibilem in omnibus, & quibuſcumque juris ſeu Fidei quæſtionibus decidendis.*

Eccleſiam infallibilem eſſe in quæſtionibus Fidei ſive juris oſtenditur.

Pr. 1. Quæſtiones juris apud Theologos ſunt hæ, quæ ex jure divino, hoc eſt, ex Scriptura & Traditione decidi ſolent: Atqui Eccleſia eſt infallibilis in quæſtionibus illis decidendis, quæ ex Scriptura & Traditione decidi ſolent; ergo & in quæſtionibus juris ſeu Fidei decidendis.

Pr.

Pr. minor. Si Ecclesia non esset infallibilis, sed fallibilis in quæstionibus quæ ex Scriptura & Traditione decidi solent; Ecclesia non esset infallibilis, sed fallibilis, & errare posset in Scriptura & Traditione cognoscenda; ac proinde in fide sua, in Scriptura & Traditione contenta: Atqui dici non potest, quòd Ecclesia sit fallibilis & errare possit in sua fide, cùm promiserit Ecclesiæ Christus 1. quòd portæ inferi numquam prævalerent adversus eam, dicens Matth. cap. 16. vers. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 2. Quòd eam ipse numquam desereret, dicens Matth. cap. 28. vers. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quasi dicat; Prius hic desinet mundus, quàm in Ecclesia desinat præsentia mea, ut explicat Corn. à Lap. 3. Cùm promiserit ei se Spiritum veritatis missurum, qui eam omnem veritatem doceret, dicens Joan. cap. 14. vers. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*: Et de quo iterùm ibid. cap. 16. vers. 13. sic ait: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ergo nec dici potest quòd Ecclesia non sit infallibilis in hujusmodi quæstionibus, quæ ex Scriptura & Traditione decidi solent; ergo nec in quæstionibus juris seu Fidei decidendis.

Pr. 2. Ex eo quòd Paulus 1. ad Tim. cap. 3. vers. 15. dicat de Christi Ecclesia, quòd sit *columna & firmamentum veritatis*: Sed dici non posset de Ecclesia Christi, quòd esset *columna & firmamentum veritatis*, si fallibilis esset, & errare posset in decidendis & resolvendis sui juris suæque Fidei quæstionibus; ergo nec dici potest quòd sit fallibilis in illis decidendis; ergo infallibilis.

Objicies 1. In Scriptura & apud SS. PP. Ecclesia lunæ comparatur; ergo sicut luna, ita & Ecclesia potest à sua claritate interdum deficere, & eclipsim pati, interdum errando. Resp. perm. ant. neg. consequentiam & paritatem; non enim lunæ comparatur Ecclesia in hoc, quòd sicut luna potest à sua claritate deficere & eclipsim pati, ita possit & Ecclesia à sua deficere; sed in hoc, quòd sicut luna suas vicissitudines patitur, & mutationes accidentales, ita & Ecclesia suas modò pacis, modò persecutionis vicissitudines habeat, licèt nusquam deficiat: unde S. Ambrosius lib. 2. Hexaemeron cap. 2. *Ecclesia tempora sua habet persecutionis & pacis: nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit: obumbrari potest, sed deficere non potest.* In hoc etiam lunæ comparatur Ecclesia, quòd sicut luna lumen recipit à sole, ita & à Christo vero justitiæ & intelligentiæ sole lumen habet Ecclesia.

Et negantibus adversariis occurritur.

Objicies 2. Initio mundi, solis existentibus Adamo & Heva, in illis tota subsistebat Ecclesia; ergo illis deficientibus & fidem amittentibus, à fide defecit Ecclesia. Resp. 1. tunc nondum fuisse Ecclesiam, sed initium Ecclesiæ; quia Ecclesia est multitudo seu congregatio, ad quam non sufficiunt duo, sed ad minus requiruntur tres, sicque propriè non fuit Ecclesia usque ad Abel. Resp. 2. supposito quòd tunc legis naturæ defecisset Ecclesia, non sequitur legis novæ deficere posse Ecclesiam, cùm isti, non illi fuerit infallibilitas promissa.

Objicies 3. Judæorum Synagoga in Concilio contra Christum habito erravit in Fide, nimirum contra divinitatem Christi, dicendo ipsum non esse verum Messiam & Deum, sed reum mortis, ergo in Fide errare potest Ecclesia. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non Synagogæ J[illegible] præ-

sentes Christo promissa fuit infallibilitas, sed potiùs prædictum, Judæos circa divinitatem Christi erraturos & Christum occisuros, idque à Daniele dicente cap. 9. vers. 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : & non erit ejus populus, qui eum negaturus est* : Sed Ecclesiæ Christi, de qua hic agimus, promissa est infallibilitas, à Christo dicente, ut visum est, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Vel Resp. 2. Quòd quamvis infallibilis fuerit Synagoga ante Christi adventum, non fuit necesse ut infallibilis esset præsente Christo, quia Christus ipse in terris præsens, poterat per se & immediatè credenda à non credendis secernere & explicare, sicque veritatem omnem docere.

Objicies 4. Ecclesia in Nicæno primo Concilio Can. 12. militiam damnavit; ergo erravit, cùm licitam esse militiam constet ex Evangelio, ubi Joannes, Luc. cap. 3. vers. 14. rogatus à militibus, *Quid faciemus & nos?* non dissuasit illis militiam, sed dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis : & contenti estote stipendiis vestris*. Resp. dist. ant. Concilium Nicænum militiam damnavit in his circunstantiis in quibus militia est signum idololatriæ, conc. Absolutè, neg. ant. quod ut pateat, notandum est quòd olim militiæ cingulum magni honoris & commodi res erat, propter magna militibus concessa privilegia; & ideò Imperatores Ethnici persecutionis tempore cingulum militiæ iis qui Christiani erant, fidemque negare recusabant, auferre solebant, eosque exauctorare, ut constat apud Eusebium lib. 8. cap. 4. Quam ob causam cùm plures milites Christiani ardore fidei cingulum abjicerent, & sine honore potiùs quàm sine fide vivere mallent, ac demum posteà mundi & honoris tentationibus victi, idem cingulum, parati fidem negare, vicissim ambirent; Concilium Nicænum hoc Canone eis hanc pœnitentiam injungit, ut scilicet decem annis permaneant inter Pœnitentes, postquam triennio fuerint inter Audientes, id est, Catechumenos : ex quo non sequitur quòd militiam absolutè damnet, ut perperàm calumniari solent hæretici.

Instabis. In eodem Nicæno I. Concilio Can. 19. hæreticos rebaptizandos esse decrevit Ecclesia, qui tamen rebaptizari non debent; ergo in hoc saltem circa fidem erravit Ecclesia. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non omnes absolutè hæreticos rebaptizandos esse decrevit, sed solùm Paulianistas, & alios hujusmodi, quorum baptisma nullum erat, quia non eadem forma collatum, qua conferri debet & confertur ab Ecclesia, per expressam scilicet SS. Trinitatis invocationem. Paulianistæ verò qui Christum purum hominem esse tenebant, haud dubiè in fide & nomine trium personarum SS. Trinitatis non baptizabant, nec consequenter verè & validè baptizabant; & ideò illos rebaptizari jussit Ecclesia in Conc. Nicæno congregata Can. 19. Responsum confirmat nostrum S. Hieronym. dum ad hunc Canonem alludens, ait in dialog. contra Lucif. *Synodus Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samozateni discipulis*.

A R-

ARTICULUS III.

Num in quæstionibus facti cum jure connexi sit infallibilis Ecclesia.

SCiendum est primò circa facta, duo esse factorum genera; alia enim sunt facta cum jure necessariò connexa, alia verò pura facta, & cum jure nullatenus connexa. Factum cum jure seu cum fide necessariò connexum dicitur illud, ex cujus negatione sequitur negatio juris seu fidei, quale est v. g. *Canonicitas Scripturæ*, quale & *œcumenicitas Concilii*. Unde si quis quærat, an Scriptura nobis per Ecclesiam proposita, sit Canonica, hæc quæstio est quæstio facti cum jure connexi, quia eo negato facto, sequitur negatio juris; negato enim quòd hæc Scriptura sit Canonica, sequitur negatio juris seu fidei in hac Scriptura contentæ. Sic pariter si quis quærat, an hoc Concilium v. g. Nicænum sit œcumenicum, est quæstio facti cum jure seu fide connexi, quia hoc negato facto, hoc est, negato quòd hoc Concilium v. g. Nicænum sit œcumenicum, sequitur negatio juris seu fidei, nobis per Nicænum Concilium declaratæ.

CONCLUSIO.

Dico, *Ecclesiam esse etiam infallibilem in decidendis quæstionibus facti cum jure seu fide necessariò connexi.*

Pr. Factum cum jure seu cum fide necessariò connexum dicitur illud, ex cujus decisione dependet decisio fidei, seu ex cujus negatione sequitur negatio fidei: Atqui Ecclesia est infallibilis in hujusmodi facti quæstionibus decidendis; ergo & in quæstionibus facti cum fide necessariò connexi decidendis. **Eamdem Ecclesiam in quæstionibus facti cum fide connexi infallibilem esse probatur.**

Pr. minor. Ecclesia est infallibilis, ut visum est, in fidei quæstionibus decidendis: Atqui non potest esse infallibilis in fidei quæstionibus decidendis, nisi sit infallibilis in decidendis quæstionibus hujusmodi facti, ex cujus decisione dependet decisio fidei, & ex cujus negatione sequitur negatio fidei; ergo est etiam infallibilis in illis decidendis quæstionibus facti, ex cujus decisione dependet decisio fidei; ergo & in decidendis quæstionibus facti cum fide connexi, quales sunt v. g. quæstiones istæ, *an Scriptura hæc sit Canonica*; *an hoc Concilium sit œcumenicum*. Hæ enim quæstiones sunt facti, cùm non possint ex Scriptura, nec ex Traditione resolvi; & facti cum jure seu cum fide connexi, cùm ex hujusmodi facti decisione dependeat decisio fidei, & ex ejus negatione sequatur negatio fidei; seu cùm hæc facta sint ita connexa cum fide, ut si in illis decidendis & discernendis erraret Ecclesia, erraret in fide, cùm fidei definitio dependeat ex illis; sic v. g. si Ecclesia agnosceret Scripturam aliquam ut divinam, quæ divina non esset, errare posset in fidei definitionibus, quæ per Scripturam illam fierent. Sic si Concilium agnosceret aliquod ut legitimum & œcumenicum, quod tamen œcumenicum non esset, errare pariter posset Ecclesia, hujus Concilii fidei definitiones sequendo, & ut veras fidei definitiones agnoscendo. Et si denique Summum Pontificem agnosceret aliquem, qui verus & legi-

Q 2 timus

timus Pontifex non esset, errare similiter posset in fide Catholica, qua creditur v. g. Ecclesiæ caput esse visibile; non potest autem Ecclesiæ caput esse visibile & re ipsa videri, nisi sit verus ille vel ille Pontifex, quem videt & agnoscit ut caput suum. Errare posset etiam in fide qua credimus veram ac legitimam Summorum Pontificum in Romana Ecclesia successionem; quæ tamen vera successio non esset, nisi veri ac legitimi fuissent Pontifices, qui hactenus Pontifices Ecclesiam rexere, & quos ut veros Pontifices agnovit Ecclesia; ergo, &c.

Et contradicentibus adversariis respondetur. Objicies. Hujusmodi facta quantumvis cum fide connexa, nullibi sunt revelata; ergo in his errare potest Ecclesia. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia satis est quòd Spiritus Sanctus assistat Ecclesiæ, impediens ne erret in illis factis decidendis, licèt non revelatis, ut re ipsa assistit ei, impeditque ne erret in illis, quia si erraret in hujusmodi factis cum fide connexis, erraret in fide; ergo cùm non possit errare in fide, nec in factis cum fide connexis, licèt illa facta non sint revelata, quia Christus illi infallibilitatem conferens, ne erret in fide, assistit illi ne erret in hujusmodi decidendis factis, sine quo stare non posset ejus infallibilitas in fide.

Instabis. Qui negaret illa facta, non ageret contra fidem, nec esset hæreticus, quia non negaret aliquid revelatum, cùm illa facta non sint revelata; ergo in his decidendis non est infallibilis Ecclesia. Resp. 1. dist. ant. non ageret contra fidem, nec esset hæreticus directè & formaliter, esto; indirectè & præsumptivè, neg. ant. quia eo ipso quo negaret illa facta per Ecclesiam decisa & recepta, consequenter & præsumptivè censeretur negare infallibilitatem Ecclesiæ in hujusmodi factis cum fide connexis decidendis, quæ infallibilitas ad fidem pertinet, ac proinde præsumptivè saltem hæreticus esset. Resp. 2. Dicendo quòd ille qui negaret illa facta cum fide connexa post Ecclesiæ definitionem, negaret aliquid revelatum virtualiter & mediatè, quia cùm Ecclesiæ definitio sit virtualis quædam ac mediata revelatio, ea quæ sunt per Ecclesiam definita ac decisa, sunt virtualiter & mediatè revelata, quæ virtualis & mediata revelatio æquivalet formali & immediatæ revelationi in ordine ad nostrum firmandum assensum.

Urgebis. Ut aliquid credatur fide divina, debet esse revelatum immediatè seu revelatione formali & immediata; ergo non sufficit revelatio virtualis & mediata.

Resp. neg. ant. Ratio est primò quia, ut benè advertunt in sua declaratione celebris Duacensis Academiæ Doctores, nullibi reperitur scriptum, immediatam requiri revelationem ad fidem divinam, & non sufficere mediatam, videlicet decisionem Ecclesiæ assistentia Spiritus Sancti directæ. Secundò quia nullibi est expresè & immediatè revelatum, quòd hic textus Euangelii nobis per Ecclesiam propositus, sit divinus seu verbum divinum, & tamen S. August. dicit se illum credere ut divinum, quia Ecclesia illum proponit & declarat divinum, dum ait contra Epist. fundamenti cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas*; ergo credit, & credit fide divina illum textum esse divinum, licèt illum divinum esse non sit expresè & immediatè revelatum, sed solùm virtualiter & mediatè per Ecclesiæ propositionem seu declarationem; ergo non requiritur absolutè formalis & immediata revelatio, sed sufficere potest virtualis & mediata revelatio, qualis est decisio sive declaratio Ecclesiæ assistentia Spiritus Sancti directæ.

A R-

ARTICULUS IV.

Num in quæstionibus facti doctrinalis seu dogmatici sit infallibilis Ecclesia.

Sciendum est primò, facta alia esse dogmatica sive doctrinalia, alia non dogmatica. Factum dogmaticum sive doctrinale dicitur quodcumque privati auctoris, vel privatorum auctorum dogma sive doctrina in materia fidei; factum verò non dogmaticum dicitur quodcumque factum aliud, quod non est dogma sive doctrina. Sic si quis quærat, *an doctrina trium Capitulorum sit doctrina Nestorii*, seu contineat Nestorii doctrinam & hæresim, est quæstio facti dogmatici. Si verò quis quærat, *an trium Capitulorum doctrina fuerit à Chalcedonensi Concilio approbata*, est quæstio facti non dogmatici, sed puri, in qua resolvenda per annos propè centenos Orientalis cum Occidentali disceptavit Ecclesia. Approbatam fuisse supponebat Occidentalis, non approbatam contendebat Orientalis. His ita prænotatis, quæritur an & in decidendis facti dogmatici quæstionibus infallibilis sit Ecclesia. His positis, Quid sit factum dogmaticum.

CONCLUSIO.

Dico, *Ecclesiam esse infallibilem in definiendis quæstionibus facti doctrinalis seu dogmatici, seu in approbando vel reprobando naturali & obvio librorum ad Religionem spectantium sensu.*

Pr. 1. Ecclesia est infallibilis in doctrina seu sensu SS. Patrum cognoscendo: sed sensus SS. Patrum est factum aliquod dogmaticum; ergo Ecclesia est infallibilis in cognoscendo facto aliquo dogmatico; ergo & in cognoscendo alio quocumque, cùm non sit major ratio de uno quàm de alio. Prob. ant. Ecclesia cùm sit infallibilis in sua fide cognoscenda, ut toties ex Scriptura visum est, debet esse infallibilis in Scripturæ sensu sæpè obscuro cognoscendo, & in ipsa quoque Traditione discernenda, cùm suam ex Scriptura & Traditione fidem cognoscat: atqui non potest esse infallibilis Ecclesia in dubio Scripturæ sensu intelligendo, & in vera Traditione discernenda, nisi sit infallibilis in sensu SS. Patrum cognoscendo, cùm Scripturæ sæpè obscuræ sensum, imò & latentem sæpè Traditionem non agnoscat, nisi ex doctrina seu ex sensu SS. Patrum; ergo si sit infallibilis in Scriptura & Traditione cognoscenda, infallibilis esse debet in sensu SS. Patrum cognoscendo; ergo & in facto dogmatico intelligendo, approbando vel reprobando. In quæstionibus facti dogmatici Ecclesiam infallibilem esse docetur.

Pr. 2. Ecclesia est infallibilis in vera Christi doctrina de fide & moribus cognoscenda, & discernenda ab alia quacumque, ob assistentiam Spiritus Sancti ei à Christo promissi, Joan. cap. 14. vers. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et cap. 16. vers. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; ergo & infallibilis esse debet consequenter in illa alia quacumque cognoscenda, approbanda vel reprobanda auctoris cujuscumque doctrina; ergo & in illius vero, naturali & obvio sensu cognoscendo, approbando & reprobando; cùm Ecclesia, dum approbat

vel reprobat doctrinam aliquam, illam quoad naturalem & obvium verborum sensum approbet vel reprobet; ergo & infallibilis consequenter est in decidendis facti dogmatici quæstionibus.

Pr. 3. Ex ipso Ecclesiæ judicio & praxi, & sic, Ecclesia se in factis dogmaticis decidendis infallibilem esse judicat, & sua praxi declarat, si se gerat ut infallibilem, & loquatur ut infallibilis ea decidendo: atqui Ecclesia se gerit ut infallibilem, & loquitur ut infallibilis, dum facta doctrinalia seu dogmatica decidit; ergo se infallibilem esse judicat, & sua praxi declarat in hujusmodi factis doctrinalibus seu dogmaticis decidendis. Pr. minor. Hæreticorum doctrinæ, seu erronea dogmata sive hæreses sunt facta doctrinalia sive dogmatica: atqui in illis decidendis & reprobandis semper Ecclesia se gessit & gerit adhuc ut infallibilem, & locuta est & loquitur adhuc ut infallibilis, cùm ea decidendo & reprobando, auctores eorum anathematizet ut hæreticos, & obliget fideles omnes sub pœna anathematis ad acquiescendum suæ decisioni, ut manifestè constat, aliis omissis, ex ipso œcumenico Concilio quinto, in quo congregata sic loquitur Ecclesia can. 11. dicens: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, Origenem cum impiis eorum conscriptis, & alios omnes hæreticos qui condemnati & anathematizati sunt à sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia, & à prædictis quatuor Conciliis.... talis, anathema sit.* Sic autem haud dubiè non loqueretur Ecclesia, si non se judicaret infallibilem; ergo Ecclesia se gerit ut infallibilem, & loquitur ut infallibilis in hujusmodi decidendis factis doctrinalibus sive dogmaticis; ergo praxi sua se judicat & declarat infallibilem; ergo verè infallibilis est in illis decidendis; alioquin in sua infallibilitate cognoscenda fallibilis esset, & erraret; quod dici non potest, cùm infallibilitas Ecclesiæ sit de fide, & in fide errare non possit Ecclesia, ut visum est.

Pr. 4. Si infallibilis non esset Ecclesia in decidendis facti dogmatici quæstionibus, seu in decidendo atque approbando vel reprobando naturali & obvio librorum quorumcumque ad Religionem spectantium sensu, nullus esset Novator, nullus hæreticus qui posset de hæresi certò convinci, & ut hæreticus definitivè damnari, quique non posset quantumvis ab Ecclesia damnatus reclamare, & dicere se hæreticum non esse, se hæreticè non sensisse, seque perperàm & injustè ab Ecclesia errante fuisse damnatum; imò hæretici omnes quotquot olim fuere per Ecclesiam damnati, idem dicere possent adhuc hodie & reclamare, si redirent: Atqui hoc dici non potest nec tolerari, cùm ad fidei Catholicæ nostræ, totiusque Religionis eversionem tendat; ergo nec dici potest infallibilem non esse Ecclesiam in hujusmodi decidendis facti doctrinalis seu dogmatici quæstionibus, seu in naturali & obvio librorum ad Religionem spectantium sensu cognoscendo, eoque approbando vel reprobando.

Et contradicentium objectionibus occurritur.

Objicies 1. Sensus cujuslibet auctoris est quid internum, ergo de eo judicare nequit Ecclesia. Resp. dist. ant. sensus intus latens, retentus & non verbis expressus, conc. Sensus naturalis & obvius qui est verbis expressus, nego ant. & sub eadem distinctione consequentiam. Fatemur enim Ecclesiam non judicare de sensu illo interno intus suppresso, & ab auctore retento, sed de sensu illius naturali; sensus autem naturalis auctoris est sensus naturalis verborum auctoris, & sensus naturalis verborum auctoris est sensus ille, ad quem exprimendum sunt instituta auctoris verba, quique intelligitur eo ipso quo intelliguntur verba; ergo, &c.

Obji-

Objicies 2. Facta dogmatica nullibi sunt in Scriptura vel Traditione revelata, ergo non est necesse in his decidendis & secernendis infallibilem Ecclesiam esse. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia etsi non sint in Scriptura vel Traditione revelata, sunt tamen talia, ut approbari vel reprobari debeant per conformitatem vel difformitatem cum Scriptura vel Traditione, quia vel sunt conformia vel difformia Scripturæ aut Traditioni; ergo cùm infallibilis sit Ecclesia in cognoscenda & decidenda cujuscumque doctrinæ conformitate vel difformitate cum Scriptura vel Traditione, & non possit infallibilis esse in tali doctrinæ conformitate vel difformitate cognoscenda & decidenda, nisi pariter infallibilis sit in tali cognoscenda doctrina, ac proinde & in decidendis dogmaticis quibuscumque factis; ergo, &c.

Objicies 3. In Concilio Chalcedonensi sub Leone I. approbata fuere tria Capitula, hoc est, *doctrina Theodori Mopsuesteni, epistola Ibæ Edesseni, & scripta Theodoreti* adversus 12. Cyrilli capita, & eadem tria Capitula deinde post centum circiter annos fuere sub *Vigilio* damnata in secunda Synodo Constantinop. ergo vel erravit Ecclesia approbando illa, vel erravit damnando. Resp. neg. ant. quoad primam partem, quia in Chalcedonensi Concilio neque approbata, neque reprobata fuit trium Capitulorum doctrina, sed solùm auctores, videlicet *Theodoretus* & *Ibas* in communionem admissi eo ipso quo *Nestorio*, Nestoriique Sectariis anathema dixere; licèt deinde sub Vigilio in Constantinopolitano II. seu œcumenico V. damnata fuerit, sicque finita inter Orientales & Occidentales centum circiter annorum controversia in hoc sita, quòd trium Capitulorum doctrinam in Concilio Chalcedonensi approbatam fuisse, sicque non posse damnari contenderent Occidentales: approbatam econtrà non fuisse dicerent, sicque damnari posse & debere clamarent Orientales.

Instabis. Gratis dicitur & non probatur, Chalcedonense Concilium tria Capitula præfata non approbasse; ergo perperàm & falsò dicuntur non approbata. Resp. neg. ant. quia hoc probatur & constat 1. ex Concilio œcumenico quinto, secundo scilicet Constantinopolitano, hæc tandem tria Capitula damnante, & dicente de impia Ibæ Edesseni epistola: *Quomodo præsumunt aliqui dicere, istam impiam epistolam susceptam fuisse à sancto Chalcedonensi Concilio?* 2. Ex ipso Vigilio Rom. Pont. hoc quintum œcumenicum Concilium confirmante & dicente in sua Concilii confirmativa epistola: *Absit ut tam horrendas blasphemias Patres Chalcedonenses approbarint.*

Urgebis. Relata & relecta epistola Ibæ, orthodoxus judicatus est Ibas; ergo & orthodoxa judicari debuit epistola. Resp. neg. conseq. quia ideò orthodoxus judicatus est Ibas, hac ejus epistola relecta, 1. quia fortè suam esse negavit, ut innuit Greg. Mag. epist. ad Monachum Secundinum; 2. quia eam fortè exposuit, & sua expositione Concilii Patribus satisfecit; 3. quia eam fortè retractavit, dicens se eam scripsisse ante Concilium Ephesinum, dum adhuc Nestorii causa sub judice penderet, ut eruditè notat Gisb. S. J.

Objicies 4. Damnavit olim Ecclesia in sexta Synodo *Honorium I.* ut hæreticum & Monothelitam, qui tamen hæreticus non erat; ergo erravit in ferendo de illius doctrina judicio. Resp. neg. ant. cum Baronio asserente sextæ Synodi acta à Græcis fuisse corrupta, in illis Honorii damnationem fraudulenter insertam, & sic ex illis nihil contrà concludi posse.

Resp. 2. cum nonnullis dicentibus damnatum quidem fuisse, sed nulla servata judicii forma, sicque nullam fuisse, quia non juridicam, Honorii damnationem. Resp. 3. cum aliis fatentibus damnatum quidem fuisse *Honorium* à sexta Synodo, non ut hæreticum, sed ut hæreseos hæreticorumque fautorem, & negligentiæ reum in illis reprimendis; *Quia flammam hæretici dogmatis, non ut decuit, auctoritate Apostolica incipientem extinxit, sed negligendo confovit*, ut loquitur Leo II. ad Hispaniæ Præsules, seu ut rursus idem ad Hispaniæ Regem scribens ait; *Quia immaculatam Apostolicæ traditionis regulam maculari permisit*; & ideò justè fuisse damnatum, quia ejusdem culpæ rei censentur erroris fautores & auctores; fautor autem Monothelitarum fuit *Honorius*, non quidem assentiendo eis, sed eos non coercendo; non approbando illorum pravum de una in Christo voluntate dogma, sed indicendo de una vel duplici voluntate silentium: unde & meritò cum illis damnatus, quia illorum erroris fautor; cùm ex Cœlestino II. Rom. Pont. ad Galliarum Præsules scribente, *Meritò nos causa respicit, si silentio faveamus errori*. Resp. 4. cum eruditis aliis, nec Monothelitam fuisse *Honorium*, nec tamen sextam errasse Synodum, Honorium Honoriique literas ad Sergium scriptas damnando; ratio est, quia eo tempore quo scriptæ fuere hujusmodi Honorii ad Sergium literæ, nullatenus fidei nocebant, saltem directè, quia causa sub judice pendebat adhuc, nondumque contra Monothelitas definita erat: at tempore sextæ Synodi, hoc est 40. circiter post annos, eædem literæ fidei nocebant etiam directè, quia Honorii hæsitationem & vacillationem in fide notabant; omnis autem hæsitatio vel vacillatio in fide fidei nocet; unde potuere tunc à Synodo hæ damnari literæ, auctorque earum Honorius, quin erraverit & Monothelita fuerit has scribens Honorius, & quin pariter erraverit has Honorii literas, Honoriumque propter literas damnans sexta Synodus.

ARTICULUS V.

An omnes quæ circumferuntur, genuinæ sint & ejusdem roboris antiquæ summorum Pontificum Decretales Epistolæ.

Sciendum est ante omnia hìc dubium non esse de omnibus absolutè omnium Pontificum, sed solùm de veterum Pontificum ad *Siricium* usque decretalibus epistolis, imò nec de istis omnibus & singulis, cùm sint ex iis aliquæ à SS. PP. *Cypriano*, *Athanasio*, *Hilario* & *Hieronymo* relatæ, de quibus dubitat nemo, sed de aliis dumtaxat ex *Isidori Mercatoris* collectione, à cæteris decretalium collectoribus vulgò relatis; istas enim volunt viri eruditi non pauci, non genuinas esse illorum Pontificum quibus tribuuntur Epistolas, sed supposititias, & ab ipso *Isidoro Mercatore* ignoto viro fabricatas: genuinas esse contendunt econtrà alii non minùs eruditi. Inter utrosque mediam ineundo viam, intacta lite,

CONCLUSIO.

Licèt non certò genuinæ vel supposititiæ sint decretales ad *Siricium* usque Epistolæ.

Dico, *etsi non satis constet genuinas esse, vel supposititias antiquas illas veterum Romanorum Pontificum ad Siricium usque, decretales epistolas; satis constare tamen illas esse Theologi veneratione dignas, ubi saltem Canonibus Sacris non contrarias.*

Prob.

Prob. prima pars, nimirum non satis liquidò constare illas genuinas esse vel non, & sic. Non satis liquidò constat, illas genuinas vel supposititias esse, si variæ utrumque hinc & inde suadeant conjecturæ: atqui sic est; ergo, &c.

Prob. minor. Illas supposititias esse colligitur & suadetur ex multis.

1. Ex eo quòd nullus octo priorum sæculorum auctor Ecclesiasticus, illarum mentionem fecerit.

2. Ex eo quòd in his laudetur sæpè Scriptura sacra juxta vulgatam sancti Hieronymi versionem.

3. Ex eo quòd in his, nulla hæreticorum illius temporis fiat impugnatio neque mentio.

4. Ex eo quòd Dionysius Exiguus veterum Pontificum epistolarum collector accuratus, suæ collectionis initium ducat à *Siricii* decretalibus, nulla aliarum *Siricii* prædecessorum mentione facta.

5. Denique, aliis omissis, ex eo quòd ex posteriorum Pontificum, Conciliorum, vel SS. Patrum dictis videantur confutæ.

Illas econtrà genuinas esse suaderi, colligunt alii multi ex multis aliis.

1. Ex eo quòd illas ut genuinas varia agnoverint Concilia, qualia sunt v. g. *Aquisgranense* sub Gregorio IV. habitum, *Coloniense* c. 3. *Moguntinum* c. 11. *Metense* c. 5. *Rhemense* contra Arnulphum Archipræsulem congregatum, & istis omnibus antiquius Concilium *Romanum* 70. Episcoporum, sub *Gelasio* habitum anno 494. in quo expressè dictum: *Item decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma-na, pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas esse decernimus.*

2. Ex eo quòd eas ut genuinas admittant non soli Canonum collectores eruditi, inter quos *Anselmus Lucensis* Episcopus, *Burchardus Vvormatiensis*, *Yvo Carnotensis*, & *Gratianus*; nec soli juris Canonici Doctores, sed etiam Theologi communiter omnes, ipseque S. Thomas, his persæpè ut genuinis utuntur epistolis ad catholica firmanda dogmata.

3. Ex eo quòd nedum *Gelasius*, sed etiam *Leo Magnus*, & *Nicolaus I.* summi Pontifices, eas ut genuinas recipi jusserint; Leo quidem Magnus, dum epist. 1. ad universos Episcopos per provincias universas constitutos dixit: *Omnia decretalia constituta omnium prædecessorum nostrorum ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Nicolaus verò I. Leonis mandatum confirmando in ep. 47. ad Galliæ Episcopos data, qua urget eos ad præfatas Romanorum Pontificum decretales accipiendas, *etiam si non sint Codici Canonum compaginatæ; quoniam inter ipsos Canones, unum B. Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari;* illas siquidem Romanorum Pontificum decretales, Gallorum aliqui recipiendas negabant, quia Canonum codici non insertas.

4. Quia colligitur supposititias non fuisse reputatas à Galliæ Episcopis; nam si eas supposititias existimassent Galliæ Præsules, id sine dubio respondissent, à quo urgebantur, *Nicolao I.* Atqui id nullatenus responderunt, sed solùm eas vim Canonum habere negarunt, quia Canonum codici insertæ non erant; ergo.

5. Denique quia ut genuinas à Gallis fuisse habitas colligitur ex utroque eas laudante *Hincmaro*, Rhemensi videlicet & Laudunensi, avunculo & ne-

& nepote; eas enim pro sua causa laudat Laudunensis nepos in Rhemensem avunculum, & eas Opusc. 55. cap. 25. *venerabiliter suscipiendas* fatetur Rhemensis avunculus.

Ex his ergo hinc & inde pro utraque parte certantibus conjecturis patet, non satis liquidò constare, an genuinæ sint vel supposititiæ præfatæ veterum Pontificum ad *Siricium* usque, decretales epistolæ; satis tamen constare, eas Theologi veneratione dignas & non spernendas esse, saltem ubi Canonibus antiquis minimè contrarias; ut sic

Theologi tamen veneratione dignæ ubi non sacris Canonibus contrariæ.

Prob. 2. pars. Quia illæ epistolæ à quibuscumque sint auctoribus ortæ, sunt veneratione dignæ, quæ sunt in Ecclesia usu receptæ, quæ sunt ab Apostolica Sede approbatæ, quæ dogmatum veritatem & disciplinæ rationem continent, quæque etiam ab his, qui eas genuinas esse negant, sunt cum veneratione receptæ: atqui præfatæ decretales epistolæ sunt hujusmodi, etiam ex consensu illorum qui eas genuinas esse negant, & supposititias esse volunt; constatque Gallos eas cum veneratione recepisse, & solùm negasse Nicolao I. eas parem cum canonibus habere vim, utpote quia Canonum non insertas codici; ergo satis constat eas esse veneratione dignas, & à Theologo quocumque laudari posse, nisi fortè cum antiquis Canonibus fuerint pugnare visæ, aut Gallicanæ Ecclesiæ juribus obesse.

Objicies. Si genuinæ non sint, sed falsò adscriptæ summis Pontificibus, nulla sunt veneratione dignæ; ergo si non constet illas esse genuinas, non constat illas esse veneratione dignas. Resp. dist. ant. Si certò constet eas esse falsò adscriptas, & aliunde non sint ab Ecclesia receptæ, conc. Si non certò constet eas esse falsò adscriptas, & aliunde sint ab Ecclesia receptæ, ut istæ, neg. ant. & conseq. quia nec certò constat de istis, an sint falsò adscriptæ, & aliunde eas in Ecclesia usu receptas & approbatas esse constat.

ARTICULUS VI.

An Constitutiones Apostolicæ vulgò dictæ, & octo libris sub Clementis nomine vulgatæ, sint genuini vel Apostolorum, vel B. Clementis fœtus.

Controversia est inter eruditos, an Constitutiones istæ præfatæ sint Apostolorum genuini vel supposititii fœtus, vel saltem *S. Clementis* Romani Pontificis hujus nominis primi. Genuinos illorum esse fœtus asserunt nonnulli, apocryphos & supposititios esse, absolutè contendunt alii, cum quibus

CONCLUSIO.

Dico, *Valdè incredibile esse Constitutiones Apostolicas vulgò dictas, & octo libris sub Clementis nomine vulgatas, genuina esse sive Apostolorum, sive præfati S. Clementis opera; ut sic*

Constitutiones Apostolicas, vulgò dictas, Apostolorum esse,

Prob. prima pars. 1. Quia incredibile est & non probabile, constitutiones illas Apostolicas esse, quæ varios continent errores Apostolorum doctrinæ contrarios: atqui istæ præfatæ Constitutiones sunt hujusmodi; ergo verè Apostolicas esse incredibile est & non probabile. Prob. minor. 1. Constitutio-

stitutiones istæ Apostolicæ vulgò dictæ errant, dum lib. 6. cap. 25. docent *hæreticos esse illos, qui suspicantur Jesum Deum esse super omnia*. 2. Dum lib. 6. cap. 15. *baptismum ab hæreticis collatum iterari jubent*. 3. Dum lib. 8. cap. 33. *Sabbatum eadem solemnitate qua diem Dominicam celebrari contendunt*. 4. Dum lib. eodem 8. cap. 37. *Patrem vocant dominum Spiritus Sancti*; quæ omnia doctrinæ Apostolorum omninò contraria; ergo, &c.

2. Quia non est credibile has Constitutiones ab Apostolis conditas esse, quæ dies festos ipsis Apostolis statuunt: atqui istæ præfatæ Constitutiones Apostolicæ dictæ dies festos Apostolis sacros statuunt lib. 8. cap. 33. ergo, &c.

3. Quia non est credibile illas Constitutiones esse verè Apostolicas, quæ præcipiunt, alios inter libros in Ecclesia legi Euangelium sancti Joannis Euangelistæ, quod non conscripsit Joannes, nisi post suum ex insula Patmos reditum, & cæteris jam martyrium passis Apostolis: atqui hæ Constitutiones præfatæ lib. 2. cap. 57. Euangelium sancti Joannis in Ecclesia alios inter libros legi præcipiunt; ergo non est credibile eas ab Apostolis conditas fuisse, nec proinde verè Apostolicas esse.

4. Quia si verè Apostolicæ essent, & prioribus Ecclesiæ sæculis notæ Constitutiones illæ, *S. Justinus* non dixisset in suo cum *Tryphone* dialogo, Sabbati celebrationem esse Christi passione extinctam, cùm Sabbata celebranda esse doceant Constitutiones illæ. *S. Irenæus* adversùs omnes scribens hæreses, & ad eas debellandas, genuinam S. Clementis ad Corinthios epistolam sæpè citans, citasset haud dubiè & istas Constitutiones. *S. Cyprianus* pariter laudasset eas, ad suam contra *Stephanum* tuendam de iterando hæreticorum baptismo causam, cùm illæ hæreticorum baptisma iterandum esse doceant: atqui *S. Justinus* Sabbati celebrationem Christi passione extinctam esse docuit; *S. Irenæus* his non est usus Constitutionibus ad varias refellendas hæreses; nec *S. Cyprianus* ad suam tuendam de iterando baptismo causam; nec alii eorumdem priorum sæculorum SS. Patres iis ullibi reperiuntur usi Constitutionibus; ergo eas Apostolicas esse non est credibile, imò neque Clementinas sive à S. Clemente Romano Pontifice conditas; ut sic

Prob. secunda pars primò iisdem ferè rationibus quibus pars prima probata manet. Vel sancti Clementis est incredibile.

2. Quia non est valdè credibile omissas fuisse Constitutiones istas ab *Eusebio* & à *S. Hieronymo* scripta S. Clementis recensentibus omnia, si genuinæ S. Clementis essent Constitutiones istæ: atqui omissæ sunt ab utroque, cùm uterque solam Clementis recenseat ad Corinthios epistolam; ergo non est credibile illas esse Clementinas, sicut nec verè Apostolicas; ergo, &c.

Objicies 1. *S. Epiphanius* multis in locis has laudat ut Apostolicas contra hæreticos, præsertim hæresi 70. contra Audæanos, dicens: *Audæani ad institutum suum quamdam ex Apostolorum Constitutione auctoritatem accommodant; qui liber, tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non est tamen improbandus; nam in eo quæ ad disciplinam Ecclesiæ attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide ac Catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi ac decretis contrarium continet*; ergo ut verè Apostolicæ dicendæ. Resp. neg. ant. 1. Quia hæ quas laudat *Epiphanius* Constitutiones, sunt ab istis de quibus est quæstio diversæ; cùm illæ, ut ipsemet

met testatur, *nihil in fide, aut Catholica professione contineant depravatum*, nihil Ecclesiæ administrationi, ac *decretis* adversum: istæ verò de quibus est quæstio, varios fidei & Ecclesiæ decretis oppositos contineant errores, ut visum est. 2. Quia etiam & illas quas *Epiphanius* laudat, non eas ut indubitatos Apostolorum fœtus citat, sed ut dubiæ apud multos fidei; ergo inde nulla contra nos certa conclusio.

Objicies 2. *S. Cyrillus* Jerosolymitanus historiam Phœnicis narrans, eam tribuit *S. Clementi* Romano; ergo censet Clementem Apostolicarum Constitutionum, ex quibus hanc enarrat historiam, auctorem esse. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia non in solis Constitutionibus præfatis invenitur hæc historia, sed etiam in S. Clementis ad Corinthios Epistola legitur, ex qua illam haurire potuit *S. Cyrillus*; unde conclusio nulla.

Objicies 3. *Trullani* Concilii Patres, Canone 2. has præfatas Constitutiones agnoscunt ut Apostolicas, sed eas reprobant & legi vetant, quia ab hæreticis vitiatas; ergo verè Apostolicæ sunt, sed vitiatæ.

Resp. perm. ant. neg. conseq. quia etsi apud veteres Græcos in pretio fuerint olim habitæ Constitutiones illæ, nullius tamen sunt nominis in Ecclesia Latina: essent autem alicujus nominis, si verè reputarentur Apostolicæ; nec omninò rejicerentur, licèt per hæreticos vitiatæ, sed ex veris emendarentur codicibus; non enim esset credibile, omnes omninò per orbem dispersos codices ab hæreticis fuisse corruptos. Resp. 2. ideò has à Trullani Concilii Patribus recipi Constitutiones, quia 85. Apostolorum Canones recipiunt Græci, quorum ultimo jubentur recipi Constitutiones istæ; verùm quia hos saltem omnes non agnoscit Ecclesia Latina Canones, ita nec Constitutiones istas agnoscit ut Apostolicas. Quod ut magis elucescat, sit

---

ARTICULUS VII.

An Canones Apostolorum nomine vulgati, sint verè Apostolici.

QUamvis in Ecclesia Græca sexti sub initio sæculi 85. Canones Apostolorum nomine vulgati fuerint, ut verè Apostolici recepti; & ex illis in Ecclesia Latina 50. dumtaxat priores, aliis rejectis, eodem tempore auctoritatem habere cœperint aliquam, & recipi, eosque ut genuinos Apostolorum fœtus, & à *B. Clemente* collectos agnoverint Latini Scriptores non pauci, ut Baronius, Bellarminus, Turrianus, Possevinus, & alii; existimant tamen hodie eruditi ferè omnes cum *Gelasio* Rom. Pont. hos omnes tam priores 50. quàm posteriores 35. utilia continentes multa, apocryphos esse ac supposititios Apostolorum Canones; nec proinde à *B. Clemente* collectos. Hæc inter dubia,

CONCLUSIO.

Dico, *multò probabilius esse supposititios esse & non genuinos Canones, Apostolorum nomine vulgatos*, & sic

Prob.

Pr. 1. Quia valdè probabile est, quòd si verè Apostolici essent Canones illi, *Eusebius Cæsariensis*, & *Hieronymus*, qui omnia Apostolorum recensent opera, non siluissent illos: atqui silent penitùs illos, illorum nulla mentione facta; ergo valdè probabile est, eos non genuinos, sed suppositicios esse Apostolorum Canones.

Probabilius est suppositicios esse & non genuinos Canones Apostolorum vulgò dictos.

2. Quia valdè probabile est, imò & plusquam probabile, hos Canones non esse verè Apostolicos, quos *Gelasius* in Concilio Romano 70. Episcoporum, apocryphos esse judicat: arqui Gelasius Papa hoc in præfato Concilio hujusmodi Canones Apostolorum vulgò dictos apocryphos judicat, dum tres Librorum ordines distinguit, quorum primus continet sacros novi & veteris Testamenti Libros: Secundus non sacros, nec Canonicos, sed probatos ab Ecclesia Libros, ut acta Conciliorum & opera SS. PP. Tertius verò Libros ab Ecclesia rejectos & non probatos, & in isto recenset præfatos Canones Apostolorum nomine vulgatos; ergo valdè probabile, imò plusquam probabile est, hos non verè Apostolicos esse, sed suppositicios Apostolorum Canones.

3. Quia si verè Apostolici essent Canones isti, & à temporibus Apostolicis cogniti, fuissent ab aliquo priorum sæculorum S. Patre vel Scriptore sacro, præsertim data occasione memorati: atqui à nullo inveniuntur memorati, neque etiam occasione data citati; ergo, &c. Pr. min. Si quis citasset eos sibi occasione data, maximè *S. Cyprianus* contra *Stephanum*, pro tuenda sua de iterando hæreticorum Baptismo causa; citasset siquidem contra Stephanum Canonem 46. expresse dicentem: *Episcopum, aut Presbyterum hæreticorum suscipientem Baptisma damnari præcipimus. Sanctus Epiphanius* pariter hæresi 58. *Valesiorum* seipsos abscindentium sive castrantium impugnans hæresim, citasset sine dubio Canones 21. 22. & 23. id expresse prohibentes, dicendo: *Si quis Clericus se abscindat, deponatur; si Laicus, segregetur, quia est sui homicida, & Dei creationi inimicus.* Eos pariter sine dubio citasset *Victor* Pontifex Summus in controversia de Paschate celebrando contra Asiaticos, cùm Canon 7. vetet Pascha cum Judæis celebrare: atqui *Cyprianus*, *Epiphanius*, & *Victor* Pontifex Romanus, Canones istos nullibi unquam etiam occasione data, pro sua causa citarunt, nec illorum usquam meminerunt; ergo valdè probabile est, & plusquam probabile, hos verè Apostolicos non esse, nec à *B. Clemente* collectos.

4. Quia si verè Apostolorum essent Canones isti, non dixisset *S. Ambrosius* de Sabbati jejunio: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato; cùm hìc sum*, id est Mediolani, *non jejuno.* Non dixisset *Innocentius I.* epist. 1. ad *Decentium* Eugubinum Episcopum data: *Sabbato jejunandum evidentissima ratio demonstrat*; non dixisset S. Hieronymus epist. 28. ad *Licinium*, liberum esse cuique Sabbati jejunium, ut re ipsa indicavit, dicens: *Unaquæque Provincia abundet in suo sensu*; non denique sanctus Augustinus de eodem Sabbati jejunio loquens, dixisset: *Video præceptum esse jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non video definitum*: cùm tamen Canones isti Apostolici vulgò dicti, Canone 65. expresse dicant: *Si quis Clericus inventus fuerit die Dominico jejunare, vel Sabbato, præterquam uno solo, deponatur; sin autem Laicus, segregetur*; ergo cùm hoc dicant hi SS. PP. probabile est præfatos Canones genuinos non esse, sed suppositicios Apostolorum fœtus.

5. Deni-

5. Denique si verè Apostolici essent Canones, Apostolorum nomine vulgati, valdè probabile est quòd *S. Isidorus* Hispalensis eos non rejecisset ut apocryphos, dicens: *Canones qui dicuntur Apostolorum, nec Sedes Apostolica recepit, nec SS. PP. illis assensum præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis, sub nomine Apostolorum, compositi dignoscuntur; & quamvis in eis utilia inveniantur, tamen auctoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha reputata*: ergo valdè probabile est, imò plusquam probabile non verè Apostolicos esse Canones illos, etsi Apostolorum nomine vulgatos.

Nec genuinos esse probatur ex Conc. Nicæno. Objicies 1. Concilium Nicænum I. Can. 5. & Concilium Antiochenum Can. 2. dum vetant excommunicatum ab una Ecclesia recipi ab altera, dicunt hoc esse juxta Ecclesiæ regulas; ergo Apostolorum Canones agnoscunt ut verè genuinos, cùm per Ecclesiæ regulas intelligant ibi Apostolorum Canones, v. g. Canonem duodecimum Apostolorum id expressè prohibentem. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia dici non potest, quòd ibi nomine Regularum Ecclesiæ, intelligant hujus Concilii Patres Canones Apostolorum; non solùm quia nulli erant, saltem genuini, sed quia si eos intellexissent, sine dubio nominassent ad majus suæ prohibitionis pondus; intellexere autem nomine Regularum Ecclesiæ, publicos Ecclesiæ usus seu consuetudines jam inductas; consuetudo autem vim legis habet, ac proinde vim regulæ.

Instabis. Idem Concilium Nicænum Can. 12. translationes de una Ecclesia ad aliam prohibens, expressè addit, hoc esse *præter Canonem*: atqui ibi nomine Canonis, non alium intelligit quàm Canonem 15. Apostolorum, quo hæ prohibentur translationes: ergo nomine Regularum Ecclesiæ, Apostolorum Canones intellexit Concilium. Resp. conc. maj. neg. min. quia ut potuerit à Concilio dici, hoc esse *præter Canonem* seu Regulam, satis est quòd fuerit contra illius temporis Ecclesiæ usum: cùm publicus Ecclesiæ usus legitimè introductus, fit consuetudo, & consuetudo fit regula sive lex non scripta.

Vel ex Antiocheno. Urgebis. Concilium Antiochenum Nicæno posterius Can. 21. idem vetans, ait expressè id non esse *secundùm decretum priùs ea de re editum*; ergo expressè indicat Canonem 15. Apostolorum priùs ea de re editum, & non solùm publicum illius temporis Ecclesiarum usum. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia Concilium istud Antiochenum Nicæno posterius potuit per decretum *ea de re editum*, intelligere Canonem hac de re jam à Nicæni Concilii Patribus editum.

Vel ex Constantinopolitano. Objicies 2. In Concilio Constantinopolitano sub *Nectario* habito, definitur Episcopum accusatum, è gradu suo dejici non posse à duobus Episcopis, sed ad hoc requiri Episcoporum totius Provinciæ Synodum, *ut Apostolici constituerunt Canones*; ergo noti, & pro genuinis habiti erant tunc temporis Apostolorum Canones. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia ibi nomine Canonum Apostolicorum intelligunt hujus Concilii Patres, non Canones ab ipsis Apostolis, sed à viris Apostolicis editos, v. g. editos à Nicæni Concilii Patribus, viris verè Apostolicis ferè omnibus, & sanctis, à quibus id Canone 5. definitum. Unde uno verbo ut variis satisfiat difficultatibus aliis, Resp. quòd quoties aliqua illius temporis Concilia, vel SS. Patres, vel Auctores sacri laudant vel memorant Ecclesiæ regulas, leges, decreta, definitiones, vel Canones, illorum omnium nomine non intelligi Canones ab Apostolis verè delapsos, sed solùm leges vel regulas in Ec-

in Ecclesia tunc usu receptas, sive à Synodo aliqua particulari, sive à particularibus Episcopis, virisque aliis quibuscumque Apostolicis editas, vel ad summum leges sive regulas ab Apostolis ipsis non scripto, sed sola traditione profectas. His positis, cùm solus Romanus Pontifex leges sive constitutiones condere possit, quæ Ecclesiam ligent universam, idque solus possit universalis Ecclesiæ Primas, & Petri Successor solus, ideò sit

---

ARTICULUS VIII.

An & quo jure Romanus Pontifex sit totius Ecclesiæ Primas, sive Primatum supra cæteros Episcopos habeat.

Cum Romano Pontifici supra cæteros Episcopos primatus non aliunde competat, quàm quia Successor est sancti Petri, primi in terris Christi Vicarii, cui primùm fuit à Christo concessus ille supra Ecclesiam & supra cæteros Apostolos primatus, non ut in Petro & cum Petro desineret, sed ut à Petro ad Petri Successores transiret, sicque successione perpetua, quamdiu duraret Ecclesia, ad finem usque mundi duraret; ideò Romanæ Sedis hostes hæretici *Vvicleffus*, *Lutherus*, *Calvinus*, *Magdeburgenses* & alii, ut nullum Romano Pontifici supra cæteros Episcopos primatum competere suadeant, nullum talem soli Petro supra cæteros Episcopos primatum, sed omnibus simul Apostolis supra Ecclesiam à Christo fuisse collatum asserunt; & si quem inter Apostolos primatum dicatur habuisse Petrus, non jurisdictionis & auctoritatis, sed ordinis fuisse volunt, ratione cujus primus fuerit inter æquales; unde Romanum Pontificem Petri Successorem, nullum pariter jure divino supra cæteros Episcopos habere primatum inferunt; obtinuisse tamen postea jure Ecclesiastico sive Conciliorum decretis, primatum quemdam supra Episcopos alios, ratione cujus primus esset, primus sederet, primusque sententiam diceret, non tamen cæteris imperaret. Contra quos, & alios quoscumque

CONCLUSIO.

Dico, ***Petrum inter Apostolos, & Romanum Pontificem inter Episcopos jure divino tenere primatum, seu Petrum jure divino fuisse post Christi in Cælos ascensum, visibile Ecclesiæ caput, Principem ac Primatem, & eodem jure post Petri discessum ad nostra usque tempora, successorem ejus Romanum Episcopum***, & sic

Pr. prima pars. Primò, ex duplici, eoque celebri Scripturæ textu, in quorum uno Christus soli Petro promittit, & in altero reipsa confert Ecclesiæ claves, hoc est, Primatum, sive supremam in Ecclesia potestatem per claves designatam. Primum desumitur ex Matth. cap. 16. vers. 17. ubi Christus Petrum alloquens ait: *Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non revelavit tibi ....* Et, *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni Cælorum.* Secundum depromitur ex illo Joan. cap. 21. vers. 15. ubi Christus eumdem alloquens Petrum, ait: *Simon Joannis diligis me plus his? .... Pasce agnos meos*; & iterùm, *Pasce*

Romanum Pontificem jure divino primatum habere probatur.

Pasce oves meas: atqui hæc Christi verba, *Tibi dabo claves*, & ista, *Pasce agnos meos*, *Pasce oves meas*, ad solam Petri personam, & non ad alios Apostolos fuere directa, ut patet ex antecedentibus istis: *Beatus es Simon Barjona, &c. Simon Joannis diligis me plus his?* ergo & primatus Ecclesiæ, seu suprema Ecclesiæ regendæ potestas his verbis designata & collata, fuit soli Petro collata. Pr. minor. Si hæc verba non essent soli Petro directa, maximè quia ibi in priori textu præfato, nomine *Petræ* non intelligitur persona Petri, sed persona Christi, ut *Lutherani* contendunt, & *Calvinistæ*; vel quia nomine *Petræ* intelligitur Ecclesia, in persona Petri repræsentata & figurata, ut placet aliis:

Atqui hoc utrumque falsum est; nam 1. si nomine *Petræ* ibi intelligeret Christus non personam Petri, sed seipsum, quænam esset consequentia, quæ connexio, inter hæc Christi verba, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Quia tunc idem esset, ac si diceret, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, id est, *super me ædificabo Ecclesiam*. 2. Ad quid Christus mutasset nomen Apostoli? anteà enim dicebatur *Simon*, & posteà vocavit eum *Cepham*; *Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur *Petrus*; nisi ut hac nominis mutatione significaret Christus, se Simonem elegisse ut petram, supra quam suam ædificaret Ecclesiam, & ut Caput visibile, à quo post suum in Cœlos ascensum eadem regatur Ecclesia: *Cephas* enim vox Syriaca est, græcè *Petram*, & latinè *Caput* significans. 3. Quia ibi nulla esset expressa remuneratio confessionis Petri de Christo, quod est contra SS. Ecclesiæ Patres; ergo dici nequit ibi nomine *Petræ* seipsum intellexisse Christum. Non etiam dici potest, quòd hoc nomine *Petræ* intelligat Ecclesiam; quia si hoc esset, quando dixit Christus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, idem esset ac si dixisset, Super Ecclesiam ædificabo Ecclesiam: quod esset nugatorium & absurdum; ergo.

Pr. 2. Ex communi SS. PP. consensu, unanimi voce dicentium, *Petrum* esse illam *petram* supra quam fundata est à Christo Ecclesia; Petrum esse illum, cui soli dictum est à Domino: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*. Ergo ille solus à Christo constitutus Princeps, Petra & Caput Ecclesiæ, ille solus Pastor agnorum & ovium, subditorum & Prælatorum; unde sanctus *Eucherius* Lugdunensis Episcopus, in sermone de Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli ait: *Priùs agnos, deinde oves commisit ei, quia non solùm Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit & matres, regit & subditos & Prælatos; omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves, in Ecclesia nihil est*: ergo & Apostolorum fuit Pastor, ac consequenter illorum Princeps, Primas & Caput.

Pr. 3. Ex variis *Petri* prærogativis, ex quibus non seorsim, sed simul sumptis, ejus super alios Apostolos colligitur Primatus; quarum prima est, quòd Christus soli Petro inter Apostolos nomen mutaverit. 2. Quòd quoties in Euangelio recensentur Apostolorum nomina, primo loco semper ponatur Petrus. 3. Quòd Scriptura loquatur de Petro tanquam de Principe, de aliis tanquam de subditis. 4. Quòd soli Petro facta sit prima revelatio Divinitatis Christi. 5. Quòd soli Petro sit à Christo promissa stabilitas Fidei & Cathedræ. 6. Quod soli Petro inter omnes Apostolos primum post resurrectionem apparuerit Christus. 7. Quòd soli Petro absolutè dixerit, *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*. 8. Quòd Petrus sua auctoritate congregaverit alios ad eligendum novum Apostolum, in Judæ proditoris

ditoris locum. 9. Quòd primus promulgaverit Judæis Euangelium, post acceptum Spiritum sanctum. 10. Quòd primum miraculum apud Judæos fecerit, in confirmationem Euangelii. 11. Quòd denique in Apostolorum Concilio, pro Legalium cessatione Jerosolymis habito, primus omnium sententiam dixerit, quam secuti sunt cæteri, etiam Jacobus Jerosolymitanus Episcopus; ergo, &c.

Pr. 4. ratione fundamentali. Si regimen Ecclesiæ non soli Petro, sed omnibus simul Apostolis esset à Christo traditum, regimen Ecclesiæ non esset Monarchicum, sed Aristocraticum: atqui hoc dici non potest; ergo. Probatur minor. Ecclesia in sacris Literis solet communiter designari per ea quæ habent statum Monarchicum; ergo & ipsa statum Monarchicum habere debet; alioquin nulla esset comparatio. Probatur ant. Ecclesia comparatur *regno, exercitui, domui, navi, ovili*, & similibus: atqui hæc omnia habent Monarchicum statum, ut patet; cùm in regno sit Rex unicus, in exercitu Dux primarius sive Præfectus unicus, in domo Pater-familias unus, in navi gubernator unus, & in ovili Pastor unus; ergo & Ecclesia, quæ per ea designatur, statum Monarchicum habere debet; ergo & supremum Pastorem habere unicum; ergo Christus suæ Ecclesiæ Pastorem instituens supremum, unicum & non plures instituit, ac proinde non omnibus simul, sed soli Petro Primatum, sive supremi Pastoris auctoritatem contulit, dicens: *Pasce oves meas*; ergo & illi soli, & *Ioan. c. 21. v. 17.* non omnibus simul eumdem promiserat Primatum, dicens: *Tibi dabo claves regni Cælorum*; ac proinde à Christo, seu ex Christi institutione, & jure divino Primatum inter Apostolos habuit Petrus; ergo & eodem jure inter Episcopos Romanus Pontifex; ut sic

Pr. 2. pars. Primò, Christus tradens Petro auctoritatem & formam regendi Ecclesiam, tradidit illam ut perpetuò duraturam, seu ut tamdiu duraret, quamdiu duraret Ecclesia; ergo & ut duraret non in solo Petro, sed & in Petri successore: atqui ex perpetua traditione, & perenni Ecclesiæ doctrina Romanus Pontifex canonicè electus, est S. Petri successor legitimus. Unde meritò S. Augustinus in Epist. 162. dixit, *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*. Unde & S. Hieronymus Epist. 67. quæ est ad *Damasum* Romanum Pontificem data, ait: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior*; unde & longè pòst S. Bernardus lib. 2. de Consideratione ad *Eugenium* Romanum Pontificem, hujus nominis tertium, cap. 8. ait: *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus..... nec modò ovium, sed & Pastorum omnium tu unus Pastor..... Alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es*. Unde & Chalcedonensis Concilii Patres, *S. Leonis* Romani Pontificis Epistolam approbantes, unanimi voce conclamant: *Petrus per Leonem locutus est*. Unde denique Florentinæ Synodi Patres id definiendo, sic ajunt: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*. Quo nihil expressius ad no-

ad nostram firmandam thesim dici potest; ergo eodem jure divino quo fuit in Petro, hoc est, ex institutione Christi, durat adhuc in Romano Pontifice Ecclesiæ Primatus, seu suprema illa Ecclesiam universam regendi potestas; idque de fide certum, cùm sit à Concilio definitum œcumenico.

Pr. 2. & confirmatur. Forma regiminis Ecclesiæ non est mutata, nec mutabitur usque ad finem mundi; ergo est adhuc eadem post Christi in Cœlos ascensum, ac erat antè: sed antè talis erat hæc regiminis forma, ut regeretur Ecclesia per unum visibile Caput, scilicet per Christum; ergo & post Christi in Cœlos ascensum regitur per alterum visibile Caput loco Christi: atqui illud Caput visibile non potest esse aliud quàm Petrus, cui Christus ait: *Tu vocaberis Cephas* Syriacè nempe, Græcè *Petra*, & Latinè *Caput*, & addidit: *Pasce oves meas*, id est, esto Præpositus, Pastor & Caput Ecclesiæ loco mei; ergo Petrus fuit visibile Caput regens Ecclesiam: & cùm forma regiminis non sit mutata, nec ad finem usque mundi mutanda, post Petri discessum debuit in ea aliud remanere visibile Caput Petro succedens, à quo regeretur Ecclesia: sed nullum aliud dici potest tale post Petrum visibile Caput, quàm Romanus Pontifex, legitimus Petri Successor ex communi SS. PP. & Ecclesiæ consensu; ergo ille solus, & eodem jure quo Petrus, est visibile Ecclesiæ Caput.

Responsetur contradicentibus Adversariis.

Objicies 1. in primam partem. Quando dicitur à Christo, Matth. 16. vers. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ibi per *Petram* non intelligitur Petrus, sed Christus qui petra est, juxta illud Pauli 1. ad Cor. cap. 10. vers. 4. dicentis: *Petra autem erat Christus*; ergo ex illo textu probari nequit Petri primatus. Resp. neg. ant. quia etsi in citato Pauli loco per *Petram* intelligatur Christus, non sequitur quòd ubique per *petram* intelligat Scriptura Christum; proprium enim est metaphorici nominis, ut non semper in eodem usurpetur sensu, sed in diverso, juxta diversos respectus & relationes; sic nomen *Petræ* sumitur ibi à Christo & Paulo in diverso sensu, & prout relationem dicit ad diversa; nam sumitur à Paulo, dum ait, *Petra autem erat Christus*, prout dicit relationem ad aquas è rupe scaturientes, ut patet ex contextu sic dicente: *Bibebant de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus*; & per hoc intendit significare Paulus, Christum fuisse omnium gratiarum fontem, quas justi omnes etiam veteris Testamenti perceperunt, qui non nisi per fidem in Christum venturum salutem consecuti sunt. Quando autem Matth. 16. vers. 18. nomen illud *Petra* adhibetur à Christo, sumitur prout dicit relationem fundamenti ad ædificium, & applicatur ibi non Christo, sed Petro, ad significandum Petrum esse fundamentum supra quod Christus suam ædificavit Ecclesiam.

Instabis ex Apostolo 1. ad Cor. cap. 3. vers. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*; ergo Petrus non potest dici fundamentum Ecclesiæ, sed Christus. Resp. dist. ant. non potest esse aliud fundamentum præcipuum & primarium, in quo fundetur Ecclesia, conc. Secundarium & ministeriale, quodque sit Primarii Vicarium, neg. ant. & conseq. quia dum asseritur Petrum Ecclesiæ fundamentum esse, hoc de secundario & ministeriali fundamento intelligitur, quodque non excludit, sed supponit primarium & principale, scilicet Christum.

Objicies 2. Plures SS. Patres, ut *Hilarius*, *Chrysost.* & *Gregorius Nyssenus* interpretantes hæc Christi verba, *Super hanc petram, &c.* dicunt nomine *petræ* intelligi *fidem & confessionem* Petri; ergo ex iis non potest colligi

Petri

Petri Primatus. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia Catholicè utrumque dici potest, Ecclesiam nempè fundatam esse supra *Petrum*, & supra fidem seu confessionem Petri causaliter, quia nimirum confessio illa Petri fuit causa meritoria, propter quam obtinuit S. Petrus ut fundamentum esset Ecclesiæ; unde sic facilè conciliantur SS. PP. dicendo videlicet quòd quando dicunt Ecclesiam fundari supra Petrum, denotant subjectum in quo recipitur talis dignitas fundamenti, sive capitis Ecclesiæ; quando verò dicunt fundari supra fidem Petri, denotant causam meritoriam, ob quam illam à Christo consecutus est dignitatem Petrus: sicut quando S. Hieron. in Epist. 61. quæ est ad Pammachium, ait: *Super aquas Petri corpus non ambulasse, sed fidem*, idem significat ac si diceret, Petrum non sui corporis agilitate, sed fidei suæ virtute super aquas ambulare meruisse.

Objicies 3. Christus suam Ecclesiam cæteris Apostolis aliis æquè commendavit ac Petro; omnibus enim dixit Joan. cap. 20. vers. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos..... Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Omnibus pariter dixit, *Euntes docete omnes Gentes*; ergo nihil potestatis supra Ecclesiam accepit à Christo Petrus, quod non acceperint & cæteri. Resp. 1. neg. ant. quia non omnibus, sed soli Petro dixit, *Pasce oves meas*. Vel Resp. 2. dist. ant. antequam diceret Petro, *Pasce oves meas*, conc. ant. quando dixit, vel postquam dixit Petro, *Pasce oves meas*; nego ant. Ratio est, quia tunc accepit Petrus Primatum à Christo dicente, *Pasce oves meas*, quem cùm non acceperint alii, ideò licèt anteà fuerint Petro æquales, non tamen post collatum Petro Primatum à Christo dicente, *Pasce oves meas*: & in hoc sensu intelligendus *S. Cyprianus* in tractatu de simplicitate Prælatorum, seu de unitate Ecclesiæ dicens: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædit & honoris & potestatis*, hoc est, æquales erant Apostoli, antequam Petro diceretur, *Pasce oves meas*, quia omnes æqualem honorem & potestatem Apostolatus habebant.

Instabis ex S. Aug. tractatu 5. in Joan. *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur; & quæ solvuntur in terra, solvantur in Cœlo..... Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit*; ergo ex S. Aug. non soli Petro, sed toti Ecclesiæ, seu omnibus conjunctim Apostolis fuere claves à Christo datæ; seu claves non unus homo, sed unitas accepit Ecclesiæ. Resp. neg. conseq. ratio est, quia ex iis S. August. verbis colligi tantùm potest, sensum S. Augustini esse, quòd solus Petrus, non ut persona privata, sed Petrus ut repræsentans unitatem Ecclesiæ, tanquam Caput ejus, supremusque Pastor à Christo constitutus claves accepit, seu quòd Petrus nomine Ecclesiæ, non ut delegatus, sed ut supremus ejus post Christum Princeps, Pastor & Rector, claves accepit. Hunc esse S. Augustini sensum patet ex ipsomet Augustino dicente: *Solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam, & propter ipsam personam quam totius Ecclesiæ gestabat, meruit audire; Tibi dabo claves regni Cœlorum.*

Objicies 4. ex S. Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum: *Super Petrum fundatur Ecclesia; licèt id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Cœlorum accipiant, & ex quo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*; ergo ex S. Hieron. non solus Petrus, sed & cuncti Ecclesiæ claves acceperunt Apostoli. Resp. perm. ant. dist. conseq. cuncti

accepere diverso modo quo Petrus, conc. Eodem modo, neg. conseq. Ratio est, 1. quia Petrus eas accepit ut ordinarius Ecclesiæ Pastor, cæteri ut extraordinarii, per accidens & ex necessitate; unde est quòd auctoritas illa per claves designata, quæ fuit Petro collata, transiit ad Petri successorem Romanum Pontificem, quia ordinaria erat; quæ verò fuit cæteris collata Apostolis, non transiit econtrà ad Apostolorum successores Episcopos, quia ordinaria non erat, sed delegata & extraordinaria, illisque per accidens ob necessitatem tanquam delegatis & extraordinariis Ecclesiæ Pastoribus concessa, utque hæreret in ipsis, & non transiret ad successores Episcopos. 2. Quia cæteri eam accepere cum dependentia, & subordinatione ad Petrum; Petrus verò sine dependentia, & subordinatione ad ipsos: idque satis colligitur ex eo quòd soli Petro dictum sit, *Pasce agnos meos*, *Pasce oves meas*; id est, esto Rector supremus Ecclesiæ meæ, seu Pastor agnorum & ovium mearum; ergo & Apostolorum aliorum, qui verè erant primi Ecclesiæ Christi fideles; ergo & agni vel oves erant, cùm præter agnos & oves in Ecclesia nihil sit; ergo cum dependentia & subordinatione ad Petrum, cæteros Apostolos Ecclesiæ clavibus uti voluit Christus.

Instabis. Cæteri Apostoli æquè ac Petrus dicuntur Ecclesiæ fundamenta, juxta illud Apocalypsis cap. 21. vers. 14. *Et murus civitatis*, per quam intelligitur Ecclesia, *habens fundamenta duodecim*, *& in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*; ergo æquales omninò fuere cum Petro cæteri Apostoli, ac proinde æquè independentes ab illo, ac ille ab ipsis. Resp. perm. ant. neg. conseq. Ratio est, quia ideò dicuntur Ecclesiæ fundamenta cæteri Apostoli, æquè ac Petrus, 1. Quia ipsi Ecclesias fundarunt quamplurimas: non enim totum terrarum orbem ad fidem convertit *Petrus*, sed alias regiones *Jacobus*, alias *Petrus*, alias *Paulus*, alias alii. 2. Ratione gubernationis Ecclesiæ, quia omnes re ipsa fuere universalis Ecclesiæ Rectores æquè ac Petrus, sed diverso jure; ille nempè jure ordinario, isti extraordinario; ille sine dependentia ad ipsos, isti cum dependentia & subordinatione ad illum.

Objicies 5. tam in primam, quàm in secundam partem. Ex Apostolo 1. ad Cor. cap. 12. Christus & Ecclesia unum constituunt corpus mysticum, ex capite & membris integrum; ergo omnes fideles Ecclesiæ præter Christum sunt membra Ecclesiæ, ac proinde nullus præter Christum, sive Petrus, sive Romanus Pontifex, sive alius quicumque fidelis potest esse Ecclesiæ caput. Resp. perm. ant. dist. conseq. Nullus præter Christum potest esse Ecclesiæ caput, quoad internum influxum, conc. Quoad externum regimen, subdist. Caput primarium Ecclesiæ, conc. Secundarium & subordinatum, neg. conseq. Ratio & explicatio distinctionis est, quia caput Ecclesiæ potest considerari, vel quatenus est caput per internum influxum in singula membra, vel quatenus est caput Ecclesiæ per externum regimen. Si primo modo consideretur, solus Christus est caput Ecclesiæ, quia ille solus in omnia membra influit gratiarum dona, illeque solus gratiam capitalem habet, de qua nos accepimus omnes; si verò spectetur caput quoad externum Ecclesiæ regimen, præter Christum potest esse aliud, estque reipsa aliud, non primarium quidem & propria virtute influens, sed secundarium tantùm, & primarii virtute agens ac influens, quale fuit post Christum Petrus, quale est post Petri discessum, Petri successor Romanus Pontifex. Nec mirum videri debet quòd

duo

duo sic subordinatâ capita, unum primarium & secundarium alterum, habeat Ecclesia, cùm id idem videri constet in regno eodem habente Regem & Proregem, & utrumque ut caput in regimine externo, sed primarium unum, secundarium ac subordinatum alterum.

Objicies 6. Cæteri Apostoli se *Petro* æquales censebant, nec illum ut superiorem sive Primatem agnoscebant, juxta illud Luc. cap. 22. vers. 24. ***Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major***; ergo æquales Petro erant cæteri Apostoli. Resp. dist. ant. ante Spiritus Sancti super illos descensum, & priusquam esset Petro dictum, ***Pasce oves meas***, conc. ant. Post Spiritus Sancti super illos descensum, & post à Christo Petro dictum, ***Pasce oves meas***, neg. ant. & sub ead. dist. conseq. quia dum asseritur à nobis primatum inter Apostolos habuisse Petrum, intelligitur de Petro considerato post hæc sacra Domini verba, ***Pasce oves meas***, ad illum unicum à Christo directa.

Objicies 7. in secundam partem. Romanus Pontifex non est Episcopus Episcoporum, juxta illud sancti Cypriani, in Epistola ad *Quintum* dicentis: *Nemo nostrùm se Episcoporum Episcopum constituit*; ergo Rom. Pont. primatum supra Episcopos alios non habet. Resp. neg. ant. & probationem ejus ex verbis ***S. Cypriani*** deductam. Ratio est, 1. quia ibi ***S. Cyprianus*** non de omnibus absolutè loquitur Episcopis, sed de Africanis tantùm in Carthaginensi Concilio congregatis, ubi agitabatur celebris de rebaptizandis hæreticis quæstio. 2. Quia si hæc in Romanum Pontificem sint prolata ***Cypriani*** verba, hæc non probantur ab Ecclesia, quia non sunt Christi, sed ***Cypriani***, id est, hominis in ***Stephanum*** Romanum Pontificem tantisper irati.

Instabis. Romanus Pontifex non potest judicare Episcopos, ut constat ex eodem *S. Cypriano* ibidem dicente: ***Sed expectamus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.*** Ergo ex S. Cypriano non est Episcopus Episcoporum, nec proinde Primas eorum. Resp. dist. ant. explicando Cypriani sensum: Romanus Pontifex non alios judicare potest Episcopos, sed solus Deus, de occultis vel dubiis; conc. De rebus exploratis & manifestis, neg. ant. & conseq. nec quid aliud intendit S. Cyprianus, quem minimè latebat Episcopos nedum à Romano Pontifice, sed etiam à Comprovincialibus in Concilio congregatis Episcopis judicari posse de benè vel malè gestis circa suarum regimen Ecclesiarum.

Objicies 8. ex S. Cypriano, ***Episcopatus unus est, cujus pars à singulis in solidum tenetur***; ergo Romano Episcopo cæteri æquales sunt Episcopi. Resp. perm. ant. neg. conseq. quia dum sanctus Cyprianus ait, quòd ***Episcopatus sit unus***, non sic intelligendus, ut velit significare quòd sit unus numero participatus à singulis; sed solùm, inquit ***Glossa***, quòd ordo Episcopalis sit unus specie, qui deinde numero est divisus in singulis Episcopis, à quibus ut veris titularibus & solidariis, & non ut à Vicariis ad nutum mobilibus tenetur; ita ut quilibet Episcopus Episcopatum unum habeat, qui est pars subjectiva Episcopatus in communi & in specie considerati; quod non impedit quominùs Romanus Episcopus primatum habeat super alios, cùm suum Episcopatum non habeant cæteri, nisi cum dependentia & subordinatione ad ipsum.

ARTICULUS IX.

An Romanus Pontifex universalis dici possit Episcopus.

Sciendum est primò, Romanum Pontificem universalem Episcopum dici, bifariam intelligi posse: 1. enim ita potest intelligi dici universalis Episcopus, ut ipse solus & nullus alius sit omnium etiam particularium Ecclesiarum Episcopus; cæteri verò particulares Episcopi non sint Episcopi propriè, sed illius dumtaxat quasi Vicarii. 2. Ita ut universalem gerat universalis Ecclesiæ curam, quin excludat particulares particularium Ecclesiarum Episcopos, sive, ut explicant alii, universalis dici potest in *essendo*, vel in *causando*. Universalis in *essendo* Episcopus diceretur, si solus ipse & nullus alius Episcopus esset; universalis verò in *causando* dicetur, & non in essendo, si generalem dumtaxat curam influat in omnes etiam particulares Ecclesias, quin impediat particularem cujuslibet Episcopi curam: eo ferè modo, quo Sol universalis dicitur in causando, quia in hæc sublunaria influit omnia, quin excludat, sed juvet potiùs & foveat particulares sublunarium causarum influxus. Quo ita præmisso,

CONCLUSIO.

Dico, *Romanum Pontificem dici non posse universalem Episcopum, in eo sensu, ut ipse solus sit Episcopus, & nullus alius; benè autem in eo sensu, ut ipse universalem gerat Ecclesiarum curam, nec excludat particulares particularium Episcoporum curas;* & sic

Summus Pontifex Romanus ita est universalis Episcopus.

Prob. 1. pars, primò verbo & exemplo Gregorii Magni, hujus nominis Romani Pontificis primi; qui verbo quidem id docuit 1. dum ut Joannis Jejunatoris Constantinopolitani Episcopi se universalem Patriarcham scribentis coerceret ac domaret audaciam, sic ad illum scripsit olim: *Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus est.* 2. dum lib. 4. Epist. Epist. 3. ad Eulogium, sic ait: *Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* 3. dum lib. 7. Epist. Epist. 69. ad Eusebium directa sic pariter concludit: *Si unus universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis*: verbo ergo sive scripto docet S. Gregorius, nullum Patriarcham etiam Romanum universalem dici posse.

Docuit etiam & suo humilitatis exemplo, dum vocatus ipse universalis Papa ab *Eulogio Alexandrino*, ipsum suaviter increpans rogat ne ultrà faciat, dicens: *Quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultrà non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit, præbetur ...... Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum.* Verbo ergo & exemplo docuit sanctissimus ille Pontifex Romanus, nullum Patriarcham, nec ipsum Romanum Pontificem, universalem dici posse Episcopum in eo sensu, ut ipse solus sit, & nullus alius etiam particularium Ecclesiarum Episcopus; benè tamen in hoc sensu, ut universalis dicatur, quatenus universalem gerit omnium Ecclesiarum curam, nec particulares excludit particularium Episcoporum curas; ut sic

Prob.

Prob. 2. pars, primò ex eodem S. Gregorio. Asserit enim S. Gregorius Epist. lib. 4. Epist. 32. Petro fuisse à Domino commissam totius Ecclesiæ curam; quod idem est ac si diceret, Petrum fuisse à Domino constitutum universalis Ecclesiæ Episcopum: atqui esse universalis Ecclesiæ Episcopum, seu universalis Ecclesiæ curam habere, idem est ac universalem Episcopum esse; ergo censuit S. Gregorius Petrum fuisse, ac proinde successorem ejus Romanum Pontificem esse adhuc hodie universalem Episcopum in aliquo sensu, non in hoc sensu ut ipse solus sit, & nullus alius Episcopus, ut visum est; ergo in hoc sensu, ut universalem omnium Ecclesiarum curam habeat, nec particulares particularium Episcoporum curas excludat. Ut particulares non excludat particularium Ecclesiarum Episcopos.

Pr. 2. ex ejusdem *S. Gregorii* praxi, & sic: si *Gregorius* ipse Magnus, Romanusque Pontifex sanctissimus seipsum ut universalem non agnovisset in eo sensu, quo jure quæso concessisset Sardiniæ Presbyteris ipse, ut cùm Episcopi deessent, possent ipsi Confirmationis Sacramentum administrare, ut ipsum reipsa concessisse constat lib. 1. Epist. Epist. 41.? Quo jure, amabò, pallium concessisset ipse, primùmque in Lugdunensi Provincia locum post Metropolitam, *Syagrio* Augustodunensi Episcopo, ob navatam Augustino Anglorum Apostolo ejusque sociis operam? ut reipsa concessisse constat ex 4. Epist. libro Epist. 50. 52. & 53. & convincitur ex eo quòd ab eo tempore, pallio utantur adhuc *Syagrii* successores Augustodunenses Episcopi, defunctoque Metropolita Lugdunensi, Lugdunensis Ecclesiæ curam gerant, usque ad novi promotionem Archiepiscopi? Quo jure *Castorium X.* Ariminensem, *Luminosi* Abbatis Monasterium gravantem coercuisset, sola ipsi ejusque successoribus præfati Monasterii Abbatis ordinatione permissa, ut coercuisse constat ex 4. Epist. libro Epist. 43.? Quo jure Episcopum, Clericorum suorum Monasteria suo dominio gravantium insolentiam refrænare jussisset, ut eum jussisse constat ex 6. Epistolarum libro Epist. 40.? Quo denique jure & qua auctoritate quamplurima utilia alia præstitisset *S. Gregorius* Magnus, nisi se universalis Ecclesiæ Episcopum esse novisset, seu nisi universalis Ecclesiæ euram universalem sibi novisset esse creditam, ac proinde se in hoc ultimo sensu universalem Episcopum esse vidisset? ergo censuit Sanctus ipse *Gregorius* Romanum Pontificem universalem Episcopum in hoc sensu dici posse.

Pr. 3. ex variis Romani Pontificis super Episcopos alios privilegiis, quæ talia ac tanta sunt, ut ei nullatenus competere possent, nisi universalis in hoc ultimo sensu Episcopus esset; qualia sunt v. g. inter alia,

1. Quòd omnes totius orbis Episcopi, quoties in judiciis Ecclesiasticis se ab aliis gravari sentiunt Episcopis, vel à Provincialibus Conciliis, ad ipsum recurrunt Romanum Pontificem ut ad Judicem Ecclesiæ supremum, & non ad alium.

2. Quòd ad ipsum pariter confugiant, & non ad alium orbis universi fideles omnes, quoties in fide dubium vel controversia exurgit aliqua.

3. Quòd nullum pro tota Ecclesia possit statui decretum, nisi consulto Romano Pontifice.

4. Denique variis omissis aliis, quòd solus Romanus Pontifex, & nullus Episcopus alius, licèt Metropolita, Primas vel Patriarcha, possit Ecclesiasticas sancire leges Ecclesiam ligantes universam.

Atqui hæc omnia, ut patet, aliaque similia Pontifici nequeunt competere Romano ut Episcopo particulari, potiùs quàm alteri; ergo ei ut quodam-

dammodo & in aliquo sensu universali competunt, quatenus scilicet est Caput, Pastor & Episcopus universalis Ecclesiæ, in eo solùm sensu quòd universalem omnium Ecclesiarum curam gerat, nec particulares particularium Ecclesiarum Episcopos excludat.

Respondetur contradicentibus Romanæ Sedis hostibus.

Objicies cum Romanæ Sedis hostibus hæreticis. Nomen hoc *universalis* Episcopi à *S. Gregorio* variis in locis, præsertim 4. Epist. libro Epist. 32. vocatur superbum, profanum, sacrilegum & Antichristi prænuntium, illiusque absolutè reprobat ac recusat usum; ergo nullatenus sibi licèt Romano Pontifici debitum esse censet. Resp. perm. ant. neg. conseq. Ratio est, 1. quia etsi sibi ut Romano Pontifici, in aliquo sensu debitum sentiret nomen illud sanctus ille Pontifex; tamen quia tunc quæstio erat, an *Joanni* Constantinopolitano Patriarchæ illud arroganter usurpanti competeret, ideò absolute pronuntiat *Gregorius* nomen illud profanum esse & sacrilegum, ut tributum videlicet *Joanni* Constantinopolitano, utpote quia ei nullo jure & in nullo sensu debitum, sed arroganter & insolito fastu usurpatum: utque faciliùs præfati Joannis arrogantem cohiberet audaciam suæ humilitatis & moderationis exemplo, hoc nomen pariter & ipse recusavit, licèt debitum sibi ut Romano Pontifici & in sensu præfato non ignoraret, seque ea de causa, non Archiepiscopum, nec Patriarcham, sed Episcopum ac *servum servorum Dei* scribere cœpit. 2. dici potest cum Bellarmino, quòd etsi verum sensum habere possit nomen illud universalis Episcopi, quia tamen & falsum habere potest, nimirum si ita intelligatur esse universalis Romanus Episcopus, ut ipse sit solus & nullus alius; ideò sapienter & ad cautelam nomen illud simpliciter & absolutè prohibuit, & reprobavit sanctus *Gregorius*, eo ferè modo quo Ephesini Concilii Patres nomen illud Χριστοτόκου proscripsere, etsi bonum ac Catholicum sapiat sensum, ea sola de causa, quia malum sapere potest & hæreticum, & sub eo Nestoriana potest latere doctrina, Mariam Christi Matrem asserens, sed Dei matrem impiè negans.

ARTICULUS X.

Sub quo Romano Pontifice, in Gallias primò venerit Christi Religio nostra.

Cum universalis sit Episcopus, & universalem omnium Ecclesiarum gerat curam Summus Pontifex Romanus, ut visum est; nullaque sit Christiani orbis natio, quæ se abscondat à benigno ejus solicitudinis influxu; quæritur hìc ex occasione, quis Summorum Pontificum omnium primus curaverit Gallias nostras Euangelicæ doctrinæ radiis, & Religionis Christianæ primordiis illustrari. Sunt enim eruditi recentiores non pauci, inter quos, *Launoyus*, *Sirmundus* & alii, qui Euangelicam Christi fidem, ante *Decium* Imperatorem & *Fabianum* Romanum Pontificem, in Gallias venisse negant, illo *Gregorii* Turonici testimonio fulti, quo lib. hist. Franc. cap. 30. asserit ex *S. Saturnini* Tolosani passionis historia, his temporibus tantùm, videlicet sub *Decio* Imperat. istos primos Euangelicæ fidei Christi Præcones in Gallias fuisse ad prædicandum missos, nimirum Turonicis *Gratianum*, Arelatensibus *Trophimum*, Narbonæ *Paulum*, Tolosæ *Saturninum*, Parisiacis *Dionysium*, Arvernis *Austremonium*, & Lemovicinis

Mar-

Martialem. Contendunt econtrà alii non minùs eruditi; & numero multi longè ante *Decium*, Christianam fuisse Galliam; & cum istis

CONCLUSIO.

Dico, *Longè ante Decium, & primo nascentis Ecclesiæ sæculo, sub Petro Christi Vicario primo, & Clemente post Linum & Cletum Romano Pontifice, in Gallias primùm venisse Christi fidem & Religionem*, sicque

Sub Petro, & Clemente, primo nascentis Ecclesiæ sæculo, in Gallias Christi Religionem venisse probatur.

Pr. 1. Quia id innuere videtur Scriptura sacra, asserens Marc. cap. 16. vers. 20. Apostolos, post Christi in Cœlos ascensum, profectos ubique prædicasse: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*. Ergo vel per seipsos, vel per alios à se missos Euangelii Præcones, ubique prædicarunt Apostoli: non ubique per seipsos, ut patet; ergo per alios à se missos; ergo & in Gallia, quæ non est inter insigniores terræ partes minima.

2. Quia *S. Irenæus* scribens longè ante *Decium* secundo cadente sæculo, lib. 1. adversus hæreses cap. 3. meminit Ecclesiarum, quæ jam in *Celtis* erant, & in quibus vigebat Christiana jam orta Religio, dum ait: *Neque hæ, quæ in Germania sunt, fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberiis sunt, neque quæ in Celtis*; si in Celtis erant variæ Christi Ecclesiæ, S. Irenæi temporibus, ergo & in Gallia. *Celtæ* siquidem erant *Galliæ Celticæ* populi; norunt enim omnes *Galliam* fuisse divisam olim in *Togatam*, *Comatam* & *Braccatam*, & rursùs *Comatam* fuisse partitam in *Belgicam*, *Celticam* & *Aquitanicam*; *Belgica* erat à Scalde fluvio ad Sequanam, *Celtica* à Sequana ad Garumnam, & *Aquitanica* à Garumna ad Pyrenæos montes usque protensa.

3. Quia *Tertullianus lib. contra Judæos*, quem scribebat anno circiter 199. cap. 7. inter alias quas enumerat mundi regiones ad Christi fidem conversas, asserit varias Galliarum nationes esse Christo subditas, dicens: *Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo jamjam subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum*. Ergo in iis orta Christi religio erat, ac proinde ante *Decium* in Gallias missi fuerant Christianæ fidei Præcones aliqui.

4. Quia *S. Epiphanius* hæresi 51. tenet S. Lucam in Galliis primò Euangelicam annuntiasse fidem, & *S. Crescentem* in Gallias ab Apostolis fuisse missum: *Crescens*, inquit, *in Gallia, non enim in Galacia legendum est, ut quibusdam immeritò placuit, sed in Gallia*. Illud idem confirmat *Theodoretus*, in 2. ad Timoth. cap. 4. & tenet constans *Viennensis* Ecclesiæ traditio, quæ *S. Crescentem* veneratur ut Fundatorem.

5. Quia id constat ex universis quinti sæculi Comprovincialibus Episcopis Metropolis Arelatensis, ad *S. Leonem* Papam scribentibus, & de *S. Trophimo* à Petro in Gallias misso, sic pro certo affirmantibus & dicentibus: *Omnibus etenim Regionibus Gallicanis notum est, sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatensis Civitas missum à Beatissimo Petro Apostolo S. Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum donum fidei & religionis infusum*.

6. Quia id etiam probari potest ex ipso *Gregorio* Turonico, quo nituntur oppositum tenentes adversarii, eò quòd ipse *Gregorius Turonicus* in

sua

sua Francorum Historia cap. 30. *Saturninum* Tolosanum Episcopum, unum è septem primis in Gallias missis Episcopis, sub *Decio* missum asserat, hoc est, circa annum 250. contra quos ex eodem S. Gregorio Turonico sic arguo; Gregorius Turonicus majori fide dignus est, in eo quod pluribus in locis asserit, & quod aliundè conformius est Auctoribus ipso antiquioribus Gregorio, & Galliæ ferè omnium Ecclesiarum traditioni, quàm in eo quod semel dixit uno in loco suæ Francorum historiæ, & quod aliundè varias involvit in Chronologia difficultates, pugnatque contra Auctores ipso Gregorio antiquiores, & Galliæ ferè omnium Ecclesiarum traditiones: atqui *Gregorius Turonicus* indicat pluribus in locis, Christi fidem fuisse in Gallia primo sæculo, & longè ante *Decium* ortam, idque est conformius antiquioribus Gregorio Auctoribus, & Galliæ Ecclesiarum ferè omnium traditionibus; oppositum verò hoc uno dumtaxat loco citato videtur innuere contra Auctores antiquiores, & Galliæ ferè omnium Ecclesiarum traditiones; ergo majori fide dignus est, dum fidem primo sæculo in Gallia ortam dicit pluribus in locis, quàm dum illud idem in uno dumtaxat loco negare videtur.

Pr. minor. 1. Gregorius Turonicus lib. de gloria Conf. cap. 80. dicit *S. Ursinum* primum Biturigæ Episcopum fuisse missum ab Apostolorum discipulis, dum ait: *Bituriga verò urbs primùm à S. Ursino, qui à Discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus est, in Gallias destinatus est, verbum salutis accepit.* 2. lib. 1. de Miraculis cap. 56. ait, *S. Eutropium* Santonicæ urbis Episcopum primum à *B. Clemente* missum, dicens: *Eutropius quoque Martyr Santonicæ urbis à B. Clemente Episcopo fertur directus in Gallias.* 3. ibidem cap. 48. idem Greg. ait, *S. Saturninum* primum Tolosanum Episcopum ab Apostolorum Discipulis pariter missum, dicens: *Saturninus verò Martyr, ut fertur, ab Apostolorum Discipulis ordinatus, in urbem Tolosatium est directus*; ergo pluribus in locis indicat, Episcopos Euangelicæ fidei Præcones primo sæculo in Gallias fuisse missos; ergo & annuntiatam fuisse Christi fidem: idque est conformius *S. Irenæo*, *Tertulliano* & *S. Epiphanio*, aliisque priorum sæculorum Auctoribus Gregorio antiquioribus, & omnium ferè totius Galliæ insignium Ecclesiarum traditionibus, quæ viros Apostolicos venerantur & agnoscunt ut fundatores suos.

7. Quia non est credibile è tot Summis Pontificibus, qui sedere in Romana Petri Cathedra, à *Petro* ipso ad *Decii* usque tempora, hoc est, per 250. circiter annos, quique fuere omnes Sancti, & pro Christi fide Martyrium passi, quales fuere *Petrus*, *Linus*, *Cletus*, *Clemens*, *Anacletus*, *Euaristus*, *Alexander*, *Xystus*, *Telesphorus*, *Hyginus*, *Pius*, *Anicetus*, *Soter*, *Eleutherius*, *Victor*, *Zephyrinus*, *Callistus*, *Urbanus*, *Pontianus*, *Anterus*, *atque Fabianus* Decii persecutione sæviente Martyrium passus, anno circiter 253. non est, inquam, credibile è tot Summis Pontificibus, de sua suarumque ovium salute tam solicitis, & pro tuenda Christi fide Martyrium passis, non fuisse ex iis aliquem, qui de Gallica gente totius Europæ florentissima, ad Christi fidem trahenda curaverit, mittendo Euangelii Præcones aliquos, qui ei verba vitæ æternæ, fidem Christi, & Christianæ religionis elementa nuntiarent; ergo non est credibile, ante *Decium* in Galliam nullos omninò venisse Euangelicæ fidei Præcones, sed plures econtrà, & longè antè venisse credendum.

8. Quia non est pariter credibile, tot insignes atque præcipuas Galliarum Ecclesias, quæ se perenni traditione credunt primo sæculo, & longè ante

ante *Decii* tempora fundatas, suis in traditionibus errare simul omnes, consignando suæ fundationis, suorumque Fundatorum missionis epocham: atqui suis in traditionibus errarent insigniores atque præcipuæ Galliarum Ecclesiæ ferè omnes, si nullus ante *Decii* tempora in Gallias venisset Euangelicæ doctrinæ Præco, ut reipsa nullum venisse notare videtur *Gregorius* Turonicus, loco suprà laudato; ergo non est credibile ante hæc *Decii* tempora, nullum in Gallias venisse talem Euangelicæ doctrinæ Præconem; sed plures econtrà venisse credibile, multùmque probabile.

Pr. minor, varias percurrendo & insigniores Galliarum Ecclesias. 1. Erraret in Provincia *Arelatensis* Archiepiscopalis Ecclesia, *S. Trophimum* venerans ut suum Archipræsulem primum, quem sibi antiqua & constanti traditione credit à *Paulo* Apostolo in Hispanias tendente, illucque divertente relictum; erraret *Aquensis* Metropolis, suum recolens ut Pastorem primum sanctum *Maximinum*, B. Mariæ Magdalenæ & Lazari socium, & è 72. Discipulis unum; erraret & ipsa *Massiliensis* Ecclesia, dum *Lazarum* ipsum à Christo dilectum & à mortuis suscitatum, agnosceret ut suum; similiter erraret & *Viennensis* in Delphinatu, dum *S. Crescentium* Pauli Apostoli Discipulum; & *Narbonensis*, dum *Paulum Sergium* Pauli pariter Apostoli in Christo filium; erraret & *Tolosana*, dum sibi directum crederet à Petro *Saturninum*; sicut & *Bituricensis*, dum missum à discipulis Apostolorum *Ursinum*, quem *Nathanaelem* fuisse opinantur nonnulli, & è 72. Christi discipulis illum, de quo Joan. cap. 1. vers. 47. dixit Christus olim, *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, licèt Nathanaelem eumdem ipsum ac Bartholomæum Apostolum fuisse, minùs probabiliter opinentur alii. Suis deceptæ traditionibus errarent pariter non minùs insignes istæ Metropoles, videlicet *Senonensis*, *Turonensis*, *Rhemensis*, & *Rhotomagensis*; *Senonensis* quidem, dum sua refundit initia in sanctum *Sabinianum*, è 72. Christi discipulis unum; *Turonensis in S. Gratianum*, in Gallias à B. Clemente missum; *Rhemensis in S. Xystum*, sancti Petri Apostolorum Principis discipulum; & *Rhotomagensis in S. Nicasium*, cum Dionysio Areopagita, ab eodem Clemente Romano Pontifice missum.

Deciperetur in Campania, ipsa quoque *Catalaunensis* Ecclesia, dum se prædicat ortam à *B. Memmio*, è Romana gente *Memmia* viro, in Gallias à S. Petro ad prædicandum venire jusso; deciperetur & *Cenomanensis* in Cenomanensi territorio, dum se gloriatur erectam à *S. Juliano*, è 72. Christi Discipulis illo, quem fuisse *Simonem* Leprosum opinantur nonnulli, illum videlicet, cujus in domo B. Magdalena habens alabastrum unguenti pretiosi, effudit super caput Christi recumbentis. Deceptæ pariter fallerentur & quatuor istæ, quarum quælibet se unum è Petri discipulis fundatorem habuisse tenet, *Petragoricensis* videlicet *S. Frontonem*, *Nannetensis* in Britannia *S. Clarum*, *Claromontensis* in Arvernia *S. Austremonium*, & *Aniciensis*, sive Podiensis Velaunorum *S. Georgium*. Imò hallucinarentur *Mimatensis*, & *Engolismensis*, suos primos venerando Præsules, illa *S. Ausonium*, ista *S. Severianum*, utrumque S. Martialis discipulum, sicut & *Silvanectensis* in Valesia se habuisse gloriando *S. Regulum* S. Dionysii Areopagitæ socium; necnon *Bellovacensis* in Picardia sanctum *Lucianum* à Petro Baptismate tinctum, & ab eodem Dionysio Areopagita consecratum; similiter & *Meldensis* in Bria *S. Sanctinum*, ejusdem Areopagitæ discipulum; *Aurelianensis S. Altinum* è 72. Christi discipulis unum, sanctorum Sabiniani & Potentiani collegam & socium; & *Lemovicensis* in Aquitania

tania

tania *S. Martialem*, à Petro baptizatum & missum, & è Christi discipulis illum, de quo creditur ab Andrea dictum: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes bordeaceos, & duos pisces*. Erraret denique & ipsa Regiæ urbis *Parisiensis* Ecclesia, dum *S. Dionysium* Areopagitam Pauli prædicatione Christo partum coleret ut suum; imò cum Parisiensi errarent, & errassent olim cæteræ Galliarum Ecclesiæ, dum in Concilio Parisiensi congregatæ, in epistola ad *Eugenium II.* testatæ sunt, se traditione tenere *S. Dionysium* Areopagitam à B. Clemente cum duodenario sociorum numero in Gallias fuisse directum, & post aliquod tempus unà cum sociis huc illucque prædicationis gratia dispersis Martyrio coronatum; errassent, inquam, omnes cæteræ Galliarum Ecclesiæ, cùm hoc in Concilio essent simul omnes congregatæ anno circiter 824. Ibi siquidem omnes erant congregati Galliarum Episcopi, uno excepto Augustodunensi Præsule; ergo & omnes Galliarum Ecclesiæ, cùm ex B. Cypriano, *Ecclesia sit in Episcopo*. Atqui non est credibile, tot insignes Galliarum Ecclesias suis in traditionibus errare simul omnes, in assignanda suæ fundationis, suorumque Fundatorum missionis epocha, cùm juxta *Tertullianum lib. de præscript.* cap. 28. *Quod apud multos unum invenitur, non sit erratum, sed traditum*. Non est, inquam, credibile, tot insignes Galliarum Ecclesias sic suis in traditionibus errare simul omnes, nisi dicatur eas convenisse simul omnes ad mentiendum decipiendumque nos, fabulosam assignando suæ fundationis, suorumque primorum Episcoporum missionis epocham; sed hoc est credere nefas, ergo credibile potiùs, multòque probabilius est, ipsum vel memoriæ, vel attentionis lapsu deceptum errasse *Gregorium* Turonicum loco jam citato, dum præfatos septem primos Euangelicæ fidei Præcones tertio duntaxat sæculo in Gallias sub *Decio* venisse narrat.

Severum Sulpicium & Gregorium Turon. opponentibus adversariis occurritur.

Dices. *Severus Sulpicius* lib. 2. historiæ sacræ ait, *sub Aurelio Antonino persecutionem quintam agitatam, ac tunc primùm intra Gallias Martyria visa, seriùs trans Alpes Christi religione suscepta*. Ergo, &c.

Respondeo, 1. permisso antecedente, negando consequentiam, quia deceptus & ipse Sulpicius, vel intelligendus est loqui de obscuris vicis, minoribusque pagis, à quibus Pagani dicti, non de clarioribus Galliarum urbibus, dum serò trans Alpes susceptam esse Christi religionem asserit; tum quia id ex historia vitæ S. Martini ab eodem conscripta *Severo Sulpicio*, manifestè cuique legenti patebit, ut sapienter advertit Claudius Robertus Lingonensis Ecclesiæ Presbyter, Libri Galliæ Christianæ descriptionis Auctor; tum quia *Orosius* Tarraconensis in Hispania Presbyter, & Severi Sulpicii coætaneus, S. Augustini discipulus, vir acris ingenii, & insignis, ipsoque Sulpicio diligentior, & accuratior Historicus, manifestè dicit Neronis persecutionem primo sæculo in Christianos agitatam, sæviisse in omnes Imperii Romani Provincias, ac consequenter in Gallicanas, tunc Imperio Romano subditas: sic enim de Nerone loquitur Orosius lib. 7. Historiarum cap. 13. *Nam primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciari imperavit*.

Resp. 2. Ex hoc *Severi Sulpicii* loco concludi non posse, verum esse quod ibi cursim *Sulpicius* ait, nimirum sub Aurelio primùm & non anteà intra Gallias visa fuisse martyria; sed benè ex hoc Sulpicii loco concludi posse, verum esse quod de Severo Sulpicio *Bellarminus* expresè dicit lib. de Script. Eccl. nimirum cautè legendos esse *Severi Sulpicii* de Historia sacra libros atque dialogos, cùm in his reperiatur interdum lapsus: ait enim

enim lib. 1. Historiæ sacræ, Angelos quibus cœlum sedes erat, speciosarum forma virginum captos, naturæ originisque suæ degeneres, relictis superioribus, se illis miscuisse, & ex eorum commixtione ortos esse gigantes: ait insuper in fine dialogi 2. ex sententia *B. Martini Neronem* simul cum Antichristo venturum in fine mundi: Neronem quidem, ut regnet, & persecutionem moveat & exerceat in Occidentali plaga; Antichristum verò ut sæviat in Orientali. Ait denique, aliis omissis, in iisdem dialogis, post resurrectionem & mundi finem, Christum per mille annos in terris regnaturum, ut notat S. Hieronym. in Ezech. cap. 36. dicens: *Et nuper noster Severus in dialogo, cui Gallo nomen imposuit*; at in his verum non dicit, sed falsum *Severus Sulpicius*, & in his ei credit nemo, quia falsis; ita pariter ei non magis credendum, dum dicit sub Aurelio Antonini filio, & quinta persecutione sæviente, intra Gallias videri cœpisse martyria; & in hoc præsertim ei multò minus credendum, cùm Paulus *Orosius* suprà laudatus contrarium afferat.

Cumque insuper aliunde constet, nedum ex rationibus allatis hanc, nostram opinionem de Christianæ Religionis in Gallias adventu primo sæculo esse certam, sed etiam tempore Gregorii Turonici communem fuisse, manifeste colligatur ex septem illustrium Galliæ Præsulum epistola B. Radegundi directa, & ab ipso Gregorio Turonico relata lib. 19. hist. Franc. cap. 39. in qua, septem illi Gallicanæ Ecclesiæ prælati, videlicet *Euphronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius & Domnolus*, beatissimæ & in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi, expressè notant à Christianæ Religionis exordio, in Gallus ortam fuisse Christi fidem: sic enim ajunt: *Itaque cum ipso Catholicæ Religionis exortu cœpissent, Gallicanis in finibus, venerandæ fidei primordia respirare, & adhuc ad paucorum notitiam, tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis Dominicæ Sacramenta, &c.*

ARTICULUS XI.

An Romanus Pontifex defecerit à Christi fide, sitque non Episcopus, sed Antichristus, ut perperàm & iniquè calumniantur Hæretici.

Sciendum est priùs nomine Antichristi, Christi adversarium à nobis communiter intelligi: Christique adversarium juxta S. Augustini mentem, lib. 2. contra adversarium legis cap. 12. bifariàm sumi posse, videlicet 1. generatim pro Christi adversario quocumque, & 2. speciatim pro præcipuo Christi adversario in fine mundi venturo. Generatim sumendo Antichristi nomen, Antichristi dicuntur Hæretici omnes, & re ipsa de illis in hoc sensu dicitur 1. Joan. cap. 2. vers. 18. *Nunc Antichristi multi facti sunt*, id est, multi de Christo malè sentientes Hæretici; & iterùm cap. 4. vers. 3. *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est*. Speciatim verò sumendo nomen Antichristi, non multiplex sed unus est, nec existens adhuc, sed in fine mundi venturus Antichristus, de quo intelligendus Paulus, dum 2. ad Thessal. cap. 2. vers. 3. *Nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus*; & de Antichristo sic speciatim considerato loquuntur pariter recentiores

Hæ-

Hæretici, Lutheri Calvinique discipuli, dum ut suam à Romano Pontifice, & consequenter à Romana, vera & Catholica Christi Ecclesia defectionem excusent & tegant, sub prætextu defectionis ab Antichristo, simplicibus & imperitis conantur suadere populis, Romanam defecisse Ecclesiam, nec amplius esse quod erat, sed Antichristi dumtaxat sedem, ipsumque Romanum Pontificem non Episcopum, sed Antichristum esse; sed contrà, ut id falso falsius esse pateat,

CONCLUSIO.

Dico, *Nec venisse Antichristum, nec Romanum Pontificem nisi falsò, perperàm & iniquè Antichristum dici posse*; & sic

Nondum venit Antichristum.

Pr. 1. pars. Signa Antichristi adventus certa, sunt præsertim sex ista, nobis in Scriptura notata; duo videlicet Antichristum antecedentia, duo concomitantia, & duo subsequentia; duo antecedentia sunt, Euangelii Prædicatio in mundo universo, & Romani Imperii desolatio; duo concomitantia sunt *Henoch* & *Eliæ* ad prædicandum missio, & persecutio omnium maxima ac notissima, in qua cessabunt omnia sacra; duo verò subsequentia sunt ipsius Antichristi interitus post tres annos cum dimidio futurus, & tandem ipse mundi finis.

Primum, scilicet *Euangelii Prædicatio* indicatur Matth. cap. 24. vers. 14. dum dicitur: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.*

Signa Antichristi adventus in Scriptura notata.

Secundum, videlicet *Romani Imperii Desolatio* indicatur, etsi obscurè Danielis cap. 2. & 7. Apocalypsis cap. 17. & tandem à Paulo 2. ad Thessalonicenses, cap. 2. vers. 6. dicente: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.* Id est, scitis quid Antichristi adventum impediat; dixi enim vobis Romanum Imperium impedire, quia non sunt adhuc impleta peccata ejus, & non antè veniet Antichristus, qui hoc Imperium propter peccata ejus tollat è medio; unde S. Cyrillus Catechesi 15. circa locum illum discurrens, ait: *Veniet prædictus Antichristus, cùm impleta fuerint tempora Romani Imperii*; cui consonat illud S. Chrysostomi in eumdem locum dicentis: *Quando è medio sublatum fuerit Imperium Romanum, tunc veniet Antichristus.*

Tertium, *Missio* scilicet *Henoch & Eliæ* indicatur à Malachia cap. 4. vers. 5. apertè dicente: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*; & Ecclesiastici cap. 44. vers. 16. de Henoch dictum legimus: *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*; & de utroque, Henoch & Elia, Apocalypsis cap. 11. vers. 3. dicitur: *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

Quartum, videlicet *Persecutio omnium maxima* apertè designatur Matth. cap. 24. vers. 19. dum dicitur: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel Sabbato; erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò,*

neque

neque fiet. Quòd autem ea sæviente persecutione cessare debeant sacra omnia, hoc est, juge sacrificium, officium Ecclesiasticum, ritusque sacri Christianorum omnes, colligitur communiter ab omnibus ex illo Danielis cap. 12. vers. 11. dicentis: *Et à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*.

Quintum, videlicet *Interitus Antichristi* post tres annos cum dimidio, colligitur apertè ex illo Danielis cap. 7. vers. 25. dicentis Antichristum non esse regnaturum, nisi *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, hoc est, per tres annos cum dimidio, sive *mensibus quadraginta duobus*, ut habetur Apocalypsis cap. 11. vers. 2. sive *diebus mille ducentis sexaginta*, ut habetur ibidem vers. 3.

Sextum denique, videlicet *Mundi Finis* satis indicatur à Matthæo, cap. 24. vers. 14. suprà laudato dicente: *Et tunc veniet consummatio*.

Atqui nullum ex iis Antichristi signis adhuc evenisse constat; ergo nec Antichristum. Prob. minor percurrendo singula.

Non primum, cùm constet varias adhuc esse mundi regiones & populos, quales dici possunt Chinenses & Americani multi, quibus nihil de Euangelio nuntiatum adhuc.

Non secundum, cùm Rom. Imperium duret, quamvis translatum; Imperium enim durat, quamdiu in Imperatoria dignitate succedit aliquis; succedit autem Occidentis Imperator, eoque solo jure cæteros præcedit Christianos Principes & Reges, etsi aliunde potentiores.

Non tertium, cùm *Henoch* & *Eliam* adhuc vivere certa fide teneant Catholici omnes; de *Henoch* enim dicitur ad Hebræos, cap. 11. vers. 5. *Henoch translatus est, ne videret mortem*; & de Elia, Matth. cap. 17. vers. 11. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*: & de utroque Aug. lib. de peccato originali, cap. 23. *Henoch & Eliam non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere*; non viverent autem, si jam in Antichristum prædicaturi missi venissent, sed jam à longo tempore fuissent occisi, dicitur enim Apocalypsis cap. 11. vers. 3. quòd prædicabunt *diebus mille ducentis sexaginta* ..... & vers. 7. additur: *Cùm finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos*.

Non quartum, cùm nulla sæviat, nec sævierit usquam tanta persecutio, in qua cessaverit omnino sacrificium omne, cùm viguerit semper in Christi Ecclesia, & duret adhuc juge sacrificium.

Non quintum denique, neque sextum, videlicet Antichristi interitus & mundi finis, ut manifestè patet, hoc est, nondum evenit interitus Antichristi; evenisset autem à longo tempore, si venisset Antichristus eo tempore, quo eum venisse fingunt Hæretici, cùm regnaturus sit per tres dumtaxat annos cum dimidio, ut visum est; & si evenisset Antichristi interitus, jam evenisset mundi finis, ut pariter visum est ex illo Matth. cap. 24. vers. 14. *Et tunc veniet consummatio*.

Ergo cùm mundum adhuc durare constet, constat nondum finiisse mundum, nondum evenisse Antichristi interitum; ergo & nullum ex præfatis signis evenisse constat, ex quo Antichristum jam venisse probare possint Hæretici; ergo nec consequenter dici potest Romanum Pontificem Antichristum esse, ut sic ulteriùs, quamvis plusquam satis manifestè pateat ex dictis.

Prob.

Et Romanum Pontificem Antichristum falsò & calumniosè dici probatur.

Pr. secunda pars. 1. Quia, ut ex dictis patet, ille homo perditionis, qui dicitur Antichristus, non veniet nec venturus est, nisi everso Imperio Romano; sed Romanus Pontifex venit, non everso, sed florente Imperio Romano; ergo Romanus Pontifex Antichristus esse, nec dici potest.

2. Quia Antichristus occidet duos illos Prophetas à Deo tunc mittendos, *Qui prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, ut visum est ex Apocalypsi cap. 11. vers. 3. Atqui nullus Romanorum Pontificum ab eo tempore, quo sedent in Romana Sede, dici potest hos occidisse Prophetas; ergo nec Antichristus censeri.

3. Quia Antichristus regnaturus est per tres annos dumtaxat cum dimidio, *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, ut pariter visum est: atqui Romanus Pontifex, seu Papa jam à multis sæculis regnat aliquis; ergo Antichristus dici non potest.

4. Quia Antichristus accipietur à Judæis pro *Messia*, ut colligitur ex illo Joan. cap. 5. vers. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*: atqui Romanus Pontifex nusquam acceptus est, nec accipitur ab illis hodie pro Messia; ergo, &c.

5. Ex Apocalypsi cap. 13. vers. 13. *Antichristus faciet signa magna, ita ut faciat ignem de Cœlo descendere*: atqui hoc nondum ab ullo Romano Pontifice factum legimus; ergo nullus Romanus Pontifex Antichristus dici potest.

Et calumniantibus hæreticis respondetur.

Objicies 1. cum Hereticis. Notæ Antichristi nobis in Scriptura datæ, conveniunt omnes Romano Pontifici; ergo Romanus Pontifex Antichristus est. Pr. ant. Prima Antichristi nota, 2. ad Thessalon. cap. 2. vers. 3. assignata, est à fide deficere, seu à fide defectio. Secunda ibidem designata, est sedere in Templo Dei. Tertia, & ibidem expressa, est ostendere se tanquam Deum. Quarta pariter ibidem indicata, est extollere se supra id omne quod dicitur Deus. Quinta 1. Joan. cap. 2. vers. 22. designata, est negare Christum. Sexta in eadem Epist. 2. ad Thessal. cap. 2. vers. 9. contenta, est falsa facere miracula. Septima in Apocalypsi cap. 13. vers. 16. significata, est subditis characterem imprimere: atqui hæc omnia Romano Pontifici conveniunt; nam 1. defecit à fide, cùm defendat & doceat Purgatorium, SS. invocationem, Sacrificium Missæ, & plura hujusmodi alia. 2. sedet in Templo Dei, cùm sedeat in Ecclesia Christi. 3. ostendit se tanquam Deum, cùm se exhibeat pro visibili Ecclesiæ Capite. 4. extollit se supra id omne quod dicitur Deus, cùm se extollat supra omnem Ecclesiasticum & politicum ordinem. 5. negat Christum, cùm Christi doctrinam corrumpat. 6. facit miracula falsa, qualia sunt, v. g. miracula *Lauretí* apud B. V. statuam, & alibi variis in locis patrata. 7. denique subditis characterem imprimit, dum Confirmationis vel Ordinis Sacramenta confert; ergo.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem, concessa maj. neg. min. quoad singulas partes, quia falsas, & 1. quoad primam. Falsum enim est quòd Purgatorium, Sanctorum invocationem, Missæ Sacrificium, & similia hujusmodi defendere, sit à fide deficere; sed potiùs ea impugnare, est à SS. PP. & Ecclesiæ fide recedere. Quoad secundam, pariter falsam esse patet, quia aliud est sedere in Templo Dei Jerosolymæ, & aliud sedere in Ecclesia Christi Romæ. Antichristus sedebit quidem in Templo Dei

Jero-

Jerosolymæ, & adorabitur à Judæis : Romanus verò Pontifex sedet quidem in Ecclesia Christi Romæ, sed non in Templo Jerosolymæ; nec adoratur à Judæis, imò nec ab ullo alio. Quoad tertiam, falsum pariter est, Romanum Pontificem se tanquam Deum ostendere, quamvis se pro visibili Ecclesiæ capite exhibeat. Et quoad quartam, falsum etiam quòd se supra id omne, quod dicitur Deus, extollat, licèt se supra omnem Ordinem Ecclesiasticum & politicum efferat; hoc enim fecit & Moyses, nec se tamen supra Deum extulit. Quoad quintam, à Rom. Pontifice Christum negari, ejusque doctrinam corrumpi, falso falsius est, nec id usquam probabunt Hæretici. Quoad sextam, quòd *Laureti*, vel alibi miracula faciat Romanus Pontifex, merum est hæreticorum commentum : hæc enim miracula, si quæ fiunt, non edit Romanus Pontifex, sed Deus; nec ullus hæc à Romano Pontifice fieri docuit usquam Catholicus. Quoad septimam denique, quamvis in Confirmationis & Ordinis collatione imprimatur character, nihil inde tamen concludi potest, cùm Antichristi character sit ab isto longè diversus; characteris enim Antichristiani conditiones erunt istæ, prima ut sit communis omnibus pusillis & magnis, divitibus & pauperibus, liberis & servis; secunda, ut possit imprimi vel in fronte, vel in dextera manu; tertia, ut nemo nisi characterem habens, emere possit aut vendere, ut constat ex Apocalypsi cap. 13. vers. 16. & cap. 14. vers. 1. Atqui hujusmodi conditiones non conveniunt, ut patet, characteri Confirmationis & Ordinis; ergo &c.

Objicies 2. cum *Calvino* jurato Romani Pontificis hoste. Cùm Episcopi nomen, nomen sit officii, is Episcopus dici nequit, qui Episcopi nullatenus implet officium : atqui Papa seu Romanus Pontifex nullatenus implet officium Episcopi, cùm præcipuum ac capitale Episcopi munus sit; Dei verbum & Sacramenta ministrare, & id non præstet Romanus Pontifex; ergo si non sit Antichristus, saltem Episcopus dici nequit. Resp. 1. neg. maj. falsum enim est Episcopi nomen, nomen esse officii tantùm, cùm sit re ipsa nomen dignitatis & potestatis regendi homines in spiritualibus & divinis; ac proinde monendi, exhortandi, corrigendi, imperandi, prohibendi, atque puniendi. Resp. 2. perm. maj. neg. min. falsum enim est, Romanum Pontificem sui muneris non implere partes, si non per seipsum, saltem per alios sibi subordinatos Ecclesiæ Ministros; nec enim per seipsos concionari, & Sacramenta ministrare tenentur Episcopi, justa de causa impediti; sed satis est, si hæc omnia per idoneos alios ritè præstari curent; alioquin ad impossibile tenerentur Episcopi, cùm nulla sit tam parva ac coarctata Diœcesis, in cujus singulis urbibus ac vicis, ad concionandum & ad Sacramenta ministranda singulis sit sufficiens Episcopus; sicut ergo satisfacit, suumque munus implere censetur, dum per alios hæc præstat in eo loco, ubi per se hæc præstare nequit, ita & satisfacit, hæc per alios in omni loco præstando, quando per seipsum hæc in nullo præstare potest; nam ex Possidio in vita S. Augustini, *Valerius* Hipponensis Episcopus, cùm esset natione Græcus, nec valeret Latino suo concionari populo, hoc officium *Augustino* Presbytero suo sponte commisit, nec tamen Episcopus esse desiit *Valerius*, nec suo deesse credidit officio, concionando per Augustinum, nec id credidit & ipse Augustinus, Valerii posteà Successor meritissimus; ergo nec Romanus Pontifex Episcopus esse desinit, nec suo deesse officio dicendus, etsi non per seipsum, sed per alios Dei verbum populo ministret ac Sacramenta. Verùm

quia Romanum Episcopatum defecisse, vel corruptum & mutatum esse probare conantur Calvini sequaces Hæretici, ex fabulosa quadam, sed malè consuta de Joanna Papissa historia; ideò subditur hìc

---

ARTICULUS XII.

Refellitur popularis & inepta de Papissa Joanna fabula.

UT in Rom. Pontificem simplicis & imperiti vulgi contemptum & odium commoveant jam memorati recentiores Hæretici, antiqua illa & insulsa utuntur fabula, qua fertur in Romana sanctaque Sede, post *Leonem IV.* anno 855. sedisse annis duobus, mensibus quinque & diebus quatuor, fœminam quamdam meretricem, nomine *Joannam*: id enim ita evenisse, divinitùs permissum esse contendunt præsertim Magdeburgi Centuriatores Hæretici, in signum Ecclesiæ Romanæ in meretricem Babylonicam mutatæ, esseque validissimum & insigne pariter argumentum suæ à Romana Sede defectionis legitimæ. Quæ omnia quàm vana sint & insulsa, ut pateat ab ovo, hujus origo fabulæ hìc breviter notanda.

Cùm *Photius*, qui Sedem Patriarchalem invaserat Constantinopolitanam, Eunuchus esset, diceretùrque tunc Constantinopolis nova Roma, hinc orta est populo ansa dicendi in Romana Sede, non virum sed fœminam sedere: cùmque reipsa tunc *Joannes* hujus nominis octavus, Romanus Pontifex esset, isque à Græcorum Imperatore rogatus, animi imbecillitate, nescio qua, & ignavia plus quàm fœminea, hanc temerariam & iniquam Photii promotionem ratam habuisset ac probasset, inde crevit & invaluit ansa jam orta fabulosè & irrisoriè divulgandi, in Romana Sede, non virum, sed fœminam sedere, ac proinde non *Joannem*, sed *Joannam* sedere *Papissam*. Hanc fabulam sic malè partam accepit, nutrivit ac fovit per ducentos circiter annos sola popularis simplicium credulitas, quam deinde primus omnium scripto vulgavit *Marianus Scotus* S. Martini Coloniæ primùm, deinde Fuldensis, Congregationis Cluniacensis Monachus; quem posteà secuti sunt Scriptores alii nonnulli etiam Catholici, ut *Sigibertus*, *Martinus Polonus*, & alii; Sed præsertim recentiores Hæretici, contra quos

CONCLUSIO.

Dico, *Falsum omnino esse inter Leonem IV. & Benedictum III. in Romana Sede sedisse fœminam, ac proinde non historiam verosimilem esse, sed insulsam & ineptam de Papissa Joanna fabulam*; & sic

Multipliciter refellitur malè consuta de Papissa Joanna fabula.

Pr. 1. ex *Anastasio* Abbate, & Apostolico Bibliothecario, viro græcè latinèque docto, scriptore antiquo & rei narratæ coævo, vivente circa annum 850. qui Romanorum Pontificum vitas, à S. Petro ad Nicolaum usque I. scripsit, & multorum sive præcedentium, sive subsequentium hanc fictam fabulosamque *Joannam*, Pontificum creationem vidit; quique expressè ut testis oculatus asserit, post *Leonis IV.* obitum, quindecim dumtaxat diebus vacasse Sedem, hisque peractis, statim communi consensu in Romanum Pontificem creatum fuisse *Benedictum III.* Ergo & nullum consequenter

quenter intermedium fuisse, sive Papam, sive Papissam, qui vel quæ duobus annis, quinque mensibus & quatuor diebus sederit, inter *Leonem IV.* & *Benedictum III.* Ergo fabulosa est omninò prorsusque ficta narratio hæc de *Papissa Joanna*, inter Leonem IV. & Benedictum III. duobus annis, quinque mensibus, & quatuor diebus sedente.

Pr. 2. ex *Adone* Viennensi Archiepiscopo, eodem pariter tempore florente, quo sedisse fingitur illa Papissa, & asserente in suo Chronico ad annum 865. *Leoni IV.* immediatè successisse *Benedictum III.* dum ait: *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur; illo defuncto succedit Leo; quo obeunte, Benedictus in Sede Apostolica substituitur.* Ergo nulla nisi fabulosè successit *Leoni* Papissa Joanna.

Pr. 3. ex *Hincmaro* Sandionysiano, olim prope Parisios Monacho, posteà Rhemensi Archiepiscopo, illis iisdem temporibus celeberrimo, Romanisque Pontificibus notissimo, asserente Epist. 26. se nuntios misisse Romam cum literis ad *Leonem IV.* in Romana tunc sedentem Cathedra, ipsosque sua pergentes in via audiisse nuntium de Leonis obitu, & pervenientes Romanam in urbem cum præfatis *Hincmari* literis, invenisse *Benedictum III.* jam in Leonis Successorem electum, & ab eo privilegium, cujus gratia venerant, fuisse consecutos: ex quo evidenter patet, non duos fluxisse annos, cum mensibus quinque, & quatuor diebus, à *Leonis* obitu, ad creationem usque *Benedicti III.* sed statim post Leonis obitum, immediatè successisse Benedictum; ergo & fabulosam esse omnino intermediam alterius cujuscumque, sive Joannis, sive Joannæ Papissæ sessionem.

Pr. 4. ex *Nicolao* Magno Romano Pontifice, hujus nominis I. *Benedictique III.* successore proximo, Epist. 46. ad Suessionensis Concilii Patres data anno 866. idem pariter attestante, & dicente *Leoni IV.* ex hac luce subtracto successisse sanctæ memoriæ *Benedictum*: quod sine dubio benè noverat Nicolaus ipse Benedicti Successor immediatus, nec dixisset, si ante Benedictum successisse novisset aliquem alium; ergo nullum alium, vel aliam nisi fabulosè successisse dicendum.

Pr. 5. & ultimò hujus fabulosæ Historiæ falsitas ex ipsa narratione facti. Ajunt fabulatores isti mulierem illam natione Anglicam, ut volunt aliqui, vel Moguntinam, ut placet aliis, adhuc puellam in habitu virili fuisse ab amasio quodam Athenas ductam, ibique ita literis operam dedisse, & in scientiis profecisse, ut ei par non esset: cùmque Romam venisset, ibique in triviis legens & docens, magnos Magistros inter Discipulos & auditores haberet, tantæ opinionis sibi nomen fecit, ut defuncto *Leone IV.* in successorem ejus, & Papam fuerit concorditer electa; sed in Papatu, à suo familiari vitiatam, temporisque sui futuri partus ignaram, cùm de S. Petro ad Lateranum in solemni supplicatione tenderet, angustatam in partu, publica peperisse in via, ibique mortuam & sepultam fuisse contendunt.

Atqui narratio hæc patet manifestè fabulosa & falsa; 1. ex non convenientia sive discordia Auctorum ejus; volunt enim aliqui mulierem illam fuisse natione Anglicam, Moguntinam alii. 2. Ex eo quòd illam Athenis literis operam dedisse & profecisse dicant, & constet eo tempore Athenarum solum superesse nomen, & jacentis Academiæ famam; asserit enim *S. Synesius* Ptolemaidis Episcopus, vir sanctitate & eruditione clarus, in Epistola ad fratrem suum ultima, suo tempore, hoc est anno

S 2 circi-

circiter 420. *Athenas* splendidum habere nihil, præter celeberrima locorum nomina; ergo nec à fortiori, tempore hujus fabulosæ Papissæ Joannæ, quam sedisse contendunt fabulatores isti circa annum circiter 850. 3. Ex eo quòd asserant, illam Romæ legentem & docentem, post biennium in Papam fuisse concorditer electam; cùm constet his temporibus jam fuisse consuetum, nullum nisi è Cardinalium Collegio, in Papam eligi posse. 4. Ex eo quòd dicant, illam in solemni publicatione peperisse, & incredibile sit omnino mulierem à tot mensibus fœtu gravidam, partuique proximam, hoc publicum & solemne, laborisque plenum volnisse obire munus, in quo erat futuri partus, honoris vitæque periculum; ergo falsa omnino narratio hæc, & mera ac malè consuta de Papissa Joanna fabula.

Et fabulantibus respondetur adversariis.

Objicies 1. Credibile non est fabulam esse narrationem illam, quam plures enarrant viri sua doctrina graves: atqui narrationem illam de Papissa Joanna plures enarrant viri sua doctrina graves; quales sunt *Marianus Scotus*, *Sigibertus*, *Martinus Polonus*, *Antoninus*, *Baptista Platina*, Historiæ de vitis Summorum Pontificum Scriptor egregius, in Joanne VIII. Ergo.

Resp. dist. maj. si hanc ita enarrent & recenseant, ut non reclament plures alii æquè graves, fideque digniores hac in re, quia rei narratæ sive suppositæ contemporanei; Conc. maj. secùs; Neg. maj. sicque perm. min. neg. conseq. quia reclamant plures alii Scriptores æquè graves, fideque digniores hac in re, quia rei narratæ, sive suppositæ coævi, quales sunt inter alios, *Anastasius* Abbas & Bibliothecarius pariter Apostolicus, *Ado* Viennensis Archiepiscopus, *Hincmarus* Rhemensis similiter Archiepiscopus, *Nicolaus I.* Pontifex Maximus, Benedictique III. successor proximus: istis enim reclamantibus omnibus, & similibus aliis non paucis, longè major hac in re est habenda fides, quia rei narratæ coævis & testibus oculatis, quàm cæteris aliis in objectione laudatis, vel similibus longè recentioribus aliis, rem ipsam ex sola populari traditione narrantibus.

Objicies 2. cum Magdeburgensibus, cæterisque Romanæ Sedis hostibus. Narrationem illam de Papissa Joanna, ejusque publico in solemni supplicatione partu, veram & non fabulosam esse, manifestè patet 1. ex marmorea illa fœminæ gerentis infantulum recens natum statua, quæ videbatur olim Romæ in ipso tam detestandi partus loco, in perpetuam rei memoriam posita. 2. ex eo quòd ab iis temporibus, Romanus Pontifex quoties è Vaticano ad Lateranensem tendit Ecclesiam, in hujus horrendi detestationem eventus, hanc consultò declinat viam. 3. ex eo quòd ad similem vitandum in creandis Romanis Pontificibus errorem, soleat novus Pontifex ad sedem sive cathedram perforatam applicari, & ejus ab ultimo Diacono sexus explorari; ergo non fabulosa est, sed vera hæc de Joanna Papissa narratio.

Resp. neg. ant. ad cujus probationes singulas respondens, dico primò ad 1. statuam illam olim Romæ visam, non hujus fabulosæ mulieris Papissæ fuisse; nam si, ut volunt adversarii, ideò noluere Scriptores antiqui, reique narratæ coævi, in gratiam sanctæ Sedis & Rom. Pontificis reverentiam, hanc præfatam Papissam inter Romanos Pontifices recenseri, ne illius aliqua superesset in Libris memoria: quomodo verisimile credendum, passos fuisse Romanos Pontifices illius in statua marmorea superesse memoriam & effigiem? 2. Si hujusmodi præfata statua prætensæ Papissæ Joannæ infan-

infantem patientis fuisset, mulierem sine dubio cum infantulo recens nato, vel pannis involuto, vel inter matris ubera posito repræsentasset: atqui statua illa nec mulierem repræsentabat, nec infantulum recens natum, nec pannis involutum, nec inter matris ubera positum, sed satis grandem, & multorum annorum puerum, & quasi præeuntem referebat; unde colligunt viri in his rebus & vetustis explicandis figuris eruditi, non Papæ, nec Papissæ fuisse statuam, sed antiqui cujusdam Ethnici Sacerdotis ad Sacrificium cum suo præeunte Ministro tendentis.

Ad 2. dico secundò, Romanos Pontifices, quoties de Vaticano ad Lateranensem tendunt Ecclesiam, non præfatam declinare viam, licèt breviorem, in detestationem hujus prætensi execrandique Papissæ partus, ut fingunt & fabulantur adversarii; sed quia via illa angusta est & anfractuosa, Pontificumque comitatui, ut plurimùm frequentissimo, minùs facilis & apta.

Ad 3. denique dico tertiò, non ad similem vitandum in creandis Romanis Pontificibus eventum vel errorem, nec ad explorandum novi Pontificis sexum, in perforata sedere sede solitum esse Romanum Pontificem recenter electum, ut perperàm & irrisoriè fabulantur hæretici; sed ideò in hac ignobili sede primùm sedere solet recenter electus, ut agnoscat & recordetur, se de humili loco ad summum evehi honoris fastigium, nec tamen de humanæ vitæ miseriis & necessitatibus eruі; unde est quòd dum in ipso Ecclesiæ ingressu ad hanc ipsam elevatur Sedem, decantetur à Choro illud 1. Reg. cap. 2. vers. 8. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat*: eo ferè simili modo, quo in ipsa solemni coronationis pompa, dum è Sacristia per Ecclesiam tendit ad Altare, in signum & memoriam futuræ mortis, mundique brevi periturae gloriæ, ter stupa in arundinis apice consultò parata solet coram ipso comburi, & tritum illud solemniter acclamari, *Sancte Pater, sic transit gloria mundi.*

ARTICULUS XIII.

De eminentissimo Papæ Senatu, vulgò sacro Cardinalium Collegio.

CUm ea sit inter Summum Pontificem, & S. R. E. Cardinales connexio mutua, ut solus Summus Pontifex Cardinales, & soli vicissim Cardinales & de solo Cardinalium gremio Summum Pontificem eligere soleant, sitque Cardinalatus non beneficii, sed officii nomen & dignitatis, ex mera Summi Pontificis auctoritate pendens; non extraneum, imò congruum erit, ut Summi Pontificis occasione, de ipso consequenter eminentissimo Summi Pontificis Senatu, seu sacro Cardinalium Collegio hic cursim pauca notemus, & præsertim de nomine, origine, officio, numero, indumento, & multiplici alia Cardinalium prærogativa.

Cardinalium nomen, & origo.

Cardinales, si Florentino credamus Archipræsuli, sic à *Cardine* dicti, quòd sicut in cardine quiescit, fundatur & vertitur ostium; ita & in Car- Cardinaliũ nomen, & origo.

dinalibus, eorumve consiliis firmatur, regitur & volvitur universalis Ecclesiæ status: vel, ut placet aliis, cùm Ecclesia Christi sit domus Dei, & unaquæque domus ostium habeat & cardines; ita Ecclesia Christi suum habet cum cardinibus ostium. Est autem Summus Pontifex ostium Ecclesiæ Christi; Consiliarii verò illi collaterales & eminentissimi, quorum consiliis juvatur & regitur Summus Pontifex, cardinum ejus vices gerunt, unde *Cardinales* meritò nuncupantur.

De quorum origine licèt ita variè opinentur varii, ut eos cœpisse velint aliqui à *S. Gregorio*, alii à *S. Silvestro*, à *S. Marcello* alii, nonnulli à *S. Pontiano*, & dicat licèt *Eugenius IV.* in Epist. ad Cantuariensem Archipræsulem, Cardinalium nomen non fuisse quidem primis nascentis Ecclesiæ temporibus expressum, munus tamen & officium à *B. Petro* Apostolo, & successoribus ejus evidenter institutum; certum tamen est, quòd nullibi reperitur Cardinalium mentio facta ante Concilium Romæ sub *Silvestro* habitum anno 324. in quo, Canone 6. præcipitur, *Ut Diaconi non sint plures per Parochiarum examen nisi duo, & Cardinales urbis Romæ septem*, qui septem Diaconi primis Ecclesiæ temporibus *Cardinales* dicebantur, & *Regionarii*; *Cardinales* quidem, quia licèt diversis in locis agerent, in uno tamen continebantur primariæ Ecclesiæ cardine, à qua pendebant, ut à cardine janua; *Regionarii* verò, quòd ex *S. Fabiani* Summi Pontificis instituto, quatuordecim præessent Urbis regionibus; ita ut singuli binis regionibus præpositi, pauperum in iis degentium curam haberent, eisque eleemosynas Ecclesiæ fideliter erogarent; quo pio munere piè functus olim *B. Laurentius* Diaconorum S. R. E. Primarius, gloriosi Martyrii palma donatus est anno Christi circiter 142. post *S. Xysti* Romani Pontificis obitum.

Verùm quòd Cardinales sint hodie ita numero multi, & tres in ordines ita distincti, ut alii sint Cardinales Diaconi, alii Presbyteri, & Episcopi alii, non aliunde ortum est, quàm ex eo quòd crescente fidelium numero, crevit quoque Clerus, & ita compositus est, & varios in gradus, confusionis tollendæ gratia; ita distinctus, ut inter Clericos, alii superiores essent, inferiores alii, alii præessent, & subessent alii, & singuli à se invicem ita discreti atque locati, ut alii in sua Urbis regione, alii in suo titulo, sive Parochia manerent: dixi in suo titulo sive Parochia, quia *Parochia*, sive Ecclesia, *titulus* dici consueverat, Baronio teste, eò quòd Presbyter, qui ab ea cui præficiebatur Ecclesia, sive Parochia, nomen titulumque desumeret, quamvis usus invaluerit hodie, ut non Ecclesia quælibet, titulus dicatur, sed tantùm insigniores, quibus præficiuntur Cardinales.

Quia in Urbis regione præponebantur aliqua, ut egenorum, pupillorum, atque viduarum curam haberent Diaconi, Regionarii dicebantur; & quia nihilominus ab una matrice pendebant Ecclesia, ut à cardine janua, *Cardinales Diaconi* erant nuncupati.

Qui verò in titulo aliquo, sive Parochia erant præpositi, ut fidelibus Sacramenta ministrarent, aliaque divina peragerent, erant Presbyteri, quorum dum ita crevit sicut & fidelium numerus, ut non unus tantùm, sed & plures interdum in eodem titulo, sive Parochia Presbyteri essent, unusque esset inter eos, qui præesset aliis ejusdem tituli Presbyteris, ideò is unus à quo pendebant cæteri, ut à cardine janua, Cardinalis Presbyter erat nuncupatus; & sic hi omnes Presbyteri, quorum quilibet in suo titulo præerat aliis, dicebantur *Cardinales Presbyteri*.

Posteà

Posteà tandem longo temporum successu superadditi accessere *Cardinales Episcopi*, non sub *Honorio II.* ut opinantur aliqui, sed circa, vel paulò ante *S. Petri Damiani* Cardinalis & Ostiensis Episcopi tempora, videlicèt circa annum 1057. quando fuere designati septem urbis Romæ viciniores Episcopi, qui assisterent Summo Pontifici, ejusque munus alternatim supplerent hebdomadibus singulis, qui ideò collaterales hebdomadarii vocati; & quia S. R. E. Cardini annexi, inde & *Cardinales Episcopi* dicti; ac proinde hinc successu temporis ortum est, ut Cardinales hodie tres in ordines sint ita distincti, ut dicantur alii *Cardinales Diaconi*, alii *Cardinales Presbyteri*, & *Cardinales Episcopi* alii.

Cardinalium numerus.

Ex quibus omnibus, sive Diaconis, sive Presbyteris, sive Episcopis, quotus sit Cardinalium numerus si quæras, non eumdem semper fuisse respondeo; sed pro temporum varietate varium, & auctum, vel diminutum ex mero Summi Pontificis placito; fuere enim sub *Bonifacio VIII.* Cardinales numero 20. & tempore quo Avenione sedebant Summi Pontifices, 30. Ne ultra 34. in posterum forent, definierant *Constantiensis* Concilii Patres sess. 40. nihilominus sub *Leone X.* (qui una sola Cardinalium promotione 31. creavit olim,) visi fuere Cardinales 65. sub *Paulo IV.* numerati fuere 70. & sub *Pio IV.* recensiti 76. Numerus.

Sed tandem à *Sixto V.* anno circiter 1585. speciali constitutione decretum est, ut non plures nec pauciores forent in posterum Cardinales, quàm septuaginta, instar septuaginta seniorum de populo Israelitico, Moysi collateralium & assistentium, de quibus Num. cap. 11. vers. 16. dixit olim Moysi Deus: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Et ab eo tempore perseverat hic à *Sixto* definitus Cardinalium numerus, hoc est, ille eminentissimus septuaginta senum cœtus sive *Senatus*, qui assistunt in universalis Ecclesiæ regimine Summo Pontifici, sicut septuaginta seniores Israelitici assistebant olim in regenda Synagoga Moysi; suntque ex Diaconorum ordine 14. ex ordine Presbyterorum 50. & ex Episcoporum ordine 6. videlicet septem antiqui viciniores Romanæ urbis Episcopi, *Ostiensis*, *Veliternus*, *Portuensis*, *Tusculanensis*, *Sabinensis*, *Prænestinensis*, & *Albanensis*; sed inter eos non computandus hodie *Veliternus* Episcopus, ab eo tempore quo *Eugenius III. Ostiensi Veliternum* univit Episcopatum.

Sicut ergo septuaginta seniores illi à plebe Israelitica selecti, tria in Synagoga cum Moyse præstabant munia; videlicet 1. provocationes ad eum directas judicabant. 2. De causis majoribus ad eum pariter delatis decidebant. Et 3. ea quæ ad Deum, Deique cultum spectabant, soli cum eo decernebant; ita & in Ecclesia Christi Cardinales hæc ferè eadem cum Romano Pontifice resolvunt & judicant, quos ideò S. Bernardus *Seniores populi, & orbis Judices* vocat; eaque munia omnia faciliùs ut obire possint & expeditiùs, varias in Congregationes, sive classes pro rerum tractandarum varietate, solent Cardinales distribui.

Cardinalium Congregationes variæ.

Congregationes variæ. 1. *Sancti Officii*, seu *Inquisitionis* Congregatio dicitur, rebus Fidei prospiciendis occupata, à *Paulo III.* erecta, & à *Paulo IV.* confirmata, cui interesse solent selecti Cardinales aliqui, cum doctis & eruditis viris aliis, consilii, consultationisque gratia; haberique solet die Mercurii coram Cardinalibus præfatis, & die Jovis sequenti coram Summo Pontifice, cui referuntur omnia die præcedenti digesta negotia.

2. *Signaturæ gratiæ* Congregatio vocatur, à *Pio IV.* erecta, cui solent interesse cum Summo Pontifice plures Cardinales, Prælati multi, & qui causas proponant & explicent Referendarii.

3. *Signaturæ justitiæ* dicta est, cui intersunt pariter cum Cardinalibus nonnullis plures alii ut opinentur Prælati, & ut proponant Referendarii.

4. *De propaganda Fide* Congregatio dici solet, à *Gregorio XV.* instituta an. 1622. Sicque ideò dicta, quia Fidei per varias virorum Apostolicorum Missiones dilatandæ destinata; haberique solet apud antiquiorem è Cardinalibus.

5. est illa quæ *de Concilio* dicitur, quia ad explicandum, & executioni mandandum sacri Concilii Tridentini textum occupata; soletque pariter apud antiquiorem Cardinalem haberi.

6. *de Episcopis & Regularibus* vulgò dici solet, quia in causis Episcoporum & Regularium decidendis intenta; haberique solita quolibet die Veneris non impedito, Præside, pro more, Cardinalium antiquiore.

7. *Sacrorum Rituum*, seu consuetudinum & cæremoniarum Ecclesiæ; & hæc est ea, in qua præsertim agitur de Sanctorum Canonizatione; soletque semel in mense apud Præsidem Cardinalem haberi.

8. *de Indice Librorum prohibitorum* Congregatio vulgò dicitur, quia circa Libros, qui imprimi debent, corrigendos vel censura notandos occupata; & pro temporum exigentia apud Cardinalem Præsidem haberi solita.

9. *de Episcoporum examine* nuncupatur, quia pro examinandis ad Episcopatus Italiæ promovendis viris destinata, cui interesse consuevere cum Summo Pontifice Cardinales decem, multi Regulares, & viri literatissimi alii.

10. *De rebus & causis Consistorialibus* appellatur, quia in ea de his præsertim agitur, quæ Summi Pontificis nomine remitti solent ad Cardinales, ut nominationes ad Episcopatus & Abbatias, aliaque similia.

11. *De immunitatibus Ecclesiasticis* Congregatio instituta ab *Urbano VIII.* haberique solet pro temporum exigentia, apud Cardinalem antiquiorem.

12. *De Indulgentiis* Congregatio dicitur, & huic solent interesse quinque aut sex Cardinales, cum uno vel duobus Prælatis.

Sunt & aliæ nonnullæ minùs præcipuæ, ad politiam & temporalem statum spectantes, præter tribunal *Apostolicæ Cameræ*, cui interesse solent Cameræ Clerici, cum Camerario Cardinale Præside. Est insuper præter has omnes, Congregatio alia omnium præcipua & celeberrima, post Summi Pontificis obitum convocari solita, quæque vulgò dici solet *Conclave*.

Cardinalium Conclave.

Licèt Cardinalium *Conclave* vulgò dici soleat celebris illa Vaticani aula, sive locus in quo decimo die post Summi Pontificis obitum recluduntur Cardinales, ad novam novi Pontificis electionem celebrandam: nihilominus *Conclave* dicitur, etiam ipse Cardinalium cœtus, hoc in loco sic ad eligendum Pontificem reclusus, nec inde exiturus, ex *Gregorii X.* decreto, nisi post novum Pontificem electum. Cum enim *Clemente IV.* vita functo, Sedes vacasset tres ferè per annos, hoc est, per biennium & menses novem, eò quòd non convenirent de Successore Cardinales; cùmque tandem, favente Deo, Theobaldus Archidiaconus Leodiensis fuisset electus, dictusque deinceps *Gregorius X.* & de quo fertur lepidè dictum à Joanne Portuensi Cardinali: Conclave.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

Ille paulò pòst, Lugdunense II. convocavit generale Concilium, in quo inter memoranda alia, hoc celebre Cardinalium Conclave decrevit, ad maturandum Summi Pontificis electionem, & providendum ne in posterum tandiu vacaret mater Ecclesiarum Sedes Romana.

Hujusce *Conclavis* de jure Præses est Cardinalium Decanus, & Decanus Cardinalium is est, qui ex ordine Episcoporum Cardinalis antiquior est, quisquis ille sit, sive *Ostiensis*, sive *Portuensis*, *Albanus*, vel alius; non antiquior absolutè, sed antiquior ex præsentibus in Urbe, dum contingit Decani Prædecessoris obitus, vel ejus ad supremum Pontificatum per electionem ascensus, ut constat ex speciali decreto *Pauli IV.* anteà Cardinalis Carrafæ, & sacri Collegii Decani, & è Collegii Decano in Summum Pontificem electi: quo decreto provisum est ac determinatum, ut is in posterum Cardinalis sacri Collegii Decanus foret, non qui antiquior absolutè esset, sed qui antiquior esset ex præsentibus in Urbe Cardinalibus Episcopis, dum contingeret mori, vel ad supremum Pontificatum evehi Decanum; & reipsa in hujus executionem decreti, primus omnium sacri Collegii Decanus, & Ostiensis Episcopus, fuit *Joannes Bellayus*, Gallicè *du Bellay*, anteà Portuensis Episcopus, quia antiquior fuit ex præsentibus Cardinalibus Episcopis, dum sacri Collegii Decanatus vacare cœpit per electionem ipsius Cardinalis *Carrafa* in Summum Pontificem, licèt non absolutè antiquior esset; illo siquidem antiquiores erant Cardinalis Ludovicus Borbonius Episcopus Prænestinus, & Franciscus Cardinalis Turnonius Episcopus Sabinus, qui ab Urbe procul aberant, dum è Decano in Summum Pontificem electus est Cardinalis Carrafa, anno videlicet 1555.

Cardinalium prærogativæ variæ.

Prærogativæ variæ.

Inter varias & insignes Cardinalium prærogativas censeri convenit,

1. Quòd hi soli Summum Pontificem eligant ab eo tempore, quo in tertio Lateranensi œcumenico Concilio, sub *Alexandro III.* Romæ habito, anno 1179. exclusis omnino Clero, Imperatore, & populo ab electione Sum- 1. Quòd eligant Summum Pontificem.

Summorum Pontificum, totum jus illos eligendi translatum est ad solum Cardinalium Collegium, ibique pariter statutum, ut duæ tertiæ Cardinalium partes pro electione convenirent, aliàs non valeret electio; idque ita decretum occasione *Octaviani* Pseudo-Pontificis, & de Papatu contendentis cum ipso *Alexandro III.* vero ac legitimo Summo Pontifice, utpote quia à 17. Cardinalibus electo, dum *Octavianus* duorum dumtaxat niteretur Cardinalium suffragio, & Friderici Imperatoris potentia & auxilio. Sed tandem postquam satis utrinque pugnatum, victo Imperatore, & extincto schismate, Concilium Lateranense III. convocavit Alexander; in quo inter alia, hoc præsertim decretum est Canone 1. ut nullus deinceps ut verus haberetur & legitimus Summus Pontifex, nisi esset à duabus tertiis Cardinalium partibus electus.

2. Quòd illum eligant de solo Cardinaliū Collegio.

2. Alia est Cardinalium prærogativa, non solùm quòd soli Summum Pontificem eligant, sed quòd illum de ipso solo Cardinalium Collegio teneantur eligere, ex decreto alterius Concilii longè antiquioris, Romæ pariter habiti anno 769. sub *Stephano IV.* cui interfuere 12. selecti Galliæ Præsules, ad providendum de forma in Summi Pontificis electione servanda, & damnandum temerarium *Constantini* Pseudo-Pontificis factum, qui ex Laico per vim & contra jus omne, ope *Desiderii* Longobardorum Regis, Summum Pontificatum invasit, & fraudulenter, nulla Canonica servata forma, ab Episcopo Prænestino consecratus, ut Pontifex apparuit contra *Paulum I.* legitimum Pontificem: quod ne in posterum præsumerent Laici, hoc in Concilio decretum est, ut nullus deinceps eligeretur in Papam, nisi gradatim Diaconus, vel Presbyter esset inauguratus; seu, *ut in Apostolatus culmine unus è Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconus consecretur*; quamvis id non semper reperiatur observatum: multi siquidem fuere in Summos Pontifices posteriùs electi, nec tamen de Cardinalium Collegio sumpti, quales inter alios fuere *Silvester II.* natione Gallus, Gerbertus Aurelianensis anteà dictus, anno circiter 999. *Leo IX.* anteà Bruno urbis Leucorum Episcopus, anno circiter 1049. *Urbanus II.* anteà Odo Castiloneus, anno 1088. *Urbanus IV.* Trecensis, anno 1261. *Clemens V.* anteà Bertrandus de Gouth, Burdigalensis Archiepiscopus, an. 1305. *Urbanus* pariter *V.* anteà Guillelmus Grimoardus Mimatensis, an. 1362. & denique *Gregorius X.* anteà Theobaldus Archidiaconus Leodiensis; qui omnes veri fuere Summi Pontifices, nec tamen usquam anteà Cardinales.

3. Quòd à solo creentur Summo Pontifice.

3. Sicut solis Cardinalibus competit hodie Summum Pontificem eligere, ita & Cardinales creare soli competit Summo Pontifici, ut nullus alius, imò nec ipsum sacrum Cardinalium Collegium Cardinalem unum creare possit vacante Sede; & ratio est, quia Cardinalium creationem sibi Summus Pontifex reservavit, licèt putent nonnulli cum *Jacobatio*, Concilium generale posse, dum necessitas postulat, unum aut alterum Cardinalem creare, quamvis nullibi, quod noverim, id reperiatur factum.

4. Quòd ceteros præcedant Ecclesiæ Prælatos.

4. Insignis inter Cardinalium prærogativas pariter est, quòd post Summum Pontificem, alios quoscumque præcedant hodie Ecclesiæ Prælatos, sive Episcopos, sive Archiepiscopos, sive Patriarchas; quod præcedentiæ jus Cardinalibus competere definitum est ab *Eugenio IV.* Summo Pontifice, & in confirmationem adducuntur duo Lugdunensia œcumenica Concilia, in quibus reipsa præcessere Cardinales, alios quacumque fulgentes dignitate Prælatos, sicut & in Florentino ipso, in Lateranensi quinto, ac demum in Tridentino œcumenicorum ultimo.

Cer-

Certum tamen esse non diffiteor, primis Ecclesiæ sæculis Cardinales non fuisse æquiparandos Episcopis, sed multò inferiorem fuisse Cardinalium dignitatem Episcopali, ipsosque Episcopos in Synodis immediatè post Papam, & ante Cardinales non Episcopos fuisse subscribere solitos, usque ad tempora *Nicolai II.* ad supremum Pontificatum evecti anno 1059.

Dicet forsan aliquis, *Philippum* S.R.E. Presbyterum & Cardinalem, Legatumque Summi Pontificis, in prima Ephesina Synodo contra Nestorium subscripsisse ante duos alios Legatos celebres, licèt Episcopos, *Projectum* videlicet & *Arcadium*. Ergo tunc, hoc est, anno 431. Cardinales præcedebant Episcopos. Sed resp. permisso ant. neg. conseq. Ratio est, quia *Philippus* non subscripsit ante illos Episcopos, ut Cardinalis, sed ut Legatus; nec ut Legatus vulgaris & externus, quales erant *Arcadius* & *Projectus*, sed ut Legatus particularis & internus, deferens internam Summi Pontificis mentem, ac proinde ut Primarius Summi Pontificis Legatus; duo quippe mitti solebant olim Legatorum genera ad Orientalia œcumenica Concilia, ut eruditè notat Eminentissimus Cardinalis *Perronius* in libro *Replicæ* ad majoris Britanniæ Regem; alii siquidem ex ordine Episcoporum desumpti mittebantur Legati, ad repræsentandum Occidentalis Ecclesiæ Corpus; alii verò è particulari Romanæ Ecclesiæ Clero Diaconi, vel Presbyteri, ad exponendam particularem & internam Summi Pontificis mentem; illi dicebantur externi, isti verò interni & Primarii. *Philippus* autem hoc in Ephesino Concilio I. internus erat, deferens internam Summi Pontificis mentem; *Projectus* verò, & *Arcadius* externi dumtaxat erant Legati; ac proinde non mirum, si *Philippus* subscripserit ante illos celebres, licèt Episcopos. Quoad Laicos verò Principes, usus pariter invaluit in Italia, ut præcedantur à Cardinalibus; unde est quòd *Mauritius* Cardinalis à Sabaudia *Emmanuelem* Sabaudiæ Ducem, patrem licèt suum, ac Pedemontanum Principem antecedebat olim, ut Cardinalis; & inde creditur ortum, ut vix nolit hodie Sabaudiæ Dux quemquam è suis ad Cardinalatum evehi subditis.

5. Nec solùm Cardinalibus competit hodie, quòd reliquos præcedant Ecclesiæ Prælatos, sed & quòd soli dicantur *Eminentissimi*, idque ex speciali Urbani VIII. Summi Pontificis decreto anni 1630. quo sancitum est, ut nulli alii *Eminentiæ* titulum usurpare præsumant, exceptis Cardinalibus, tribusque Imperii Electoribus Ecclesiasticis, magnoque Ordinis S. Joannis Jerosolymitani Magistro; teneanturque omnes, præter Imperatorem & Reges, hos titulos *Eminentissimi* & *Eminentiæ* Cardinalibus tribuere; quod decretum statim executioni mandarunt omnes Italiæ Principes, hosque *Eminentissimi* & *Eminentiæ* titulos Cardinalibus tribuere cœperunt, excepta Serenissima *Venetorum* Republica, contendente se non teneri sicut nec Reges, hos novos Cardinalibus tribuere titulos, ob Regna suæ ditioni subdita; & ea ratione satisfactum fuit à Summo Pontifice Venetorum Reipublicæ, ut juxta morem antiquum Cardinales salutaret, nec tribuere teneretur eis hos novos *Eminentissimi* & *Eminentiæ* titulos.

5. Quòd dicantur Eminentissimi.

6. Distinguuntur insuper Eminentissimi Cardinales à cæteris Ecclesiæ Prælatis, nedum in præcedentia, & denominationis titulo, sed etiam in externo corporis ornatu; donantur enim pileo rubro sibi ab *Innocentio IV.*

6. Quòd pileo utantur rubro.

in

in signum constantiæ, & sanguinis, si opus sit, pro fide fundendi, concesso in primo Lugdunensi œcumenico Concilio, in pervigilio Nativitatis an. 1245. eisque ab eodem Summo Pontifice datum, ut equo veherentur in Urbe; anteà siquidem pedites incedebant. Hunc autem rubrum capitis ornatum ita Cardinalibus proprium esse voluit *Paulus II.* longè pòst, anno circiter 1464. & sui Pontificatus 1. ut publico decreto sanciverit, ne quis pileo ornaretur rubro præter Cardinales, quibus insuper concessit coccinei coloris pannum, quo equos vel mulos ornarent suos, dum equitarent.

Sunt & multò plures, ac insignes aliæ Cardinalium prærogativæ, in quas excurrere singulas non sinit nostri Apparatus brevitas.

Forma claudendi, vel aperiendi Cardinalibus ora.

Formula claudendi & aperiendi Cardinalibus ora.

Hìc denique animadvertas velim, quòd his omnibus titulis, honoribus atque prærogativis quamvis insigniti sint Cardinales recenter electi; his tamen in consistorio, vel in consilio cum aliis loqui & opinari nondum esse permissum, donec illis Summus Pontifex os aperuerit. Forma autem claudendi & aperiendi Cardinalibus os, hæc est:

In primo consistorio Summus Pontifex novis Cardinalibus inhibet, ne quid tum in consistorio, tum in consiliis loqui præsumant, quousque de aliorum Cardinalium sententia os illis aperuerit; in sequenti verò consistorio, vel in tertio omnibus Cardinalibus congregatis, & simul sedentibus & antiquis & novis, Summus Pontifex ad novos conversus, eos exire jubet, egressique expectant, donec antiqui de aperiendo illis ore fuerint opinati; si consenserint, advocantur novi, jubenturque suo sedere in loco, quos deinde stantes paternè instruit Summus Pontifex de modo, quo se gerere debeant in consistorio, domi, publicè, & in omnibus servandam esse modestiam atque prudentiam addens, finemque dicendi facit his verbis: *Aperimus vobis os tam in Collationibus, quàm in Consiliis, atque in electione Summi Pontificis, & in omnibus actibus tam in consistorio, quàm extrà, qui ad Cardinales spectant, & quos soliti sunt exercere, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Eosdem tamen, ex sola ad Cardinalatum promotione, jus habere suffragii in Summi Pontificis electione, licèt eis nondum apertum fuerit os, colligitur ex facto Cardinalis Cluniacensis, qui nec locum habens in consistorio, nec titulum, eique licet non fuisset apertum os, interfuit tamen *Urbani V.* Summi Pontificis electioni, post Innocentii VI. Prædecessoris obitum, anno 1363.

ARTICULUS XIV.

De clarioribus vitæ Summorum Pontificum Scriptoribus.

Clariores vitæ Summorum Pontificum Scriptores.

Quia non parum proderit, vitæ Summorum Pontificum historiam scire, ad noscenda cætera alia de illorum gestis, dictis, vel decretis scitu necessaria; ideò, qui consulantur interdum Auctores, hìc subjiciuntur clariores, qui Summorum Pontificum scripsere vitas, quos inter claruere præcipui,

Anastasius.

1. *Anastasius* Abbas, & S. R. E. Bibliothecarius, vir Græcè & Latinè doctus,

doctus, vivens nono cadente sæculo; qui primus omnium tentans Romanorum Pontificum describere vitas eruit è Bibliothecæ Romanæ scriniis recondita multa, & Librum de vitis Summorum Pontificum à *Petro* ad *Nicolaum* primum usque texuit, quem *Pontificalem* inscripsit.

2. *Frodoardus Rhemensis* Canonicus, qui paulò pòst, *Anastasium* imitatus, decimo sæculo easdem SS. Patrum vitas à *Petro* ad *Leonem VII.* scripsit, sed non eodem modo, nec oratione soluta, sed stricta & metrica, satis licèt invenusta. Frodoardus.

3. *Baptista*, vel ut placet aliis, *Bartholomæus Platina*, Italus natione, & patria Cremonensis, vir eruditione & eloquentia clarus, Vaticanæque Bibliothecæ à *Sixto IV.* Romano Pontifice præpositus, qui de vitis Summorum Pontificum à *S. Petro* ad *Paulum II.* texuit Librum, ipsique Romano Pontifici *Sixto IV. Pauli II.* Successori dicavit; sed hoc in Libro, quamvis per orbem satis noto, non satis Auctor ille fidelis & verax, nimisque propensus ad notandos Summorum Pontificum nævos, multisque aliis scatens ipse hallucinationibus & mendis, eoque præsertim fœdissimo laborans vitio, quòd illius sæpè quam describit, quasi oblitus vitæ, in alienam, & ad rem non pertinentem excurrat materiem, raptus è vivis anno circiter 1484. Platina.

4. *Augustinus Trivultius* Mediolanensis, S.R.E. Cardinalis, vivens anno circiter 1514. qui pariter à *Petro* ad *Paulum III.* Romanorum Pontificum texuit historiam, qua etsi nondum typis credita, sed solùm manuscripto mandata, se non parum fatetur adjutum *Onuphrius Panvinius*, in suo de iisdem Pontificum vitis texendo Libro; fuit enim Trivultius.

5. *Onuphrius Panvinus* natione Italus, patria Veronensis, & professione Ordinis S. Augustini, qui notas addidit non spernendas ad Romanorum Pontificum vitas à *Platina* descriptas, & sequentium ipse Pontificum attexuit historiam ad *Paulum IV.* usque, cum hoc præfixo titulo: *Epitome Pontificum Romanorum à S. Petro ad Paulum IV.* in qua totus est in variis Conclavium narrationibus, aliisque recensendis, quæ ad electionem, vel gesta Summorum Pontificum spectant, vel ad Cardinalium creationem, & insignia pertinent. Obiit anno 1568. ætatis suæ 34. Onuphrius

6. *Papinius Masso*, Parisiensis Patronus, & *Onuphrio* coævus, qui de eorumdem Romanorum Pontificum vitis, à *Petro* ad *Paulum IV.* texuit pariter Librum unum, cum hoc præfixo titulo, *De Episcopis Urbis*; sed titulo non satis respondet Liber ille, cùm de Romanorum Pontificum vitis pauca dicat, omittat necessaria, & excurrat ad superflua. Masso.

7. *Alfonsus Ciaconius* natione Hispanus, & professione Ord. FF. PP. & Patriarcha titularis Alexandrinus, vir in re historica non leviter versatus, qui præter *duodecim Gregoriorum Summorum Pontificum gesta, tractatum de liberatione animæ Trajani à S. Greg. & tractatum alterum de S. Hieronymi Cardinalitia dignitate, scripsit insuper Summorum Pontificum vitas, à Petro ad Innocentium VIII.* post vetustissimos evolutos codices, antiqua explorata monumenta, & lustratas Bibliothecas Urbis universas: quo in opere arguitur à nonnullis in hoc, quòd non solùm promissas tangat Pontificum vitas, sed & Cardinalium gesta referat & insignia, aliaque ad rem non pertinentia passim attingat Imperatorum gesta, eaque fusiùs discutiat quàm deceret: sed venia donandus in hoc, quòd opere nondum reviso, & ultima exculto manu, obierit Romæ anno 1599. quodque deinde ejus post obitum fuit luci publicæ datum anno 1601. Ciaconius.

8. *Pa-*

Galtruchius. 8. *Pater Galtruchius*, Societatis Jesu Scriptor eruditus, qui nostris diebus, post Historiam sanctam breviter & Gallicè descriptam, scripsit & eadem lingua *vitas Summorum Pontificum à S. Petro ad Clementem X.* anno circiter 1673.

Duchenius. 9. *Andreas Duchenius*, Gallicè *Duchêne*, vir natione Gallus & Galliæ Historiographus eruditus, qui Summorum Pontificum historiam, & sub iis notabiliora gesta scripsit idiomate Gallico à *S. Petro* ad *Innocentium X.* usque; obiitque anno 1655. quod posteà defuncti Patris opus revisit, & eorumdem Summorum Pontificum Imaginibus & Epitaphiis exornavit, simulque tunc cum iisdem regnantium Imperatorum, ac Galliæ Regum nominibus ditavit & auxit filius ejus Franciscus Duchenius, in suprema Parisiensi Curia Advocatus, & Galliæ pariter Historicus egregius.

Godoreus. 10. *Jacobus Godoreus* natione Vasco, patria Neracensis, & professione Congregationis Doctrinæ Christianæ Scriptor, ingenio, zelo & eruditione laudabilis, vir miræ facundiæ, floridæ literaturæ, & pietatis eximiæ, Poeta, Orator, & Historicus egregius, qui, inter alia opuscula varia, præter editum Librum unum, (ad imitationem *Valerii Maximi* Romani Oratoris & Philosophi) de illustribus in Ecclesia dictis ac gestis, in virtutum vel vitiorum exempla datis, cum hoc præfixo titulo, *Valerius Ecclesiasticus*; scripsit insuper vitæ *Mirandorum*, hoc est, Paparum seu Summorum Pontificum historiam à *Petro* ad *Innocentium XI.* usque: omnium ultimus quidem, sed multò accuratiùs, multòque fusiùs, elegantiùs & veriùs, quàm quotquot de iis hactenùs egere Scriptores eruditi. Scribere desiit Tolosæ, ubi clausit Libros, & vitam Cœlo dignam anno 1692.



M E.



METHODICUS
AD
POSITIVAM THEOLOGIAM APPARATUS.



LIBER SEPTIMUS.

De præcipuis in Ecclesia subortis hæresibus.



UIA non satis est Theologiæ Candidato, puros invenisse Theologiæ fontes, & Orthodoxos sanæ doctrinæ nosse Magistros; sed debet insuper fidei, Christique fideli gregi nociva prævidere pascua, & Pseudo-Magistros, venientesque in vestimentis ovium rapaces fugere lupos; ideò breviter hic & cursim in hoc ultimo nostri Apparatus libello, varios in articulos distributo, præcipui qui diversis temporibus, & circa diversas fidei Catholicæ materias emersere, notandi sunt cum suis hæresibus Hæretici; eaque methodo, ut ad faciliorem Candidatorum usum, juxta tractatuum Theologicorum ordinem, in primo notentur articulo hi qui circa Deum unum in essentia; in secundo qui circa Deum ut trinum in personis; in tertio qui circa Deum, ut Angelorum hominumque Creatorem; in quarto qui circa Deum, ut gratiæ largitorem; in quinto qui circa Deum, ut principium, & ultimum actuum humanorum finem; in sexto qui circa Deum, ut Legislatorem; in septimo qui circa

Deum

Deum Incarnatum; in octavo hi qui circa sancta Ecclesiæ Sacramenta, sive circa Deum ut Sacramentorum Auctorem; in nono denique & ultimo depingantur hi, qui erravere circa S. Deiparam Virginem, Sanctosque in Cœlo cum Christo regnantes alios.

ARTICULUS PRIMUS.

De præcipuis circa Deum unum hæresibus.

Circa Deum unum erarunt præsertim

QUamvis *signatum sit super nos lumen vultus tui, Domine*; quamvis *invisibilia Dei per hæc, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur*. Quamvis clamet Augustinus, *an vivam, dum vivo; sed non an Deus sit dubitare audebo*. Quamvis, teste sancto Gregorio, *omnis homo, eo ipso, quo rationalis est conditus, debeat ex ratione colligere, eum qui se condidit, Deum esse*. Et quamvis denique Dei existentia sit omnibus ratione utentibus ita nota, ut non possit invincibiliter ignorari, nec ab ulla quantumvis ferrea, rudi ac barbara gente, nisi desipiendo, & in corde negari: fuere tamen apud antiquos nonnulli ultimæ impietatis, & nullius religionis viri, tibi benevole Theologiæ Candidate, inprimis, & ante Hæreticos quoscumque, in hujus de Deo uno tractatus limine vitandi, videlicet *Athei, Deistæ, Polytheistæ* varii, & alii circa Dei naturam, vel unitatem errantes, sive Gentiles Philosophi, sive hæretici, ut *Anthropomorphitæ*, sive *Audæani*; & alii, quos ut secernere valeas alios ab aliis, & plenis fugere velis omnes, hæc de singulis disce, & primò

De Atheis.

Athei.

Athei dicuntur hic à nobis viri illi quicumque fuerint, qui insipientes in corde suo, Deum nullum esse dixere; unde *Atheistæ*, sive *Athei*, id est, sine Deo, vulgò nuncupati, qualis fuisse fertur *Diagoras* Atheniensis Philosophus, cognomento *Atheus*, eoque nomine Athenis ab Atheniensibus ejectus; qualis & *Theodorus* pariter Philosophus, Zenonis primùm, deinde Pyrrhonis discipulus; quales & *Callimachus*, *Lucianus*, *Lucretius*, *Doletus* & alii, quibus licèt longè recentior addendus & *Lucillus*, vir natione Italus, domicilio vagus, religione nullus, sed professione insignis *Atheus*, qui post suum disseminatum per varia Galliarum loca, ex Italia delatum Atheismum, tandem Tolosæ captus, accusatus & convictus, religioso & æquo Augusti Senatus decreto, vivus comburi jussus anno Domini 1619. Februariique mensis die 9.

Et meritò ad mortem comburi jussus; indignus enim vita, quisquis Deum vitæ Auctorem negat, quem ipsa naturalis ratio demonstrat, quem orbis universus indicat: ipse enim mundus universus continens omnia, scientiam habet vocis Atheos quoslibet impugnantis, & sui Auctorem existere aliquem, Rectoremque primum, ac proinde Deum esse clamantis: in illo siquidem mirabili, vastoque mundo, quasi in aperto rerum omnium Libro, Cœli enarrant gloriam Dei, pulchritudinem ejus Sol & Luna mirantur, benedicunt omnia opera Domini Domino, in ipso quasi vocalia clamant omnia: Ipse fecit nos: in eo omnis natio quantumvis barbara, omnis homo quantumvis inhumanus & ferus, incultus & hebes, sive Gentilis,

tilis, sive Judæus, sive Latinus, sive Græcus, Afer & Scytha, Indus & Danus, à mari ad mare, nobilis & ignobilis, pius & impius, ipse quoque quantumvis perditus, & Dei inimicus *Atheus* in vitæ extremis, in periculo mortis positus, ad Deum recurrit, Deum invocat & inclamat, & sic invocando, dari Deum quem antè negabat, naturaliter & manifestè probat. Unde est quòd *Tertullianus* Dei existentiam ex ipsius animæ testimonio Deum naturaliter nominantis ostendens, exclamet dicens: ***Deus magnus, Deus bonus, & quod Deus dederit omnium vox est..... O testimonium animæ naturaliter Christianæ!***

De Deistis.

Deistas vocamus eos alios quoscumque si qui sint sine lege, sine pietate & sine religione viros, qui circa Dei existentiam ita errant, ut ab Atheis in hoc differant, quòd Deum quidem existere teneant, & hoc solùm *quòd existat*, de illo necessariò credendum asserant; Deum verò ipsum colendum quidem, sed colendi modum unicuique liberum, & solo rationis lumine definiendum esse dicant; unde *Deistæ*, *Libertini*, *Indifferentes* & *Philosophi* vulgò nuncupati. *Deistæ* quidem vocantur, quòd Deum existere, & nihil aliud necessariò credendum asserant; *Libertini* verò, quòd modum colendi Deum ex libero uniuscujusque pendere velint arbitrio; *Indifferentes*, eò quòd consequenter asserant, Religiones omnes ita indifferentes esse, ut quemlibet in qualibet salvari posse doceant; *Philosophi* denique, quòd Religionem philosophando, hoc est, solo rationis lumine discurrendo, definiendam & eligendam esse contendant; seu quòd solam religionem naturalem, & nullam revelatam agnoscant. *Deistæ,*

Quæ omnia cùm reprobet, detestetur & damnet Christi Religio nostra, tot Prophetis & Sanctis divinitùs revelata, tot miraculis confirmata, tot sanctorum Martyrum sanguine signata, tot credibilitatis motivis aliis persuasa; reprobare consequenter debet & fugere Theologus, & dicere cum Paulo Apostolo ad Ephesios, cap. 4. vers. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, &c.* Si ergo ex Apostolo *una sit fides*, sine qua impossibile est placere Deo, consequenter una est fides, sine qua salutem consequi potest nemo. Si una fides, ergo non multæ, ergo non alia & alia, nec ad salutem indifferens quælibet dicenda, sed quærenda & tenenda illa una; eaque quærenda, non argumentis & philosophando cum Philosophis, sed divinis adhærendo Scripturis, cùm dicat S. Ambrosius lib. de fide cap. 5. *Removenda sunt argumenta, ubi quæritur fides. Credimus piscatoribus, non dialecticis*, seu Philosophis & hominibus vanis secundùm vana & fallacia mundi elementa philosophantibus: & moneat insuper Paulus Apost. illud idem, dum ad Coloss. cap. 2. vers. 8. dicat; *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi*, hoc est, per Philosophiam illam, quæ non est à Deo revelata & inspirata, nec secundùm revelata procedens principia; sed quæ est ab hominibus vanis, & secundùm fallacia procedens veterum Philosophorum principia, qualia sunt v. g. trita ista veterum Philosophantium axiomata, elementa, sive principia.

1. *Ex nihilo nihil fit.*
2. *A privatione ad habitum non datur regressus.*

3. *Accidentis est inhærere subjecto.*
4. *Omnis substantia maximè rationalis est per se subsistens.*
5. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

Hæc enim trita veteris Philosophiæ principia, licèt in naturalibus vera, in supernaturalibus tamen inania sunt, vana ac fallacia : Ex primo enim tollitur mundi creatio : Ex secundo corporum resurrectio, Christique miraculorum veritas, quibus cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum restituit, &c. Ex tertio nutat veritas Corporis Christi in Eucharistia : Ex quarto impetitur Mysterium Incarnationis, & unionis hypostaticæ Verbi; & ex quinto denique eliditur sanctissimæ Trinitatis mysterium : ergo non à Philosophia, sed à Christo, & Ecclesia quærenda est, & definienda supernaturalis & Catholica fides ac religio nostra.

De Polytheistis.

Polytheistæ, quorum — *Polytheistæ* hìc dicuntur à nobis, hi omnes cæcæ antiquitatis, sive Gentiles, sive Judæi, sive hæretici viri, qui sibi pro arbitrio plures finxere Deos; unde *Polytheistæ* meritò vocati, suntque ita varii, & numero multi, ut vix numerare quis possit omnes : nam

Alii *Gentiles*, ut — *Polytheistæ* fuere hi omnes, quotquot olim *Saturno, Jovi, Marti, Soli, Veneri, Mercurio, Lunæ, aliisque* similibus, sibi ad placitum confictis litabant numinibus; quales hi fuere, qui omnium primi *hastas, ligna*que corticibus nudata pro Diis venerari cœpere : unde à Romanis hæc religio fluxit olim, ut singulis Deorum simulacris *hastas* darent.

Indi. — Quales *Indi*, qui maximas arbores pro Diis adorabant, easque ferro violasse, capitale crimen esse tenebant.

Persæ. — Quales *Persæ & Massagetæ*, qui Deos *Cœlum & Jovem*, *Solem* verò Deum maximum esse putabant.

Quales antiqui Gallorum *Druidæ*, qui *viscum* ex querna arbore natum, ut numen habebant.

Ægyptii. — Quales *Ægyptii*, qui modò *Apim*, modò *Isim*, & *Osiridem*, modò *Serapim*, ut Deos antiquitùs venerari solebant.

Quales & alii, apud eosdem Ægyptios, qui aves, serpentes, feles, crocodilos, imò allia, cepe, porros & herbas, aliaque his longè viliora pro diis coluisse, fusè docet S. August. lib. 3. de Civit. cap. 12. & lib. 4. cap. 10. & seqq. ac iterum lib. 18. cap. 15. unde *Juvenalis* Satyr. pen. Ægyptios, quòd porrum & cepe colerent ut numina, sic Poeticè ridet:

> *Porrum & cepe nefas violare, & frangere morsu.*
> *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis*
> *Numina!*

Arabes. — Quales adhuc apud Gentiles fuere *Arabes*, qui *Jovi* & *Baccho*; *Numidæ*, qui *Ammoni*; *Scythotauri*, qui *Dianæ*; *Laodicei*, qui *Palladi*; & *Phœnices*, qui *Saturno* litabant.

Quales denique dici possunt & alii varii cæcæ antiquitatis Philosophi, qui tam varia & tam insulsa de primo rerum omnium principio inveniuntur ventilasse figmenta, ut mihi videantur Andabatarum more locuti; censuit enim *Thales Milesius* aquam rerum omnium principium esse; *Anaximenes* verò aera, quem non à Diis, sed Deos ex eo productos ajebat;

Croto-

Crotoniates Solem, Lunam, & Sidera; *Empedocles* quatuor elementa; *Socrates*, *Plato*, & *Xenophon* Cœlum & Solem; *Heraclitus* ignem: ex quo omnia fieri, & in quem omnia resolvi somniavit; & alii varii, qui varia alia insulsa & rationi dissona docuere figmenta.

Sed hi omnes, sive antiqui, sive recentes Philosophi, quia *meditati sunt inania*, & de primo rerum omnium principio, ac consequenter de Deo *locuti sunt falsa*, ideò nec de Deo, nec de religione, de suo differentes audiendi; sed soli Prophetæ, aliique Scriptores sacri, qui *non nisi à Spiritu Sancto inspirati*, *locuti sunt sancti Dei homines*; qui omnes unanimi voce clamant, hæc omnia visibilia mundi entia, Dei creaturas esse, ac proinde nullum ex his Deum dici posse, quem nemo vidit unquam, sed nec videre potest. Audiendi post Scriptores sacros, non hi qui de foris sunt, & profani; sed Sancti Ecclesiæ Patres, & inter illos præsertim *Augustinus*, dum in Psalmum 85. ait: *Terram cogitas, non est hoc Deus; omnia cogitas quæ sunt in terra, in mari, & in Cælo, non est hoc Deus: hoc solùm possum dicere quòd sit, non quid sit.* Et benè: quid enim sit Deus, scire potest creatura nulla; & si sciret, Deus esset; Deum enim nemo novit, nec quid sit, propriè scire potest; quamvis tamen, sicut per nubes, Solis lumen; ita per creaturas, Deum aliquatenus cognoscendo & describendo, dicamus Deum esse id, quo nihil melius & perfectius potest excogitari; ita ut non sit ens, sed essentia; non bonus, sed bonitas; non sapiens, sed sapientia; non omnipotens, sed omnipotentia; ita ut sit rerum omnium principium & finis, utroque carens, neutro egens, utriusque parens, regnans ubique sine loco, semper sine tempore, magnus sine quantitate, totus sine partibus, immobilis movens omnia, solus super omnia, infra omnia, extra omnia, intra omnia, præter omnia, ante omnia, post omnia omnis, & ante quem tanquam nihilum omnia.

Polytheistæ apud Judæos pariter fuere multi, ut v. g. *Ranatitæ*, *Muscaronitæ*, *Musoritæ*, *Puteoritæ*, *Fortunatitæ*, *Tophethitæ*, *Molochitæ*, *Remphanitæ*, & alii. Alii *Indæi*, ut v.g.

Ranatitæ in Ægypto dicebantur olim illi, teste Philastrio Brixiensi, qui *Ranas* colebant, quas sub Pharaone, ex divina ira, Moysisque imperio, ad defatigandos & infestandos Ægyptios protulit olim Ægyptiaca tellus; existimabant enim illi, hac vana observantia, seu hoc vano ranarum cultu se iram posse placare divinam. Ranatitæ.

Muscaronitæ, sic à *Musca* & *Accaron* nuncupati, erant apud eosdem Judæos hi qui in civitate *Accaron*, muscam adorabant, seu potiùs *Beelzebub* Dæmoniorum Principem, qui erat Deus *Accaron*, dictusque muscarum Deus, à fœdo atque spurco quo colebatur muscæ sacrificio: ad quem cùm nuntios misisset *Ochozias* consulturus, num de sua qua laborabat, convalesceret infirmitate, nuntiis, jussu Angeli Domini, ab Elia Thesbite dictum legitur 4. Regum cap. 1. vers. 4. *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quam ob rem de lecto super quem ascendisti, non descendes; sed morte morieris.* Muscaronitæ.

Musoritæ dicebantur hi, qui *Mures* colebant ut Deos, ducta hujus abominandi cultus origine à Philisthinorum Principibus & Satrapis, qui, cùm propter Arcam testamenti in bello captam, ingens murium copia regionem devastaret universam, persuasi fuerant ab Allophylorum Sacerdotibus, ut pro delicto suo, divinaque placanda ira, juxta numerum Musoritæ.

Provinciarum, *quinque mures aureos facerent, quos darent Deo Israel*; sicque super plaustrum novum eamdem arcam remitterent, inde futurum rati, ut cessaret illa murium plaga; ex quo ortum est, ut mures postea maximo in honore haberi, & coli cœperint à Judæorum nonnullis, qui ideò *Musoritæ* fuere vocati.

Puteoritæ. *Puteoritæ* fuere Idololatræ illi, qui *Puteos* colebant, eosque in altum fodientes, aquam inde hauriebant, quam salutarem esse dicebant, & ex ea reipsa quid salutis spectabant; contra quos apud Jeremiam cap. 2. vers. 13. conqueritur Dominus, dicens: *Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*, salutares videlicet; non enim istæ, nec aliæ quæcumque terrestres, sed solius divinæ gratiæ, cœlestes aquæ salutares dici possunt; unde de iis quod dixerat olim per Jeremiam Dominus, jam præsens inculcat Joannis cap. 4. vers. 13. dicens: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterùm; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Fortunatitæ. *Fortunatitæ* dicebantur apud eosdem olim hi, qui *Fortunam*, sive *Cœli Reginam* adorabant, eo ducti motivo, quòd qui illam religiosè colerent, magnis sæpè incrementis se auctos ejus meritis putarent; eos verò qui minimè coluissent, vel despectui habuissent, variis fuisse afflictos incommodis crederent; ubi per Reginam Cœli, *Lunam* ab iis intelligi putat *S. Hieronymus*, eò quòd Luna hæc inferiora corpora moderetur & regat; vel *Militiam Cœli*, de qua 2. Paralip. cap. 33. vers. 3. dicitur quòd Manasses adoravit *Militiam Cœli, & coluit eam*. Id est, inquit Hieron. Solem, Lunam, cæteraque Cœli Sidera, quæ quasi milites Dei, ordinata acie incedunt, & pro Deo pugnant, vibrantque in hostes tonitrua & fulmina, cùm opus est. De Fortunatitis istis Dominus Jeremiæ cap. 7. vers. 17. loquens ait: *Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem? Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli, & libent diis alienis*; & de his iterùm ibidem cap. 44. vers. 14. & seqq.

Tophethitæ. *Tophethitæ* verò apud Judæos pariter erant Idololatræ illi, qui filios filiasque suas in holocaustum vivas offerebant in *Topheth*, id est in luco, sive silva idolo *Moloch* celeberrima, in valle filiorum *Ennom* prope Jerusalem sita, psallentibus interim Sacerdotibus altissima voce, tubisque & tympanis (unde ortum loci nomen *Topheth*, id est Tympanum) perstrepentibus, ne miserorum puerorum ejulatus audiretur à parentibus vel affinibus, quibus persuadebant infantes hac via à Diis ad æthera rapi. Contra quos Dominus non solùm apud *Ezechielem* cap. 16. sed etiam apud *Jeremiam* cap. 7. vers. 27. ait: *Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: & vocabis eos, & non respondebunt tibi. Et dices ad eos: Hæc est gens quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum. Tonde capillum tuum, & projice, & sume in directum planctum: quia projecit Dominus, & reliquit generationem furoris sui, quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam: & ædificarunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom: ut incenderent filios suos, & filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo, &c.*

Molochitæ. *Molochitæ* & *Remphanitæ* apud eosdem dicebantur hi, qui *Moloch* & Rem-

Rempham idola colebant. Significat autem *Moloch* idem quod Consiliarius, & *Rempham* idem quod Sidus illud, quod Luciferum, vel vesperum vocant, quodque dicitur Venus, septem Planetarum unus, quem Saraceni, & Saracenos imitantes Judæorum nonnulli colebant, de quibus S. Stephanus Protomartyr Actuum cap. 7. vers. 42. ait: *Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & Sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas.*

Hos inter Polytheistas recenseri possunt hæretici multi, ut *Tritheitæ, Valentiniani, Cerdoniani, Marcionistæ, Carpocratiani, Gnostici, Apellitæ, Manichæi, Severiani, Albanenses, Albigenses*, & alii, de quibus singulatim suis locis agetur infrà. Hi siquidem omnes quasi ejusdem labii, duos admittebant Deos, dum duo asserebant rerum omnium principia, bonum scilicet unum, à quo bona, & malum alterum, à quo mala prodirent omnia. Alii *hæretici* ut

Tritheitæ, hoc est, hæretici illi, qui sexto cadente sæculo, *Joannem Philoponum*, virum natione Alexandrinum, & professione Philosophum secuti, tres Personas divinas, tres dixere Deos esse, unde Tritheitæ vocati, ac proinde inter Polytheistas numerandi; & à fortiori Tritheitæ.

Valentiniani, hoc est, hæretici illi, qui ante ipsos omnes, secundo Ecclesiæ currente sæculo, *Valentinum* Ægyptium è Platonico Christianum, è Christiano hæreticum secuti, nedum duos aut tres, sed *triginta admisere Deos, sive Æonas*. Supponebat enim *Valentinus* ille, 1. ante mundum nihil fuisse præter *profundum maris*, & *silentium*, quod chaos dixere Poetæ; 2. de hoc profundo & silentio *intellectum* & *veritatem* prodiisse; 3. de intellectu & veritate *verbum* & *vitam*; 4. de verbo & vita *hominem* & *Ecclesiam*, & de homine & Ecclesia *duodecim Æonas* sive sæcula; de verbo & vita decem alias; de intellectu & veritate octo pariter alias; sicque è duobus illis rerum omnium principiis, *profundo* videlicet & *silentio*, triginta prodiisse Æonas sive Deos, & tandem è trigesimo illo sæculo, sive Deo prodiisse diabolum, & è diabolo illos alios fuisse, qui mundum istum effecere, contendit; & hanc fabulosam triginta Deorum progeniem simplicibus & imperitis ut suaderet, Christum ad illam designandam 30. annos vixisse dicebat, imò & illius meminisse Paulum ad Ephesios cap. 3. vers. ultimo dicentem, *In omnes generationes sæculi sæculorum*, cùm vox illa Græca αἰὼν idem significet ac *sæculum*. Valentiniani.

Sed contra fabulosam illam, sive Deorum, sive Sæculorum Valentini sobolem, contra impium quemcumque alium, sive Gentilium, sive Judæorum, sive Hæreticorum polytheismum pugnant ubique sacræ Scripturæ paginæ, universa Prophetarum oracula, Canonica Apostolorum scripta, sanctorum Ecclesiæ Patrum dicta, & celebrata quotquot fuere Ecclesiæ Concilia, tolerata pro Deo uno SS. Martyrum supplicia, & pugnat pro Deo uno ipsum etiam naturale rationis lumen, dictans repugnare, & prorsus impossibile esse, plures Deos esse.

1. Quia de ratione Dei est, ut sit ens omnium primum, & prima rerum omnium causa: sed repugnat ex terminis, dari plura entia, quorum quodlibet sit ens omnium primum, & prima rerum omnium causa, ut patet; nam si essent plura, nullum ex iis esset primum respectu aliorum, nec causa aliorum, ac proinde quodlibet ex illis esset, & non esset pri-

primum ens, & prima rerum omnium causa, quod repugnat & implicat; ergo & repugnat plures esse Deos.

2. Quia de ratione Dei est, ut sit ens illud, quo nihil perfectius potest excogitari, seu ens perfectissimum omnem perfectionem possibilem habens; atqui repugnat dari plura, v. g. duo entia numero diversa, quorum quodlibet sit ens perfectissimum, omnem perfectionem possibilem habens; ergo & dari plures Deos. Pr. min. Illa duo entia, qualiacumque forent, differrent inter se per aliquid, quod esset in uno, & non esset in alio; & illud aliquid, vel esset perfectio vel imperfectio; si perfectio, ergo illud ens ex iis duobus quod illa careret, non esset ens perfectissimum omnem perfectionem possibilem habens, nec consequenter Deus; si verò sit imperfectio, ergo pariter illud ens quod illam haberet, non esset perfectissimum, habens omnem perfectionem possibilem, sed ens econtrà habens imperfectionem aliquam, ac consequenter non Deus; ergo manifestè repugnat plura dari entia, quorum quodlibet sit ens perfectissimum omnem perfectionem possibilem habens; ergo & plures dari Deos, repugnare & impossibile esse patet, & unum solùm dari posse Deum sola naturalis ratio demonstrat, ac proinde meritò in polytheismum quemcumque pugnat universus sua doctrina mundus, & pugnabit in sæculorum sæcula, dicens cum Regio Psalte, Psalm. 17. vers. 32. *Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?* Et alibi: *Non est Deus noster, ut Dii eorum, qui novi, recentesque venerunt, quos non coluerunt Patres eorum; Deus autem noster unus est, Rex sæculorum immortalis, invisibilis, & solus, magnus, & laudabilis nimis, terribilis super omnes Deos, quoniam omnes Dii gentium dæmonia.*

De Anthropomorphitis.

Anthropomorphitæ.

Anthropomorphitæ, sive *Audæani*, hoc est, hæretici nonnulli quarto cadente sæculo, anno circiter 380. sub Valente Imp. & *Damaso* Rom. Pont. in Ecclesia suborti, dictique *Anthropomorphitæ* à voce græca ἄνθρωπος, Latinè significante *hominem*, & μορφὴ significante *formam*, eò quòd, si non circa Dei existentiam & unitatem errarent, in hoc tamen turpiter erraverint, quòd rustica simplicitate delusi dixerint cum *Audæo*, unde *Audæani*, sive *Audiani* vocati, viro quodam, & genere & lingua Syro: *Deum humana esse præditum forma, ac proinde corpus nostro simile, similiaque nostris habere membra*; illo ducti, sed perperàm intellecto, divinæ Scripturæ textu Genes. cap. 1. vers. 26. dicentis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: putabant enim hominem esse ad imaginem Dei secundùm corpus, ideòque Deum esse corporeum.

Quod sanè non dixissent, si attendissent ad illud Christi dicentis Joan. cap. 4. vers. 24. *Spiritus est Deus.* Si Spiritus est Deus, ergo non corporeus, nec humana habens membra, cùm dicat idem Christus Dominus Lucæ cap. 24. vers. 39. *Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*; cantetque Regius Psaltes Psalmo 144. vers. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Si magnitudinis ejus nullus sit finis, nulla illius ergo figura, nulla quantitas, nullum corpus, ac proinde propriè dicta membra nulla, quamvis ei interdum tribuantur metaphorica plura, de quibus in secundo Libro actum est suprà.

A R-

ARTICULUS II.

De præcipuis circa Deum Trinum hæresibus.

Quotquot diversis temporibus fremuere divinæ Trinitatis hostes & impugnatores blasphemi, licèt numero multi, fuere tamen omnes vel *Gentiles*, *Judæi*, vel *Hæretici*. De Gentilibus & Judæis agemus infrà, ubi de præcipuis circa Deum Incarnatum hæresibus differemus; hi enim omnes sive Gentiles, sive Judæi, cùm Christo Jesu non credant, religionis consequenter Christianæ mysteria respuunt omnia, quorum præcipuum, & aliorum omnium origo est adorandum SS. Trinitatis mysterium. Inter hæreticos verò in hoc sacro-sanctum mysterium blasphemos, vel in divinam aliquam ejusdem Sanctissimæ Trinitatis personam errantes præcipui, & ad quos reduci possunt cæteri, licèt numero multi, sunt sequentes isti, videlicet *Sabelliani*, *Ariani*, *Eunomiani*, *Semiariani*, *Macedoniani*, *Mahometani*, *Græci*, *Sociniani*, & alii. Circa Deum Trinum errarunt

De Sabellianis.

Sabelliani qui & *Praxeani* dicuntur à *Praxea* quodam Asiatico viro; qui omnium primus docuit in divinis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, non tres distinctas, sed unam dumtaxat Trinominem esse personam; quæ prout ingenita est, & creandi principium, dicitur Pater; prout incarnata, Filius; & prout sanctificans creaturas, Spiritus sanctus vocatur. *Praxeam* secutus est *Noetus* vir pariter Asiaticus, & patria Ephesinus, *Noetum Sabellius* Pentapolitanus, *Sabellium Hermogenes* vir natione Afer; unde *Praxeani à Praxea*, *Noetiani à Noeto*, *Sabelliani à Sabellio*, & *Hermogeniani ab Hermogene* dicti; qui omnes, quia idem de sanctissima Trinitate sentientes, licèt diversi nominis viri, non diversæ tamen sectæ reputantur hæretici, S. Augustino teste. Quia tamen hæc hæresis sub *Valeriano* Imp. & *Stephano I.* Rom. Pont. circa annum 260. à *Sabellio* viro Pentapolitano, *Noeti*que discipulo celebrior facta, latiùsque per orbem diffusa, ideò *Sabelliana*, & *Sabelliani* potissimùm dicti hujus sectæ viri, imò & *Patripassiani* interdum, interdumque *Monarchici* vocati: *Patripassiani* nempe, quia cùm Filium in cruce passum fateantur, & Patrem à Filio distinctum esse negent, Patrem consequenter passum esse tenent cum *Praxea*, qui ideò dicitur à Tertulliano, duo Diaboli negotia procurasse, Paracletum scilicet fugasse, & Patrem crucifixisse; *Monarchici* verò nuncupantur, eò quòd non tres, sed unicam in Deo personam esse blasphement. Sabelliani.

Sed meritò damnata istorum omnium tam impiè blasphemantium hæresis in Alexandrina Synodo, anno circiter 319. sicut & postea iterùm cum Photiniana, in Sirmiensi Concilio proscripta; contra quam pro fide Catholica pugnant varii in utroque Testamento divinæ Scripturæ textus, ut constat, 1. ex illo Geneseos cap. 1. vers. 26. Patris æterni alias à se distinctas alloquentis personas, & dicentis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. 2. Ex illo Psalmi 32. vers. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. 3. Ex illo Seraphico trisagio, seu trina *Sancti* repetitione, unius Seraphim ad alterum dicentis

 apud

apud Isajam cap. 6. verſ. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; qua trina *Sancti* repetitione, tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas indicari docent SS. Patres, præſertim S. Ambroſius, dicens: *Quid ſibi vult ſub uno nomine trina ſanctitatis repetitio? cur una laudatio? niſi quia Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſanctitate unum ſunt; non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret; non bis, ne Spiritum ſanctum præteriret; non quater, ne creaturas conjungeret, & ut oſtenderet unam eſſe Trinitatis Deitatem, cùm ter dixiſſet Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit ſingulariter Dominus Deus Sabaoth.* 4. Hanc divinam perſonarum Trinitatem docet, & docendam inculcat Chriſtus in novo Teſtamento, dicens Matth. cap. 28. verſ. 19. *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 5. ex eo quòd & Joannes Chriſti diſcipulus Chriſtum ſequens, dicat 1. Joan. cap. 5. verſ. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt.*

De Arianis.

Ariani. *Ariani* ſic dicti ab *Ario* civitatis Alexandrinæ Presbytero, viro natione Libyco, & dialecticæ peritia claro, ſed Theologo in Chriſti divinitatem blaſphemo, qui ſub Conſtantino Magno Imp. & *Silveſtro* Rom. Pont. anno circiter 316. vel ut volunt alii, 320. alteram à Sabelliana non minùs nefandam induxit hæreſim, aſſerens, *Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum non eſſe conſubſtantiales, ſeu ejuſdem ſubſtantiæ & naturæ, ac proinde Chriſtum non Deum, ſed puram Creaturam eſſe, Patreque minorem.*

Hanc omnium primus naſcentem hæreſim in Alexandrina Synodo damnavit *Alexander* Alexandrinus Patriarcha; damnavit eamdem Synodus Nicæna œcumenica prima ſub *Conſtantino* Magno, à quo è civitate Alexandrina pœnitentiam ſimulans exulat *Arius*, nulla alia mulctatus pœna. Silet interim tantiſper hæreſis, ſed è vivis ſublato Conſtantino, Conſtantius ſucceſſor ejus & filius rogatus Arium revocat, & cum Ario, quæ tantiſper ſopita dormierat, revocatur hæreſis; revocata exardeſcit, latiùſque ſerpens ad ipſam quoque pertingit aulam, ipſumque Imperatorem nedum ſectarium, ſed & patronum invenit; eòque perducta eſt Arianorum cauſa, ut diem ſtatuerit Conſtantius, quo Alexander & Arius de Scripturis inter ſe conferrent. Per noctem Deum enixè rogat Alexander, ne latiùs ſerpere ſinat Arianæ ſectæ venenum. Manè dum ad ſtatutum diſputationis locum pergeret Arius, ventris onere preſſus, & ab itinere ad latrinas reverſus, cum viſceribus & ſordibus hæreſi ſordentem emiſit animam.

Sic miſerè extincto *Ario*, non extinguitur hæreſis; invaleſcit econtrà magis, *Euſebium* Nicomedienſem Epiſcopum fautorem inveniens & patronum; unde *Euſebiani* deinceps vulgò vocati Arianæ ſectæ viri.

Contra quos infracta conſtantia pugnavit nedum *S. Athanaſius* varia pro fide Catholica paſſus, & variis orationibus in Arianos, & Arianam hæreſim editis; ſed & *S. Hilarius* Pictavienſis Epiſcopus 12. ſcriptis de Trinitate Libris, *S. Phœbadius II.* in Aquitania Aginnenſis Epiſcopus, uno pariter in Arianos edito de Trinitate libro, *S. Gregorius* Nazian. orationibus variis, *S. Ambroſius* libris quinque ad Gratianum Imp. ſcriptis, & *S. Auguſtinus*, in concione ad Catechumenos, contra Judæos, Paganos & Aria-

Arianos, *Arium* arguens & increpans, quòd Filium Patre minorem esse contendat, illo abutens Christi textu, apud Joan. cap. 14. vers. 28. dicentis: *Pater major me est*.

Sic ad illum textum, quo tanquam *Achille* nituntur Ariani, Arianum alloquens Augustinus ait: *Ipse dixit, Pater major me est; quia non intelligis, ideò tibi malè sonat, quod benè dixit. Vide quando hoc dixit, in susceptione humanæ naturæ positus hoc dixit; tunc dixit, Pater major me est, quando dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem: tunc dixit, Pater major me est, quando flevit, quando lassatus est, quando esurivit, quando sitivit...... In susceptione hominis minor est non solùm Patre, verùm etiam Angelis; æqualis in forma Dei, minor in forma servi; æqualis cum Patre, creans Angelos; æqualis cum Patre, homines faciens; æqualis cum Patre, novum constituens mundum; minor Patre, perditum reparans mundum; æqualis cum Patre, vitam largiens æternam; minor Patre, mortem suscipiens nostram*: hoc est, ut paucis dicat omnia, æqualis cum Patre ut Deus, minor Patre ut homo; de se enim ut Deo dixit Joan. cap. 10. vers. 30. *Ego & Pater unum sumus*; de se ut homine dixit Joan. cap. 14. vers. 28. *Pater major me est*, ut inquiunt SS. PP. Athanas. August. Basil. Gregor. Nazian. &c. idque patet ex eo quòd Christus dans rationem, cur ad Patrem vadat, ait: *Quia Pater major me est*: Atqui Christus vadit ad Patrem cœlos conscendens, ut homo est: nam ut Deus est, semper est in cœlo; ergo dum ait, *Vado ad Patrem, quia Pater major me est*, de se ut homine loquitur; ergo ruit ille Arianorum Achilles, & stat Dei Filius Patri consubstantialis.

De Eunomianis.

Eunomiani sic ab *Eunomio* cognominati, reipsa erant Arianæ factionis & doctrinæ Arianismi sectarii: Ariani siquidem post Arium temporis successu varias in partes fuere divisi, & præsertim in duas, quarum una erat eorum qui Arianæ mordicus adhærebant hæresi, asserentes Filium esse Patri per omnia dissimilem; unde à voce græca ἀνόμοιος, significante dissimilem, *Anomæi* fuere dicti; & quia inter istos sua fama eminebat *Eunomius*, ab eo *Eunomiani* posteà fuere vocati. Pars altera eorum erat, qui partim adhærebant Arianæ doctrinæ, partim ab ea recedebant, docentes Filium quidem esse Patri similem, sed non consubstantialem; ideò *Semi-Ariani* fuere nuncupati, & de quibus mox agemus infrà: hìc de *Eunomianis* ab Eunomio dictis. Erat igitur *Eunomius* natione Cappadox, rusticâ de gente satus, vir epilepticus & leprosus, *Aetii* discipulus, & artis Sophisticæ peritissimus, tandemque *Cyzici*, Eleusio adhuc superstite, ordinatus Episcopus, favore & opera *Eudoxii* Constantinopolitani, sed Ariana labe maculati Præsulis, anno circiter 359. at brevì è sua Sede Cyzicena à Cyzicenis ejectus ille *Eunomius*, ob impia quæ disseminabat dogmata; nam præterquam quòd fertur illum adeò fuisse bonis moribus infensum, ut asseveraret nihil cuique obesse peccata, nec in peccato perseverantiam, si hujus quam ille docebat, fidei particeps esset; dicebat insuper, teste August. lib. de hæres. cap. 54. *Patri per omnia dissimilem esse Filium, & Filio Spiritum sanctum*. Quod quàm impium sit atque blasphemum, constat ex supradictis contra Arianos, & confirmatur ex illo Christi dicentis, Joan. cap. 10. vers. 30. *Ego & Pater unum sumus*, & rursus ibid. Eunomiani.

cap. 14.

cap. 14. vers. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*: Si enim per omnia dissimilis esset Patri Filius, ut vult blasphemus ille, non diceret qui Veritas est, æternus ille Filius, *Qui videt me, videt & Patrem meum*.

De Semi-Arianis.

Semi-Ariani. *Semi-Ariani* ab Arianis iisdem temporibus orti, circa annum 359. sub Constantio Imper. & *Liberio I.* Rom. Pont. erant ii qui partim cum Arianis conveniebant, & ab iisdem partim differebant; conveniebant enim in hoc, quòd cum illis Trinitatem consubstantialem esse negarent; & differebant in hoc, quòd licèt non consubstantialem, similem tamen in substantia dicerent; unde Filium cum Arianis ὁμοούσιον, id est, consubstantialem esse negabant, & tamen contra eosdem ὁμοιούσιον, id est, similem in substantia dicebant; & istorum duces fuere præcipui *Basilius Ancyranus* Episcopus, & *Macedonius* Constantinopolitanus Præsul: sed contra istos pariter pugnat quidquid ex dictis, & dicendis pro Filio contra Arianos militat.

De Macedonianis.

Macedoniani. *Macedoniani*, sive *Pneumatomachi* iisdem pariter temporibus orti, circa annum 359. dictique *Macedoniani* à *Macedonio* duce suo Præsule Constantinopolitano, & *Pneumatomachi* similiter interdum vocati, quòd *Spiritum sanctum Patre Filioque minorem, nec ejusdem cum Patre & Filio substantiæ, sed puram creaturam esse* dicerent; unde quia Spiritus sancti in hoc præsertim impugnatores erant, ideò à voce græca Πνεῦμα significante *Spiritum*, & verbo μάχομαι significante *pugno*, Πνευματόμαχοι dicti.

Sed hæc hæresis in Spiritum sanctum specialiter & infeliciter orta, in Concilio tandem œcumenico secundo Constantinopolitano primo, anno 381. feliciter damnata, & meritò damnata, cùm in eam pugnent varii Scripturæ textus, Spiritum sanctum Deum, & non creaturam esse testantes; & inter alios, iste S. Petri Actuum cap. 5. vers. 3. dicentis Ananiæ: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? ..... Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Quo textu probant Sancti Patres, Basilius, Greg. Nazian. Ambr. August. & alii, Spiritum sanctum non creaturam, sed Deum Patri Filioque consubstantialem esse.

De Mahometanis.

Mahometani. *Mahometani*, sic vulgò nuncupantur quicumque apud *Agarenos* & *Saracenos* informem sequuntur & diabolicam *Mahumeticæ* Religionis formam, seu religionem à *Mahomete* Pseudo-Propheta, viro natione Arabe, & professione mercatore vilissimo, prænuntio Satanæ, & Antichristi Præcursore, in perniciem animarum infeliciter ortam, sub *Heraclio* Imp. & *Honorio I.* Rom. Pont. circa annum 630. cujus religionis forma talis erat, ut in ea, ad vitandas quascumque de fidei doctrina dissentiones & opiniones, & prætermissis sublimioribus fidei sententiis & articulis, sola retineretur doctrina morum. Præcepit novus ille Legislator suo in *Alcorano*, ne quis de sua secta disputare ausit: quæ religio cùm

cùm sit naturæ blandiens & amabilis, non mirum si eam statim amplexi fuerint homines genere dispares, lingua dissimiles, Gentiles, Judæi, & Christianæ religionis Apostatæ varii; & ita coaluerit & excreverit, ut suæ doctrinæ veneno universam ferè infecerit Orientis plagam. Ejus autem *Alcorani* sive doctrinæ, quæ est multarum hæresum colluvies, præcipua capita sunt ista:

1. *Cum Sabellio, negat impius ille Trinitatem personarum in divinis.*

2. *Cum Ario & Eunomio, Christum puram esse creaturam asserit.*

3. *Cum Carpocrate, Christum non Deum quidem esse, sed Prophetam sanctum affirmat.*

4. *Cum Cerdone, impiè tenet, Deum Filium habere impossibile esse, cùm Deus uxore careat.*

5. *Cum Audæanis sive Anthropomorphitis, Deum corporeum esse fingit.*

6. *Cum Manichæis, Christum non fuisse crucifixum contendit, sed alium Christo similem,*

7. *Cum Donatistis, cuncta negat Ecclesiæ Christi mysteria, seu Sacramenta, quæ à Christi passione vim & efficaciam habent.*

8. *Cum Epicuro, supremam felicitatem seu supremum bonum in corporis voluptate ponit.*

9. *Cum Judæis & Ebionitis, Circumcisionem ut necessariam recipit,*

10. *Cum Tatianis, vini suis prohibet usum.*

Hæc & alia similis impietatis docet ista Mahumetica Religio, quæ (cùm nihil sit aliud, quàm abominanda jam damnatarum hæresum colluvies) tot iteratis vicibus damnata censeri debet, sive à Scriptura, sive à Conciliis, sive à SS. Patribus, quot damnatas continet hæreses.

De Græcis.

Græci licèt olim in Ecclesia sua fide clari, & doctrina celebres ac famosi, ita tamen duræ cervicis & superciliosi, Romanæque Ecclesiæ deinceps inobedientes, rebelles & inconstantes, ut ab illa quatuor-decies sponte scissos, & ad eamdem toties reversos notet *Hosius*, lib. de Sacerdotum conjugio, variosque in errores variis temporibus prolapsos, quorum quinque numerantur præcipui, propter quos sunt adhuc & hodie ab Occidentali, seu Latina Ecclesia sejuncti. Græci.

1. *est, Quòd Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere negent.*

2. *Quòd Eucharistiæ Sacramentum non in pane Azymo, sed in solo fermentato confici posse dicant.*

3. *Quòd Purgatorium nullum esse teneant.*

4. *Quòd Justis æternam felicitatem conferri, vel damnatis æternum infligi supplicium ante diem judicii negent.*

5. *Quòd denique Romanum Pontificem totius Ecclesiæ caput, beati Petri successorem, totiusque Ecclesiæ Primatem esse, fateri nolint.*

Quæ tamen omnia, ut vera fateri coacti sunt, & in his omnibus cum Romana convenire Ecclesia, in Florentina œcumenica Synodo congregati; in qua facta est Græcorum cum Latinis unio, & qua in œcumenica Synodo convicti fuere Græci ex illo eodem Christi textu, Joannis cap. 15. vers. 26. dicentis: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*, (quo nitebantur ad probandum Spiritum Sanctum à solo Patre,

tre, & non à Filio procedere,) convicti sunt, inquam, ex illo eodem textu rectè concludi, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere, cùm in eo Christus Filius expressè dicat, *Quem ego mittam vobis à Patre,* ut optimè advertunt S. Hilarius lib. 8. de Trin. & S. Augustinus lib. 4. pariter de Trin. Ex hoc enim quòd mittitur à Filio Spiritus sanctus; procedit ab illo, quia in divinis nulla Persona mittitur ab alia, nisi procedat ab ea; unde Pater nunquam dicitur mitti, quia à nulla procedit: Filius verò dicitur mitti à Patre, non à Spiritu sancto, quia à Patre procedit, & non à Spiritu sancto; ergo cùm Spiritus sanctus mittatur à Patre & Filio, à Patre Filioque procedit, ut ab uno spirationis principio; quod confirmatur ex illo alio Christi textu, Joan. cap. 16. vers. 15. dicentis: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet.* Si enim omnia quæ habet Pater, habeat & Filius, habet consequenter Filius eamdem spirativam virtutem, per quam procedit à Patre Spiritus sanctus; ergo non solùm à Patre, sed etiam à Filio procedit Spiritus sanctus: unde in literis unionis consentientibus Florentini Concilii Patribus, sic universa Synodus dixit: *Et quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est.*

De Socinianis.

Sociniani. *Sociniani*, sive *Novi-Ariani*, hi omnes dicuntur hic à nobis, qui dudum proscriptas *Arii Macedonii*que hæreses, sæculo retrò proximo sunt renovare conati; quales fuere nonnulli è Lutheri & Calvini Secta Ministri, quorum duces fuere præcipui, *Joannes Campanus, Michael Servetus* Hispanus, *Valentinus Gentilis* Neapolitanus, *Paulus Alciatus* Mediolanensis, *Lælius Socinus, Faustus Socinus* Senensis, & alii; & unde *Campanistæ* à Campano, *Servetiani* à Serveto, *Valentinistæ* à Valentino, & *Sociniani* à Socino dicti; qui singuli licèt plura diversa, valdèque diverso, confuso & intricato se se explicandi modo ventilarint impia dogmata, ab anno circiter 1555. in hoc tamen convenere omnes, ut *SS. Trinitatem* ore blasphemo negaverint; unde & *Trinitarii* vulgò vocati; & Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres quidem esse dixerint, non tamen tres divinas, & ejusdem substantiæ personas, solumque Patrem, verum Deum esse docuerint cum *Ario*, unde *Novi-Ariani* omnes meritò dicti, quamvis hodie *Sociniani* communiter nuncupati, quia cæteris miserè vita functis, à *Fausto Socino* patria Senensi viro *Lælii Socini* nepote ac discipulo, & Calvinianæ Sectæ Ministro, celebrior facta, latiùsque disseminata pestilens hæc doctrina, & ab illo per Poloniam præsertim & Transilvaniam istorum omnium de novo Arianizantium fusiùs propagata Secta; unde *Sociniana* deinceps jure nuncupata, & ejus proinde sectarii *Sociniani* meritò dicti. Docebat autem inter impia alia miser ille *Socinus*,

1. *In essentia divina unicam esse personam Patris, & implicare Deum unum in essentia, & trinum in personis esse.*

2. *Filium Dei, seu Christum, nec personam divinam esse, nec Deum, appellari tamen Deum metaphoricè & impropriè, ob sublimem potestatem à Patre vero Deo participatam; nimirùm ut esset inter Deum & homines mediator; unde falsa omnia, quæ de Christi generatione æterna ex Patris substantia;*

stantia; falsa quæ de ejusdem Incarnatione in Scripturis dicuntur, vel figuratè intelligenda esse, sicque nedum Sanctissimæ Trinitatis, sed etiam Incarnationis mysterium evertebat.

3. Spiritum sanctum esse quidem virtutem & efficaciam Dei, sed non inde sequi personam esse divinam.

4. Christum ratione personæ esse hominem verum, non tamen purum, quia divina filiatione ab ortu insignitum, quatenus divini Spiritus virtute, sine ulla viri ope, in Virginis utero conceptum, ideòque Filium Dei proprium & unigenitum dici, quia nullus alius sic virtute divini Spiritus absque ullo viri concursu in utero matris conceptus, & ab ortu Filius Dei vocatus.

5. Christum ante Virginem Mariam non fuisse, & primogenitum omnis creaturæ ideò à Paulo vocari, quòd ut dignitate, sic tempore omnium novarum creaturarum sit prima; nam & conceptio ex Spiritu sancto, & à peccato immunitas eum novum, ac consequenter creaturam novam constituunt, ut ajebat ille Socinus.

6. Christum Prophetam esse docebat, quia antequam Prophetico inciperet fungi munere, in Cœlum raptus est ad Patrem: ibique planè de omnibus instructus, & inde in mundum missus, nobis ut Dei voluntatem manifestaret.

7. Nullum dari peccatum originale volebat.

8. Animas à morte non superesse, Resurrectionemque futuram esse nullam asserebat.

9. In sumptione panis & vini, quæ fit in Cœna Domini, nihil præter panem & vinum sive à credentibus, sive à non credentibus accipi; meramque cæremoniam esse in memoriam mortis Domini, non Sacramentum ajebat.

Hæc & alia plura ejusdem impiæ doctrinæ capita disseminans obiit Luclaviciis in Polonia impius ille *Socinus*, anno Domini 1604. ætatis verò suæ 65. Utinam cum eo extinctâ penitùs jaceret hæresis, quæ cùm sit quædam Sabellianæ, Arianæ, Macedonianæ, Paulianæ, Photinianæ, Pelagianæ & Calvinianæ doctrinæ veluti colluvies, tot impugnatores habet Catholicos, tot opposita Ecclesiæ anathemata, tot adversantia Scripturæ loca, quot & illæ dudum proscriptæ per Ecclesiam hæreses.

Verùm quia capitale hujus de novo Arianizantis *Socinianæ* Sectæ dogma est, Filii divinitatem impugnare, juvat hic de novo, pro Filii divinitate, ex Scriptura, cum Cœlo, terra & inferno pugnare, exhibendo nimirum pro Divinitate Christi, in cujus nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, Cœlum, terram & infernum pugnare.

1. Enim clamat de Cœlo Pater æternus Psal. 2. vers. 7. dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterùm Matth. cap. 3. vers. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Clamat de Cœlo missus ad Virginem Deiparam Gabriel Archangelus, dicens Lucæ cap. 1. vers. 31. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Et rursus vers. 35. *Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

2. Clamat de terra Princeps Apostolorum Petrus à Christo interrogatus, dicens Matth. cap. 16. vers. 16. *Tu es Christus, Filius Dei vivi*; quam confessionem approbans Christus ait: *Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Clamat discipulus ille quem diligebat Jesus, dicens sui Euangelii cap. 1. vers. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Clamat ex incredulo factus credulus & fidelis Thomas Apostolus, Joan. cap. 20. vers.

vers. 28. dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Clamat inter mulieres sancta Christi hospita Martha, dicens Joannis cap. 11. vers. 27. *Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Clamat inter milites Centurio, & qui cum eo erant custodientes Jesum, dum apud Matth. cap. 27. vers. 54. *Viso terræmotu & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Clamat ex latronibus in cruce pendens sanctus Latro, dicens Luc. 23. vers. 42. *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.*

3. Clamant denique pro Christi divinitate, convicti etiam ex inferno Dæmones ipsi, dicente Luca cap. 4. vers. 41. *Exibant autem Dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei.* Et referente Marco cap. 5. vers. 7. ipsum spiritum immundum conquerendo & simul rogando, ad Christum clamasse olim & dixisse: *Jesu Fili Dei Altissimi, adjuro te per Deum, ne me torqueas.*

Quod clamant Cœlum, terra & inferi de Christi divinitate, confirmat qui veritas est, ipse Deus homo Christus, dicens Joan. cap. 10. vers. 30. *Ego & Pater unum sumus*; & iterùm sui ejusdem Euangelii Præconis ore, Joannis videlicet de SS. Trinitate, Epist. 1. cap. 5. vers. 7. sic dicentis: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.* Quòd dicat *tres sunt*, audiant *Praxeani, Noetiani, Sabelliani, Hermogeniani*, & alii; quòd dicat *& hi tres unum sunt*, audiant *Ariani, Semi-Ariani, Macedoniani*; audiant & his adjuncti *Pauliani* & *Photiniani*; audiant & novi, si qui sint adhuc per Poloniam, Bohemiam & Transilvaniam, vel alibi grassantes *Ariani, Valentinistæ*, vel *Sociniani*; audiant & alii quicumque de divina Trinitate malè sentientes Hæretici, audiant Christum, audiant Scripturam, audiant fidem Catholicam, & Deum unum in essentia, & Trinum in personis adorent. *Fides enim Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.*

ARTICULUS III.

De præcipuis circa Angelorum creationem, naturam & existentiam hæresibus.

Circa Angelorum naturam, creationem vel existentiam errasunt

CUm res ardua sit, & ab humanæ mentis captu valdè remota, Angelorum naturam, existentiam, proprietates & officia ritè dignoscere; non mirum, si diversi de Angelis errores fuerint diversis temporibus orti; in quos ne impingat noster aliquando Candidatus, hic cursim juvat notare singulos cum Auctoribus saltem præcipuis, quales fuere *Dositheani, Sadducæi, Archontici, Angelici, Apulejani, Rysvibcani*, & *Dæmoniaci.*

De Dositheanis.

Dositheani.

Dositheani sic à *Dositheo*, viro natione Judæo, Samaritarum licèt gentibus permixto, imò juxta S.Hieron. contra Luciferan. Samaritanorum Principe, & Sectæ Samaritanæ propagatore præcipuo, unoque è primis fidei corruptoribus hæretico; qui sub Nerone Imp. & *S.Petro* Christi Romæ

Romæ Vicario primo, circa annum 52. docebat, teste Philastrio Brixien. *Nullum esse Dei Spiritum, nullum Angelum, nullam post mortem superesse vitam, nullam sperandam à lege & Prophetis mortuorum resurrectionem*, nullumque timendum futurum judicium, & solùm in lege Domini secundùm carnem esse vivendum, legemque ad hoc tulisse Deum, ut honestè & tranquillè vivamus, in hac vita accipientes à Deo justitiæ præmia. Quæ impia *Dosithei* figmenta quicumque sunt secuti, *Dositheani* fuere vocati; sed quàm damnabilis, & in Scripturis reprobata sit istorum vana doctrina, patebit ex mox contra *Sadducæos* istorum sectarios dicendis.

De Sadducæis.

Sadducæi secundæ Judæorum sectæ viri, sic à *Sadoc* viro natione Judæo; vel à voce Hebraica *Tzaddik* justum significante, *Sadducæi*, id est, justi, vel sancti dici volebant, ut sic sub hoc insigni sanctitatis nomine suam impietatem occultarent; quæ tanta erat, ut nedum *resurrectionem*, *& Spiritus, sive Angelos negarent omnes; sed etiam palam & publicè nullam post mortem futuram esse vitam alteram, nullumque judicium à lege, vel Prophetis expectandum assererent, nihilque de lege vel de Scripturis audiendum, præter solas vitæ morum regulas, contendentes ad hoc solùm Deum tulisse legem, ut honestè tranquillèque secundùm carnem vivamus, accipientes interim in præsenti vita justitiæ præmia.* Sadducæi.

Sed contra illos utrosque, sive *Dositheanos*, sive *Sadducæos*, passim & apertè pugnant sacræ Literæ, Angelorum existentiam, & futuram resurrectionem manifestè testantes: & constat

1. De Angelorum existentia, dum dicitur Genes. cap. 19. vers. 1. *Venerunt duo Angeli in Sodomam vespere, &c.* & cap. 22. vers. 11. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham*, & cap. 28. vers. 12. *Vidit Jacob scalam, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Psalmo 90. vers. 11. *Quoniam Angelis suis mandavit de te.* Judith cap. 13. vers. 20. *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus.* Matth. cap. 18. vers. 10. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

2. De futura mortuorum resurrectione, vitaque futura altera pariter constat 1. ex illo Job cap. 19. vers. 25. *Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse.... & non alius.* 2. ex illo Machab. 2. cap. 7. vers. 9. *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* 3. ex illo Isajæ cap. 26. vers. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* 4. ex illo Matth. cap. 22. vers. 31. ubi Christus Dominus, ut *Sadducæos* de resurrectione convincat & confundat, ait: *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Quo in loco ex Moysis Scriptura desumpto, futuram resurrectionem astruit Christus, licèt potuisset illam ex variis aliis devincere Scripturæ locis; sed noluit, quia Sadducæi rejectis Prophetis solum Moysis Pentateuchum agnoscebant, ut testantur Origenes, Hieronymus, Beda, & alii. 5. Ex illo Pauli 1. ad Cor. cap. 15. vers. 12. ubi futuram mortuorum resurrectionem probat Paulus ex resurrectione

Christi, dicens: *Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Et 6. denique ex illo ejusdem Pauli ibidem vers. 29. eamdem resurrectionem affirmantis, & concludentis ex praxi eorum qui baptizantur pro mortuis, sic dicentis: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?*

De Archonticis.

Archontici. *Archontici*, de quibus S. August. lib. de hæres. cap. 20. & S. Epiph. hær. 23. dicuntur Hæretici illi, qui in Palæstina, Antonini Pii Imper. & *Pii I.* Rom. Pont. temporibus orti anno circiter 160. docebant hanc *universam mundi molem, non à Deo, sed ab Archangelis esse*, hoc est, ab Angelorum Principibus conditam; unde *Archontici* nuncupati, cujus hæresis primus creditur auctor *Simon Magus*. Simonem Magum secutus est *Menander*, à quo & *Menandriani* sub *Vespasiano* Imp. & *Lino* Rom. Pont. Menandrianos pariter secuti sunt *Saturniani* à *Saturnino* patria Antiocheno, & Menandri discipulo dicti, sub Trajano Imp. & *Euaristo* Rom. Pont. circa annum Christi 118. qui, S. Epiph. teste, hær. 23. solos septem Angelos mundum, & ea quæ in mundo sunt, præter Dei Patris æterni conscientiam, effecisse dixere: imò & *Carpocratiani* & *Cerinthiani*, de quibus alibi, mundum pariter istum ab Angelis conditum asseruere.

Sed contra illos omnes, de mundi creatione & de Angelis tam malè sentientes hæreticos, dudum Catholica definivit Ecclesia, nedùm in Concilio Nicæno I. & Constantinopolitano I. sed expressiùs in Lateranensi IV. firmiter esse credendum, Deum esse rerum omnium visibilium & invisibilium Creatorem; dicendo nempè, *Firma fide credendum esse, Deum ab initio temporis simul utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem & corpoream, Angelicam & mundanam*. Et illud idem ante quæcumque Concilia, sacra declaravit Scriptura, præsertim Joan. cap. 1. vers. 3. postquam dixit: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*, addens, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Si omnia per ipsum facta sunt; ergo non per Angelos factus est mundus, sed & ipsi Angeli, qui in mundo sunt, per ipsum facti sunt; & hoc est quod Paulus ad Colossenses cap. 1. vers. 16. ait: *In ipso condita sunt universa in Cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.*

De Angelicis.

Angelici. *Angelici* dicuntur viri quidam professione Christiani, qui sub Severo Imp. & *Victore I.* Rom. Pont. anno circiter 109. etsi Idololatriam abominarentur quàm maximè, unique soli Deo serviendum, eumque solùm & unicè colendum esse tenerent, *Angelos nihilominùs adorabant*, unde *Angelici* fuere nuncupati; quamvis fateatur S. Epiph. hær. 60. se hujus nominis causam & hæresim ignorare, an scilicet illius Sectæ viri sibi hoc nomen assumpserint, ex eo quòd ex iis aliqui mundum ab Angelis factum esse dicant, sive quòd seipsos in ordine Angelorum esse ventilent, & vitam eminentissimam instar Angelorum degant, sive ab *Angelina*, hoc est, à loco *Angelina* nomine dicto, & ultra Mesopotamiam sito. Verùm quidquid sit de

fit de illius nominis & hæresis origine, quam S. August. lib. de hær. cap. 39. numerat, quæque non diu, sed brevi & ad modicum paruit, quidquid sit de illius incognitis Sectæ patronis; hi quicumque tandem sint, videntur esse iidem, ac hæretici Philosophici illi sive Platonici, sive alii, qui docendo mundum istum ab Angelis conditum, Colossensibus olim ad fidem recens conversis novam ac superstitiosam Angelorum Religionem suadere conabantur, dicendo nempè *colendos ac venerandos esse Angelos, ut mediatores inter Deum & homines, & non Christum Dei Filium.*

Contra quos loqui intelligendus est S. Paulus, dum ad Colossenses scribens, ut eos ab hac vana & falsi nominis Philosophia retrahat, ait cap. 2. vers. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*; & infrà vers. 18. dum ait: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum*, seu in errore & superstitione de indebitè colendis Angelis, hoc est, *videte ne quis volens*, id est, hæreticus, seu propria voluntate & electione ambulans *vos seducat*, in hac falsa Angelorum religione spontè excogitata, & sita in humili & superstitioso gestu se prosternendi, & adorandi Angelos ut mediatores, loco Christi Filii Dei unigeniti, & mediatoris unici, juxta illud ejusdem Pauli 1. ad Tim. cap. 2. vers. 5. dicentis: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.*

De Apulejanis.

Licèt reipsa non constet hæreticos fuisse quondam aliquos *Apulejanos* cognomine dictos; nihilominùs *Apulejanos* hic vocamus eos, si qui fuerint *Apulejum* secuti, virum natione Afrum, secundo currente sæculo *Medauri* natum; & de Platonica Secta Philosophum, qui S. August. teste, lib. 9. de Civitate Dei cap. 22. docebat, *Dæmones esse medios inter Deum & homines, qui hinc ferant petitiones nostras, & inde referant deorsum suppetias.* Ac proinde insinuabat, nedum beatos Angelos, sed & ipsos etiam Dæmones inter Deum & homines, ut mediatores esse colendos. Apulejani.

Quod quàm absurdum sit & impium, imò à ratione & communi sensu devium, nemo non videt; & patet ex Apostolo docente 2. ad Cor. cap. 5. vers. 18. non per Angelos beatos, sed per Christum solum nos Deo instaurari, & reconciliari posse, & sic loquente: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis mysterium reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*; & expressiùs id confirmante 1. ad Tim. cap. 2. vers. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Si ergo ex Apostolo, per Angelos beatos reconciliari Deo non possimus; nec à fortiori per Dæmones, qui juxta S. August. sunt spiritus nocendi cupidissimi, & à justitia penitùs alieni: dicatque S. Petrus eos non hominum patronos, non mediatores, sed adversarios, juxta illud 1. Epist. cap. 5. vers. 8. *Vigilate, quia adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

De Rysvihcanis.

Rysvihcani dicuntur hæretici nonnulli, de Euangelicorum familia viri, sic ab *Hermano Rysvihc*, viro natione Batavo dicti; qui anno Christi circiter 1499. imperitè docebat inter alia, *nullos sive bonos, sive malos à Deo fuisse creatos Angelos*; eo solo ductus motivo, quòd nullibi id Scriptura Rysvihcani.

dicat: sed perperàm & falsò id asserebat ille ab hæreticæ pravitatis Inquisitoribus proscriptus hæreticus, Curiæque sæculari traditus, tandemque vivus *Haga* comburi jussus anno 1512. cùm propè sint infiniti Scripturæ textus de Angelis expressè loquentes, ut visum est suprà contra Sadducæos; & aliunde expressè doceat Ecclesia, infallibilis fidei nostræ regula, ***Deum ab initio utramque condidisse naturam, spiritualem & corpoream, Angelicam & humanam.***

De Dæmoniacis.

Dæmoniaci. *Dæmoniaci* dicuntur nonnulli abominandi de grege Euangelicorum hæretici, è Lutheri schola profecti, qui arbitrantes cum Origenistis, Dæmones post mundi finem salvandos, *Dæmonem decies in die invocant & adorant*; unde *Dæmoniaci*, Hesiodo teste, vocati, verique idololatræ dicendi, ac meritò fugiendi. Imò *etsi omnia mundi regna, & gloriam eorum* ostendat tibi Dæmon, tibique sicut olim Christo dicat, Matth. cap. 4. vers. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, non audiendus, sed longè citòque fugiendus, eique cum Christo dicendum, *Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Si solus adorandus est Dominus Deus, ergo nec Dæmon, nec Angelus.

Venerandi tamen, & speciali Duliæ cultu colendi omnes sancti Angeli, venerandus præsertim tibi in tui custodiam specialiter deputatus Angelus, quidquid opponant Calvinianæ Sectæ viri, inter alia perperàm negantes cum suo duce Calvino, suum homini cuilibet à Deo mitti custodem Angelum.

Quamvis id sancti antiqui Ecclesiæ Patres asserant; inter quos S. Hieron. in cap. 18. Matth. dicens, *Magna profectò dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum*. Quamvis id traditionem esse paternam & fide dignam affirmet Gregorius Nyssenus, & id colligendum esse dicat S. Chrysost. ex primorum Christi fidelium responso ad ancillam monentem, *Petrum* quem sciebant incarceratum, ad januam pulsantem adesse, & dicentium ei: *Insanis, Angelus ejus est*. Quamvis denique id ubique terrarum publico & solemni Angeli custodis officio, universa doceat Ecclesia, & moneat S. August. Epist. 118. *Insolentissima insania esse, contra id quod universa tenet Ecclesia, disputare*.

ARTICULUS IV.

De præcipuis circa Dei gratiam hæresibus.

Circa gratiam erarunt inter alios

QUamvis tot sint divinæ gratiæ hostes fugiendi, quot hæretici; totque profanatores ejus malevoli, quot peccatores iniqui; fuere tamen inter illos, specialiter circa Dei gratiam, & de gratia malè sentientes multi, quos inter censeri possunt sequentes isti; videlicet *Simoniaci, Montanistæ, Pelagiani, Cœlestiani, Semipelagiani, Adrumetini, Prædestinatiani, & Jansenitani*.

De

De Simoniacis.

Simoniani, vel *Simoniaci* sic vulgò dicti à *Simone* quodam, patria Samaritano, & cognomento simul ac professione Mago, qui licèt multarum, imò ferè omnium hæresum parens dicatur, sitque suis præstigiis, sceleribus & dogmatibus impiis satis ubique gentium celebris, præsertim in eo quòd omnium primus docuerit, sub *Nerone* Imp. & *S. Petro* primo in terris Christi Vicario, circa annum 55. Simoniani.

1. Mundum istum non à Deo, sed ab Angelis fuisse conditum.
2. In eo quòd generalem corporum resurrectionem futuram negaverit.
3. Quòd promiscuum fœminarum usum licitum esse tenuerit.
4. In hoc, quòd eò dementiæ venerit, ut nec Christum venisse, nec à Judæis quidquam fuisse passum, & seipsum Christum esse impudenter ausus fuerit asserere & dicere, S. August. teste, se in monte Sina legem Moysi in Patris persona tulisse, tempore Tiberii in Filii persona putativè apparuisse, posteà se in linguis igneis in Spiritus sancti persona super Apostolos venisse, jactaretque se tanquam Filium ad Patrem posse volando conscendere; & reipsa cùm subitò magicis artibus in cœlum volare tentasset, ad S. Petri preces Deo fusas, in lapides & saxa corruens, fractis cruribus, & conquassata corporis machina miserè periit miser ille Magus, qui se magnam Dei virtutem dicebat, Helenamque sociam, sive meretriculam suam, Spiritum sanctum vocabat.
5. Sed in hoc maximè famosus evasit & celebris præstigiator ille, quòd *Spiritus sancti gratiam venalem esse putaverit, & spiritualia dona pecunia comparari posse crediderit*; dum baptizatus à Philippo Diacono, ut habetur Actuum cap. 8. vers. 18. *Et videns quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit Apostolis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque manus imposuero, accipiat Spiritum sanctum.* Ex quo perverso Simonis exemplo ortum est, ut similis alia quæcumque conventio, sive pactio de dando, vel emendo spirituali pro temporali, sit suum sortita nomen, & à *Simone Simonia* dicta, sicut à *Simonia Simoniani*, vel Simoniaci vocati; serpitque nimis adhuc per varios cuniculos, rimas, fraudes & dolos sese insinuans hæc simoniaca lues, licèt statim in ortu cum suo auctore Simone damnata à beato Petro Apostolorum Principe, ibid. & illicò dicente, *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Unde non mirum, si dicat *S. Ignatius* Martyr ad Trallenses scribens, *Fugite malas soboles Diaboli, Simonem dico primogenitum generis illius.*

De Montanistis.

Montanistæ fuere hæretici nonnulli, secundo grassantes Ecclesiæ sæculo, sic à *Montano* duce suo *Montanistæ* vocati, imò & *Cataphryges*, vel *Cataphrygii*, aut ut loquitur S. Epiph. *Phrygastæ* ideò pariter dicti, quia in *Phrygia* cum suo auctore *Montano*, viro natione Phryge, primitùs orti, eorumque hæreses, hæreses *Cataphrygum*, id est, juxta *Phryges* ideò vocatæ, quas sub *Commodo* Imp. & *Sotero* Rom. Pont. circa annum 181. disseminare cœpit & *Montanus* ille, cum duabus sociis suis, sive mulierculis, *Prisca* videlicet & *Maximilla*, quas Prophetissas suas dici volebat, dum seipsum, Montanistæ.

teste S. August. paracletum esse docebat; quasque mulierculas ita dementaverat, eòque insaniæ redegerat, ut relictis viris suis, soli ipsi adhærerent *Montano*, & cujus inspiratione, Spiritum Propheticum se habere crederent, seque Prophetissas esse jactarent, & sic multos alios simplices & imbecilles ad suas pertraherent hæreses & insanias; quarum præcipua erat, *Quòd sibi, non Apostolis, cum Spiritu sancto gratiarum plenitudinem infusam esse crederent, & docerent.*

Verùm quia monet nos Scriptura sacra, ut non omni spiritui credamus, sed probemus an ex Deo sit, cui credamus; ideò probandum & videndum, an ille spiritus insanienti *Montano*, ejusque dementatis Prophetissis infusus, sit sanctus, vel perversus; an Spiritus veritatis à Christo promissus? an spiritus erroris & falsitatis? id ex doctrina istorum Montanistarum manifestè patebit. Audiamus ergo quid suo illo spiritu afflati doceant isti.

1. Isti docent non baptizare, & reipsa non baptizant in nomine sanctissimæ Trinitatis. Spiritus autem veritatis docet nos baptizare in nomine sanctissimæ Trinitatis, dum ait Matth. cap. 28. vers. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

2. Isti mortuos baptizant; Ecclesia verò Catholica à Spiritu sancto ducta & edocta, mortuos, utpote quia sibi non subditos & Baptismi incapaces, baptizare inutile putat, atque malum, imò & sacrilegum.

3. Isti secundas nuptias damnant; at Spiritus sanctus ore Pauli Apostoli de viduis loquentis 1. ad Tim. cap. 5. vers. 14. eas approbat, dicens: *Volo juniores nubere.*

4. Isti matrimonium posse dissolvi tenent; Spiritus sanctus econtrà matrimonium indissolubile esse docet, Matth. cap. 19. vers. 6. dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

5. Isti post Baptismum lapsos salutem consequi non posse, quacumque peracta pœnitentia, docent; docet econtrà Spiritus sanctus eos salvari posse, si pœnitentiam egerint, dum per Ezechielem ait cap. 18. vers. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?*

6. Isti in vico suo *Pepuza*, seu in Montani villa *Pepuza* vocata, quem vicum sive villam ipsi Jerusalem dicebant, & à quo ipsi *Pepuziani*, sive *Pepuzitæ* vocati, funesta perhibentur habere Sacramenta; in solemni enim Paschali solemnitate anniculum seligunt puerulum, quem æreis aciculis per totum corpus compungunt & vulnerant ad effusionem usque sanguinis, ex quo farinæ mixto panem conficiunt, quo suum Pascha celebrent; tantaque immanitate minutis vulneribus illum innocuum affligunt puerulum, ut sæpè occidant, & occisum ut Martyrem venerentur & colant; si verò supervixerit, pro magno Sacerdote habent: quod quàm alienum sit à Spiritu sancto, qui est Spiritus lenitatis, satis colligi potest, aliis omissis, ex illo decalogi præcepto, *Non occides.*

7. Docent isti *Pepuziani*, sive *Montanistæ*, fœminas sacris initiari posse Ordinibus; Spiritus autem veritatis ore Pauli Apostoli 1. ad Cor. cap. 14. vers. 34. dicit: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis in Ecclesia loqui.*

Ex quo manifestè patet, non à Spiritu sancto, non à Spiritu veritatis, non à Spiritu gratiarum auctore, sed à spiritu malevolo, perverso & mendacii patre afflatos esse Prophetas illos *Montanistas*, sive *Pepuzianos*;

nec

nec esse à Deo missos, sed de numero eorum, de quibus apud Jeremiam cap. 23. vers. 21. Spiritus sanctus ait: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*. Et quos Christus Matth. cap. 7. vers. 15. fugiendos monet, dicens: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos*. Si à fructibus cognoscendi sint & ab exitu suo isti pseudo-Prophetæ, quid de his faustum concludi potest? *Montanus* siquidem cum sua *Maximilla* vesano suo agitatus spiritu, seipsum laqueo suspendisse, & miserè, Judæ Iscariotis instar, periisse dicitur.

De Pelagianis.

Pelagiani divinæ gratiæ hostes aperti, & sua toties circa gratiam in doctrina varii, dicuntur hæretici illi, qui in Ecclesia grassari cœpere anno circiter 405. sub Arcadio Imp. & *Innocentio I.* Rom. Pont. orti à *Pelagio* quodam, viro natione Britanno, qui, ut *Lindani* verbis utar, suum diu coxit sub Monachali pallio venenum; erat enim professione Monachus, non de iis, qui Cœnobiticam in Monasteriis, aut Eremiticam in desertis, sed de iis qui religiosam suis in ædibus vitam agebant; vir insuper & ingenio & calamo divinæ gratiæ semper adeò infensus, ut perversa inter alia docuerit, Pelagiani.

Non solùm *nullum dari originale peccatum, sed nullam Dei prorsus gratiam requiri; tantasque esse liberi arbitrii vires, ut possit homo solis naturæ viribus omnia implere Dei mandata, justificari & salutem consequi sine gratia*. Hujus perversæ doctrinæ propugnatores, ac proinde Pelagii sectarii præcipui fuere *Cœlestius*, & *Julianus* Capuæ Episcopus.

Cœlestius quidem vir incertæ gentis & patriæ Monachus, & Pelagianæ Sectæ ita propugnator apertus, ut sicut à *Pelagio Pelagiani*, ita à *Cœlestio Cœlestiani* dicti fuerint Pelagii discipuli, eoque nomine in Ephesina Synodo damnati.

Julianus verò, teste Gennadio, vir fuit ingenio & eruditione magnus; sed Pelagianæ doctrinæ veneno ita plenus, ut contra S. Augustinum, & Catholicam fidem pro Pelagiana tuenda doctrina Libros scripserit varios; at contra Pelagium, Pelagiique Sectarios illos, & alios vicissim strenuè pugnarunt sancti Patres nonnulli, sed inter alios, *Hieronymus* & *Augustinus*, qui varios in Pelagium & Pelagianos scripsere Libros, supra in *Hieronymo* & *Augustino* notatos.

Varia insuper in Pelagianos celebrata Concilia, de quibus suprà, sed præsertim *Carthaginense* unum anno 416. & eodem anno *Milevitanum* alterum, Præside Zumensi Episcopo, Numidiæ Primate. Utriusque Concilii gesta ad *Innocentium I.* fuere delata & approbata; unde est, quòd exclamet S. August. serm. 2. de Verbis Apostoli, dicens: *Jam de hac causa, duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est: utinam aliquando finiatur error*. Defuncto *Innocentio I.* anno 417. alia in Pelagianos sub *Zosimo* in Africa celebrata sunt Concilia, & tandem in Ephesina œcumenica Synodo contra Nestorium convocata nedum Nestorianæ hæresis, sed etiam Pelagianæ uno ore fuit conclamata damnatio. Et meritò conclamata hæresis Pelagianæ damnatio, nedum quia dari peccatum originale negat, de quo Paulus in Scriptura clamat ad Rom. cap. 5. vers. 12. *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes* pec-

peccaverunt; sed quia gratiæ necessitatem excludit omnem, contra illud Christi apud Joan. cap. 15. vers. 5. manifestè dicentis: *Sine me nihil potestis facere*: & illud ejusdem Pauli de seipso fatentis 1. ad Cor. cap. 15. vers. 10. *Gratia Dei sum id quod sum*: & iterùm 2. ad Cor. cap. 3. vers. 5. docentis: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*.

De Adrumetinis.

Adrumetini. Sciendum est primò ex malè intellectis S. Augusti. in Pelagianam hæresim scriptis, tres alios ex occasione fuisse ortos circa gratiam errores; unus fuit in Africa, alter in Gallia, tertius in loco incerto. Primus fuit *Adrumetinorum* in Africa Monachorum. Secundus quorumdam *Massiliensium* in Gallia Presbyterorum, vulgò Semipelagianorum. Tertius aliorum quorumdam, vulgò *Prædestinatianorum*. De singulis hìc pauca dicenda, & primò de *Adrumetinis*.

Per *Adrumetinos* intelliguntur hìc à nobis nonnulli Byzacenæ Provinciæ, seu regni Tunetensis in Africa *Adrumeti* degentes Monachi; unde *Adrumetini* ab *Adrumeto*, Cœnobii sui loco, sicut Cassinenses à Cassino, Cluniacenses à Cluniaco, & Cistercienses à Cistercio vocati: qui, visa S. Augustini ad *Sixtum* Epistola, quæ est inter Augustinianas 105. turbati sunt omnes, totumque Monasterium duas in partes, & in contraria scissum. Pars una, duce *Floro*, dicebat *gratiam Dei ita à S. Augustino prædicari, ut tolleret libertatem, & correctionis necessitatem*. Pars altera pro arbitrii libertate strenuè pugnans, *gratiæ negabat efficaciam*; quæ dissidia audiens S. Augustinus per *Felicem* & *Cresconium*, duos ejusdem Monasterii juvenes, ad *Valentinum* Monasterii præpositum duas scripsit Epistolas, totidemque Libros, unum nempe *de gratia & libero arbitrio*, alterum *de correctione & gratia*, quibus per gratiam non tolli libertatem, nec correctionis necessitatem, manifestè declarat, sicque extinctus est dissidentium partium calor, & finitus in Africa Adrumetinorum Monachorum error, pacatum Monasterium, pacati Monachi, & veritati per Augustinum explicatæ acquievere omnes, ac proinde non contumaces, non rebelles, non hæretici dicendi, sed instructi per Augustinum redeuntes ab errore Monachi.

De Semipelagianis, sive Massiliensibus.

Semipelagiani. Per *Massilienses*, sive *Semipelagianos* intelliguntur communiter nonnulli *Massiliæ* in Gallia degentes Presbyteri; unde Massilienses à Massilia dicti; qui lecto hoc secundo *de correctione & gratia* S. Augustini Libro ad Adrumeticos Monachos directo, visisque his quæ in eo de prædestinatione & divinæ gratiæ efficacia prædicantur à S. Augustino, scandalizari & per illud idem turbari cœpere, per quod Adrumetini fuere pacati Monachi; sicque turbati varios in errores prolapsi, in quibus cùm partim convenirent cum Pelagianis, & ab iisdem partim differrent, ideò *Semipelagiani* fuere vocati. Conveniebant autem cum Pelagianis in hoc, quòd dicerent, *Initium salutis nostræ à solis pendere naturæ viribus*. Ab iisdem econtra differebant, quòd reliquum salutis nostræ non à natura, sed à gratia pendere tenerent; ideò, inquam, Semipelagiani, seu reliquiæ Pe-

lagii fuere nuncupati, quamvis à S. Thoma 2. 2. qu. 6. art. 5. sint communi nomine Pelagiani vocati.

Semipelagianæ hujus doctrinæ Patroni præcipui creduntur isti, viri licèt aliunde pii, sapientes & eruditi, videlicet *Vitalis Carthaginensis*, *Joannes Cassianus*, *Faustus Regiensis*, *Vincentius Lirinensis*, *Gennadius & Severus Sulpicius*.

De *Vitali Carthaginensi* colligitur ex S. August. in Epist. 107. ad *Vitalem* sic loquente: *Te audio dicere ut rectè credamus in Deum & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse.*

De *Cassiano* sive Collatore, Atheniensi, ut creditur, vel incertæ patriæ viro, ut putant alii, & professione Monacho sanctissimo, infertur ex ejus collatione 13. in qua Semipelagianos miscuit errores.

De *Fausto* patria Britanno, professione Lirinensis Cœnobii Monacho, ibique ex Monacho, Abbate, & tandem Ecclesiæ Regiensis Episcopo, convincitur ex duobus ejus de gratia & libero arbitrio editis Libris, in quibus Pelagium refellere videri volens, reverà Pelagio favet, & Catholicam S. August. de gratia & prædestinatione doctrinam impugnat; nosque solis naturæ viribus fidem assequi, quærere, pulsare & petere ut eam impetremus asserit; quibus tamen non obstantibus erroribus eo tempore nondum damnatis, aras, & sacros honores in Ecclesia Regiensi post mortem obtinuit.

De *Vincentio* Lirinensi, viro licèt erudito & magno, colligitur ex eò quòd in suo Commonitorio cap. 37. gratiam Dei universis hominibus esse communem, illamque pulsantibus & petentibus, solis naturæ viribus conferri doceat.

De *Gennadio* Massiliensis Ecclesiæ Presbytero, Gelasiique Romani Pontificis coævo suadetur 1. ex ejus de viris illustribus Libro, quo *S. Augustinum*, ejusque Discipulum ac defensorem *Prosperum* velut errantes impugnat; *Cassianum* econtrà & *Faustum* Semipelagianos laudat. Et 2. ex eo quòd de eo Baronius ad annum 433. eum fuisse ejusdem sectæ cum Cassiano virum asserat, & ad annum 490. eum fuisse unum è Galliæ Presbyteris, de quibus ad Cœlestinum Sum. Pont. conquesti sunt Prosper & Hilarius, quòd S. Augustini adversaretur doctrinæ; addens eum opera *Gelasii* resipuisse, & ad Massiliensem Episcopatum evectum, catholicè tandem obiisse.

De *Severo Sulpicio* Aginnensis Diœcesis Presbytero, *S. Martini* discipulo, & *SS. Hieronymi* ac *Paulini* coævo, infertur à *Baronio*, fide fulto *Gennadii* dicentis lib. de viris illustribus, illum jam senem à Pelagianis fuisse deceptum; quod tamen rejicit *Gilbertus* Gemblacensis Abbas, in Apologia pro Severo Sulpicio; asserens se hoc in solo legisse Gennadio, & nusquam alibi: sed quidquid sit de illius doctrina, eum catholicè obiisse constat circa annum Christi Domini 420. & egregias scripto reliquisse sui ingenii reliquias.

Contra hujusmodi Semipelagianæ sectæ patronos pugnavit *S. August.* à SS. Hilario & Prospero è Gallia monitus, duobus editis hunc in finem Libris, uno videlicet *de prædestinatione Sanctorum*, & *de perseverantiæ dono* altero. Pugnavit in eosdem *S. Prosper*, edito contra Collatorem Libro; pugnavit pariter & Auctor duorum Librorum *de vocatione Gentium*, sicut & *S. Cæsarius*, ex Lirinensi Monacho Arelatensis Episcopus; & tan-

dem damnata hæc Semipelagiana doctrina in Arausicano Concilio secundo, anno circiter 529. Can. 5. dicente : *Si quis sicut & augmentum, ita & initium fidei, non per gratiæ donum, sed naturaliter in nobis esse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur, B. Petro dicente : Quia qui cæpit in nobis opus bonum, perficiet*; & Canone 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, conantibus, & pulsantibus nobis misericordiam conferri dicit, resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod non accepisti? &, Gratia Dei sum id quod sum*. Ex quo Concilio, sub *Felice IV.* habito, & non antè, pro hæreticis haberi cœpere Semipelagiani.

De Prædestinatianis.

Prædestinatiani. *Prædestinatiani* dicuntur nonnulli, sub Honorio Imp. & *Innocentio I.* Rom. Pont. suborti in Africa, ut creditur, hæretici, circa annum 415. qui ex malè intellectis S. Augustini *de gratia & prædestinatione* Libris, inferebant *bona opera nihil prodesse reprobis, nec mala nocere prædestinatis*; unde à sua doctrina nomen consecuti, Prædestinati, sive *Prædestinatiani* vocati, licèt incerti loci, incertique Auctoris hæretici, imò fabulosam omninò illorum hæresim putant è recentioribus nonnulli, quam tamen primitùs ab Adrumetinis ortam Monachis veriùs asserunt alii, statimque sopitam ab Augustino, ad illos misso *de correctione & gratia* libro; sed à *Lucidio* quodam Presbytero circa annum 475. infeliciter revocatam & auctam, post S. Augustini obitum; iterùmque duobus in Conciliis iisdem temporibus habitis, *Arelatensi* nimirum uno, & *Lugdunensi* altero proscriptam, rursusque sæculo 9. à *Gottescalcho*, viro natione Germano, & professione Ord. S. Bened. Orbaciensis Abbatiæ Monacho recoctam, & iterùm pariter à duobus Conciliis aliis, *Moguntino* scilicet & *Carisiaco* damnatam, & meritò damnatam, (licèt iis non obstantibus, sæculo retrò proximè lapso per *Lutherum* renovatam, & per *Calvinum*, Calvinique sectarios ad nostra usque tempora propagatam,) cùm hæc tam perversa doctrina bonos à bonis operibus avertens, & malos ad mala provocans, manifestè repugnet doctrinæ Christi dicentis Matth. cap. 19. vers. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; & adversatur Petro Epist. 2. cap. 1. vers. 10. manifestè clamanti : *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*.

De Jansenianis.

Janseniani. *Janseniani*, sive *Jansenistæ* nostris temporibus dicti sunt hi, qui quinque propositiones è Libro, cui titulus est *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, excerptas propugnabant, & propugnando, varias in Belgio præsertim & in Gallia controversias, turbas & rixas excitabant : sunt autem propositiones illæ præfatæ, sequentes istæ:

1. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

2. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.*

3. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

4. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singu-*

singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Contra istos sufficiat nobis dixisse, quòd de his quinque propositionibus rogata sancta Sedes ut definiret quid de his tenendum esset, tandem post longam accurati examinis indaginem, & preces Patri luminum enixè fusas, emanavit constitutio specialis ab *Innocentio X.* Summo Pontifice anno 1653. qua ita damnantur, & singulari singulæ inuruntur nota propositiones illæ, ut

1. Dicatur & declaretur *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica,* & uti talis damnetur.

2. Verò & 3. eadem inurantur nota, utraque declaretur *hæretica*, & uti talis damnetur.

4. Declaretur *falsa & hæretica*, & uti talis damnetur.

5. Denique declaretur *falsa, temeraria, scandalosa,* & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, *impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica,* & uti talis damnetur.

Et hæc constitutio *Innocentii X.* fuit confirmata & approbata ab *Alexandro VII.* easdem propositiones cum eadem cuique inusta nota iterùm damnante, anno 1656. quæ utriusque Summi Pontificis *Innocentii* & *Alexandri* constitutio statim ubique recepta in tota Ecclesia per orbem diffusa.

ARTICULUS V.

De præcipuis circa actiones humanas hæresibus.

Cum actus humani spectari possint vel ex parte principii à quo procedunt, vel ex parte sui præcisè, vel ex parte finis ad quem ultimò tendunt, & cujus ratione fiunt; ita & hæreses erroresque vitandi circa actus humanos diversis temporibus orti, eorumdem circa principium, naturam, vel finem versari possunt. Erraverunt enim circa hominis libertatem, omnis actionis humanæ principium, auctores sive Gentiles, sive hæretici non pauci. Errarunt circa naturam, usum, vel qualitates eorumdem numero multi. Errarunt & circa finem ultimum eorumdem supremam videlicèt hominis felicitatem plures alii; hos inter omnes, fuere præcipui sequentes isti, ordine temporum cursim hìc delineandi, videlicet *Nicolaitæ, Cainani, Gnostici, Messaliani, Millenarii, Bardesanitæ, Arabici, Priscillianistæ, Beguardi, & Beguinæ, Dulcinistæ, Turlupini, Libertini, sive Quintinistæ, Illuminati, Quietistæ,* & alii.

Circa actus humanos errarunt præsertim

De Nicolaitis.

Nicolaitæ sic vulgò dicti à *Nicolao* advena Antiocheno, de septem primis nascentis Ecclesiæ Diaconis per Apostolos electis uno, qui de zelotypia formosæ conjugis increpatus ab Apostolis, ut se ab objecto crimine immunem esse probaret, conjugem coram omnibus in publicum ducens, Nicolaitæ.

per-

permisit ut ea uteretur qui vellet: ex quo turpi facto orta est aliis occasio turpem sub *Nicolaitarum* nomine Sectam erigendi, & matrimonium unius cum una contemnendi, ac perperàm & falsò dicendi *uxores communes esse*, licitum esse ut quisque ea uteretur qua vellet fœmina, seu promiscuos licitos esse concubitus, contra illud Christi apud Matthæum cap. 19. vers. 4. & 5. dicentis: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Unde meritò reprobatur hæc Nicolaitarum Secta à Christo dicente Apoc. cap. 2. vers. 6. Angelo Ephesi: *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Ac proinde non mirum, si *S. Ignatius* Trallensibus scribens dicat: *Fugite illos immundissimos Nicolaitas amatores libidinis.*

De Cainanis.

Cainani. *Cainani*, vel *Caini* dicuntur hæretici illi, qui sub Antonino Pio Imp. & *Pio I.* Rom. Pont. vigere cœpere, anno circiter 150. quos Tertullianus suo de hæresibus libello Chaldæos vocat, & qui inter alia multa, in hoc præsertim turpiter errabant, quòd *Cain* primogenitum *Adæ* filium, miserumque *Abelis* fratricidam venerarentur & colerent; unde *Cainani*, vel *Caini* nuncupati. Arbitrabantur quippe *Cainum* ex virtute diaboli, *Abelem* verò ex Dei virtute natum, majoremque virtutem quàm in *Caino* esse putabant, ita prævaluisse ut suum interfecerit fratrem *Abelem*: & nedum in hoc solo errabant, quòd *Cainum* colerent, sed & quòd *Judam* Christi proditorem adorarent, in illo quid divinum fuisse somniantes, eumque præscientem, quantum generis humani saluti esset profutura Christi Passio, Christum Dominum Judæis tradidisse captandum, imò nec solos *Cainum* & *Judam*, sed & *Core*, *Dathan* & *Abiron*, (qui schisma facientes in primo populo Dei, terra hiscente perierunt,) sed & *Sodomitas*, & similes alios vitæ sceleratæ viros in Scriptura memoratos colerent & laudarent.

Contra quos hæresi 38. vehementer & eruditè pugnans sanctus Epiphanius, ait inter alia: *Quòd hi omnimodo seducti sunt, quòd non bonum quemdam colunt & laudant; palam autem est, quòd hæc ex diabolo ipsis insita sunt, ignorantia videlicet & seductio; impletur autem in ipsis quod scriptum est Isajæ*, cap. 5. vers. 20. *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: undique enim vetus & novum Testamentum pronuntiat, impietatem ipsius Cain prædicans; hi verò cùm tenebrarum sint amatores, & malefactorum imitatores, ipsum Abel odio habent, Cain verò diligunt, & Judæ laudem tribuunt, &c.* Pudeat ergo eos fratricidam colere Cainum, de quo Scriptura dicit, Gen. cap. 4. vers. 11. *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Pudeat eos Judam Christi proditorem venerari & laudare, de quo dicitur Matth. cap. 26. vers. 24. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille*; qui reipsa non homo, sed diabolus malitia fuit, dum Christum tradidit, juxta illud Joan. cap. 6. vers. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?*

De

De Gnosticis.

Gnostici sive *Scientes*, de quibus S. August. lib. de hæres. ad Quodvult-deum ait: *Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur, cùm sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores, & cùm ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes, aliter atque aliter nuncupentur; nonnulli eos etiam Borboritas vocant quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem quam in suis mysteriis exercere dicuntur.* Illos aliqui à *Basilide* exortos volunt, ut S. Hieron. alii à *Carpocrate*, ut S. Irenæus, alii à *Valentino*, alii à *Nicolaitis*, ut S. Augustinus. Dicunt alii eos suum cœpisse Romæ diffundere sectæ venenum circa annum 167. opera & industria cujusdam *Marcellinæ*, venustæ quidem & ingeniosæ, sed inverecundæ & sceleribus oneratæ fœminæ. Tradebant autem, inquit S. August. *dogmata fabulosissimis plena figmentis*. Gnostici.

Nedum enim docebant 1. *duo esse rerum omnium principia*. 2. *Christum non fuisse Deum, sed in eo Deum habitasse*; sed insuper & 3. *turpissimas & nefandissimas corporis voluptates licitas esse* tenebant; unde præcipuum hujus diabolicæ sectæ dogma erat, *nefanda uxorum communitas, & turpitudinis cujuslibet detestabilis usus*; in Nicolaitis à Christo reprobatus, à quibus & turpes istos descendisse *Gnosticos*, & temporibus Apostolicis grassari cœpisse suadetur ex eo quòd *S. Chrysostomus* & *Theodoretus* de iis loqui *Paulum* asserant, dum prima ad Timoth. cap. 6. vers. 20. ait: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*, hoc est, *ò Timothee*, ò Episcope, ò Sacerdos, ò Doctor, *depositum custodi*, id est, doctrinam sanam & Catholicam à me tibi & à Christo concreditam conserva, *devitans* quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, *profanas* seu vanas, quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, à fide, Ecclesia & religione alienas, *vocum*, imò rerum, sententiarum, ac consequenter sermonum *novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ*, id est, antitheses, oppositiones & objectiones falsò nominatæ scientiæ, seu hæreticorum illorum, qui se *Gnosticos*, sive scientes falsò nominant, qui sibi falsò scientiam arrogant, quasi ipsi soli saperent; cùm non sit vera scientia, ubi non est vera fides, qua ipsi carent, cùm circa fidem exciderint.

De Messalianis, sive Enthusiastis.

Messaliani sive *Massaliani*, qui ab aliis *Euchitæ*, id est, Orantes; ab aliis *Enthusiastæ*, hoc est, numine afflati, seu Phanatici vocantur, ob extases & raptus quibus divinas inspirationes jactitabant; qui Valentis Imperatoris & *Damasi* Papæ temporibus, circa annum 380. ita erant *orationibus intenti, Deoque relicti, & à cæteris etiam bonis operibus & Sacramentis alieni*, ut omnia, etiam bona opera & Sacramenta ut indifferentia negligerent, ipsumque Baptismum inutilem reputarent, solamque orationem sibi sufficere crederent ad omnia delenda peccata, ad Dæmonem fugandum, tentationes vincendas, ipsam quoque consequendam vitam æternam. Messaliani.

Cujus Phanaticæ sectæ auctores præcipui fuere *Dadoes*, *Sabas*, *Adelphius*, *Simeones* & *Hermas*, vel, ut placet aliis, *Hermias*, qui se Prophetas esse, se sanctam Trinitatem oculis corporeis videre, seque ad tantam

Dei

Dei similitudinem venire posse jactabant, ut ampliùs peccare nòn possent; & ita erant à Dæmone illusi, ut Dæmonis operationem expectarent, quam Spiritus sancti præsentiam esse credebant; unde *Enthusiastæ*, seu numine afflati fuere vocati. Sed hæc Phanaticorum secta statim debellata fuit, & proscripta ab Orientalibus Episcopis, præsertim à *Letojo* Melitenensis Ecclesiæ Præsule, qui hos lupos ut à suis arceret ovibus, eorum speluncas incendit, & insuper ab *Amphilochio* Ecclesiæ Iconiensis Episcopo, qui eos à suo grege pariter procul abegit, & tandem à *Flaviano* Antiocheno Patriarcha, qui *Adelphium* sectæ ducem, & senem inveteratum convicit, & ad fidem reduxit Ecclesiæ Catholicæ, dicentis cum Christo de Baptismo, Joan. cap. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; & de bonis operibus cum Petro, Epist. 2. cap. 1. vers. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

De Millenariis.

Millenarii. *Millenarii* sive *Chiliastæ*, sic à voce græca χιλιὰς significante *numerum millenarium* dicti; qui sub Adriano Imp. & *Sixto I.* Rom. Pont. cum *Cerintho* de beatitudine ultima hominis, & omnis actionis humanæ fine sentientes, unde & *Cerinthiani*, asserebant *post resurrectionem*, *Christum per mille annos regnaturum in terris*, Sanctosque cum Christo corporaliter victuros in deliciis & voluptatibus corporis, epulando, generando, eo modo quo nunc in præsenti vita fieri constat: cujus hæreseos à *Cerintho* primitùs ortæ primus defensor creditur *Papias* Hierapolitanus Antistes, circa annum Christi 130.

Sed hæc omnia colliguntur ex Scripturis manifestè falsa, Christo Domino Judæis quibusdam hac de re suspicantibus dicente, Matth. cap. 22. vers. 29. *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Imò & Paulo divino Christi Præcone ad Rom. cap. 14. vers. 17. scribente: *Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto*. Et denique Angelo Virginem Deiparam salutante, & futurum Christi regnum æternum annuntiante his verbis, Luc. 1. vers. 32. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*. Ergo si æternum futurum sit Christi regnum, si nullus sit futurus finis ejus, errant qui Christi regnum mille annorum in terris futurum enarrant. Quæ denique *Millenariorum* hæresis per Apollinarem renovata, in Romano Concilio contra Apollinaristas convocato à *Damaso* Papa anno 373. ita condemnata fuit, ut posthac omninò conticuerit, nec ampliùs audita fuerit.

De Bardesanitis.

Bardesanitæ. *Bardesanitæ*, sic dicti à *Bardesane* quodam natione Syro, & patria Edesseno viro, sub M. Antonino Imp. & *Pio I.* Rom. Pont. secundo vivente sæculo, anno circiter 160. qui, juxta sanctum Epiphan. hær. 36. *Primùm quidem optimus vir fuit, & libros non paucos conscripsit, quando sanam mentem habebat; nam ex sancta Dei Ecclesia procedebat; doctus existens in duabus linguis Græca & Syrorum*; & qui Apollonio Antonini Impera-

peratoris amico viro monenti, ut se christianum esse negaret, forti restitit animo, mortem potiùs subire paratus, quàm Christi fidem negare; sicque insignis & egregius fuit sub initio fidei defensor: sed tandem sub fine in Valentini lapsus est hæresim; quem ideò *S. Epiphanius* similem dicit navi pretiosis oneratæ mercibus, & per altum mare feliciter eunti, sed tandem in portu miserè naufragium passæ; & de quo *S. Augustinus* lib. de hær. cap. 33. dicit: *In doctrina Christi priùs extitiße perhibetur insignis, quamvis postea per omnia in Valentini lapsus hæresim, addens de suo, ut fato adscriberet conversationes hominum, ac proinde hominem non liberè, sed necessariò operari teneret.*

Quod sacra passim Scriptura reprobat, hominem in suis operationibus liberum esse docens, ut dum Isajæ cap. 1. vers. 19. ait: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quòd si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Et Ecclesiastici cap. 15. vers. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui.* Et denique Matth. cap. 19. vers. 17. ubi Christus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quod sanè perperàm diceretur, si suis in operationibus liber non esset homo ad agendum, vel non agendum.

De Arabicis.

Arabici fuere nonnulli in Arabia grassantes hæretici, quorum ignotus est auctor, & de quibus *S. Augustinus* ait lib. de hær. cap. 83. *Cùm Eusebii historiam perscrutatus essem, cui Ruffinus à se in Latinam linguam translatæ subsequentium etiam temporum duos Libros addidit, non inveni aliquam hæresim quam non legerim apud istos, nisi quam in sexto Libro ponit Eusebius, narrans eam extitisse in Arabia. Itaque hos hæreticos, quoniam nullum eorum ponit auctorem, Arabicos poßumus nuncupare, qui dixerunt animas cum corporibus mori atque dissolvi, & in fine sæculi utrumque resurgere; sed hos disputatione Origenis præsentis, & eos alloquentis, celerrimè dicit fuisse correctos.* Arabici.

Contra quos & alios idem de anima omnis actionis humanæ principio sentientes hæreticos, duos edidit Libros sanctus *Chrysostomus*, & de quibus *S. Isidorus* in cap. 13. Levitici ait: *In carne viva lepram gestat, qui de anima quæ vita carnis est, aliquid falsum existimat, sicut Arabici, qui animam mori cum corpore putant*; & contra quos omnes Scriptura clamat Sap. 3. vers. 1. dicens: *Justorum animæ in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis.* Et Matth. cap. 10. vers. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poßunt occidere*; & denique Lucæ cap. 23. vers. 43. ubi Christus B. Latroni ait: *Hodie mecum eris in Paradiso*, non in corpore, ut patet; ergo in anima post corporis mortem superstite, & cum Christo in Cœlis regnante.

De Priscillianistis.

Priscillianistæ orti à *Priscilliano*, viro natione Hispano, & in Hispania Ecclesiæ Abulensis Episcopo, sub Valentiniano Imp. & *Siricio* Rom. Pont. circa annum 388. qui, præterquàm quòd in multis communicabant cum hæreticis aliis, ut v. g. cum *Manichæis*, in eo quòd *duos admitterent Deos*, bonum unum, & malum alterum: cum *Noeto* & *Sabellio*, in eo Priscillianistæ.

quòd

quòd *Trinitatem personarum* in Deo esse negarent : cum *Origene*, in eo quòd *animas, antequam infunderentur in corpora, peccasse; & in pœnam peccati, in corpora tanquam in carceres fuisse reclusas*, assererent. Præterquam quòd insuper pro sua occultanda doctrina, *perjurium licitum esse, & cum juramento negandum* affirmarent, illud tritum semper habentes in ore:

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Præter alios errores sibi cum *Montano* & *Tatiano* communes, docebant insuper cum suo duce *Priscilliano* Manichæum secuto, *hominem esse fatalibus stellis alligatum.*

Sed hæc doctrina manifestè fidei repugnat, cùm tollat liberum hominis arbitrium; nam si in agendo liber est homo, ita ut possit agere vel non agere, consequens est, ut non sit fatalibus alligatus astris; aut si ita alligatus sit astris, ut ex illorum influxu pendeat in agendo, consequens est eum ita necessariò agere, ut non possit non agere, ac proinde eum liberum non esse; quod est contra Ecclesiæ fidem; unde meritò damnata istorum & aliorum similiter errantium doctrina in Concilio Braccarensi cap. 9. decretorum, sic expresse definiente: *Si quis animas, & corpora humana fatali signo credit astringi, sicut Pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

De Beguardis, & Beguinis.

Beguardi & Beguinæ.

Beguardi, Begumi & Beguinæ dicuntur nonnullæ utriusque sexus hæreticæ personæ, quæ 13. sæculo, sumpto religionis habitu, & monachali velatæ cuculla collegiatè & monasticè vivebant, licèt cœlibatum non servantes, distinctis quidem in Cœnobiis degentes, mulieres sine voto & liberè, viri verò cum trium Monasticorum emissione votorum.

Beguardi unde dicantur non satis constat; hoc unum eis fuisse commune nomen cum *Fratricellis* & *Bizochis* colligitur ex Extravagante Joannis XXII. quæ incipit, *Sancta Romana, &c.* in qua de his sic legitur: *Nonnulli profanæ multitudinis viri sunt, qui vulgariter Fratricelli, seu Fratres de paupere vita, Bizochi, sive Beguardi, vel aliis nominibus nuncupantur, in partibus Italiæ, necnon in insula Siciliensi, qui contra Canones, habitum novæ religionis sumpserunt*; quo sub habitu, quasi sub ovina pelle lupi varios disseminabant errores.

Beguinæ verò mulierculæ repeiuntur duplicis fuisse generis. Aliæ enim erant, quæ astrictæ voto, sanctè religioseque vivebant juxta constitutiones sibi à sancta *Begga*, S. Gertrudis sorore traditas; vel ut opinantur alii, à pio quodam sanctoque Presbytero *Lamberto Begha* dicto; unde & ipsæ *Beguinæ* nuncupatæ, & ex iis esse dicuntur illæ, quæ piè sanctèque vivunt adhuc in Belgio. Aliæ erant *Beguinæ*, quæ sine voto & liberè, licèt monasticè vivebant, sequentes Beguardorum errores, & cujusdam *Margaritæ Porretæ*, ex Hannonia oriundæ fœminæ, Parisiis damnatæ & comburi jussæ, ob editum Librum erroribus plenum, anno 1210. Docebant autem inter alia Beguardi,

1. Hominem in hac præsenti vita talem perfectionis gradum assequi posse, ut reddatur impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valeat.

2. Hominem illum, qui ad hunc perfectionis gradum pervenit, non teneri

neri ampliùs orare, nec Ecclesiastica jejunia servare, nec ullos virtutum actus exercere, nec ulla bona opera præstare; imò nec assurgere ad adorandum, dum elevatur Eucharistiæ Sacramentum; quia tunc sensualitas ita est planè rationi subdita, ut possit homo suo corpori quidquid placuerit permittere.

3. Hominem in hac vita finalem beatitudinem ita perfectam assequi posse, ac in patria.

4. Quamlibet naturam intellectualem in seipsa esse naturaliter beatam, nec indigere lumine gloriæ ad Deum videndum, contra illud Pauli ad Romanos cap. *6.* vers. 23. dicentis: *Gratia Dei, vita æterna*; si per Dei gratiam obtinetur vita æterna, ergo non sola natura.

Sed hi omnes damnati cum suis erroribus hæretici, primò in Concilio Viennensi in Austria anno 1166. deinde in Coloniensi alio, anno 1260. & tandem in œcumenico Viennensi Concilio in Delphinatu sub *Clemente V.* anno 1311.

De Dulcinistis.

Dulcinistæ à *Dulcino* quodam impio & impuro, ineuntis decimi-quarti sæculi viro; qui sub Henrico VII. Imp. & *Clemente V.* Rom. Pont. circa annum 1300. præter Valdensium sordes quibus inhærebant, dicebat *se venisse, ut tertium Spiritus sancti prædicaret regnum; addens Patris æterni regnum durasse usque ad Christi adventum; regnum verò Christi usque ad annum* 1300. & hæc impia dum seminabat deliria, interim charitatis prætextu turpia patrabat & horrenda plura, totque sui sectarios & sequaces utriusque sexus habuit, quos versus Alpium juga duxit, ibique simul & promiscuè per duorum vel trium circiter annorum spatium cohabitare fecit, ut ad eos debellandos, indeque detrudendos, tamque sceleratæ ac contaminatæ hæreticorum sectæ tollenda mala, speciali opus fuerit cruciatorum expeditione à *Clemente V.* Rom. Pont. indicta, quæ tandem hos nefandos & sceleratos homines delevit & erasit; captus siquidem fuit *Dulcinus* cum sua uxore *Margarita*, & pluribus aliis sceleratæ factionis sociis, qui membratim priùs concisi sunt, deinde exusti & in cineres redacti. Dulcinistæ.

Et meritò erasi fuere illi sceleratæ factionis hæretici; qui, ut Osee verbis utar, cap. 4. vers. 14. *Cum meretricibus conversabantur, & cum effœminatis sacrificabant*; meritòque in cineres redactus & erasus cum suis *Dulcinus* ille, qui ut suum tertium commentitium suaderet regnum, fingebat Christi desiisse regnum, de quo dicitur Psalm. 144. vers. 13. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum*. Et Dan. cap. 3. vers. 100. *Regnum ejus regnum sempiternum*. Et Luc. cap. 1. vers. 32. *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*.

De Turlupinis.

Turlupini fuere nonnulli brutales, turpes & inverecundi, decimo-quarto sæculo grassantes hæretici, verique sub tunica Christi, Epicurei viri; qui, præter turpes & impias in quibus volutabantur Beguardorum hæreses, *De nulla re nobis à natura concessa erubescendum esse docebant*. Unde turpi Cynicorum Philosophorum more, omnia verenda publicè nudata gestabant, & quod est dictu horrendum & cogitatu pudendum, in publico Turlupini.

canum

canum instar, & velut jumenta coibant; asserentes insuper non orandum esse vocaliter, sed mentaliter tantùm.

Sed tandem crasa est atque deleta hæc scelerata turpium hominum secta, anno circiter 1372. sub Carolo IV. Imp. & *Gregorio XI.* Rom. Pont. & meritò vita privati brutales illi, & ex hominum consortio sublati, qui non ut homines humano modo vivebant, sed ut bruta brutalia præstabant, & pejora multòque graviora his, de quibus Scriptura dicit ad Galat. cap. 5. vers. 21. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

De Libertinis, sive Quintinistis.

Libertini. *Libertini* sive *Quintinistæ* fuere nonnulli decimo sexto incipiente sæculo grassantes hæretici, & in Hollandia & Brabantia varias in sectas divisi; qui ob effrænam quam prædicabant vivendi libertatem, *Libertini* fuere nuncupati; & quia illorum Anctor & Heros erat vir quidam natione Picardus, professione sartor, & nomine *Joannes Quintinus*, inde & *Quintinistæ* pariter in Gallia vocati. Docebant autem impii illi inter impia alia, cum suo Heroe *Quintino*, ejusque socio *Coppino* Insulano, & ejusdem furfuris viro, sub Carolo V. Imp. & *Clemente VII.* Rom. Pont. circa annum 1525. Primò, ridendas & pro fabulis habendas esse Scripturas, & *solum sequendum esse Spiritum vivificantem*, unde & spirituales dici volebant. 2. Quæcumque videntur ab hominibus fieri, non ab hominibus, sed à Deo fieri dicebant, ac proinde peccatum nihil esse præter inanem opinionem, cùm sit à Deo qui fecit omnia, & Deus nihil mali faciat; sic isti se nusquam peccare putant, nec debere reprehendi quidquid agant, quia hoc esset Deum reprehendere; ac proinde omnibus omnia licita esse volunt, & cuilibet suo modo vivere permissum.

Sed contra impios illos omnis religionis, veriùs dixero nullius religionis, & nullius Scripturæ viros, sic philosophando dici potest.

1. Si ridendæ sunt Scripturæ, & solus sequendus vivificans Spiritus, ridendi erunt & ipsi *Libertini*, qui dum Scripturas rident & pro fabulis habent, Scripturis nihilominus credunt; unde enim habent, quòd Spiritus vivificet? nisi ex Scriptura dicente 2. ad Cor. cap. 3. vers. 6. *Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.*

2. Si ridendæ essent Scripturæ, & ut fabulæ non audiendæ, ridenda pariter esset, & ut fabula non audienda Christi religio nostra, quæ Scripturas divinas veneratur & audit, quæ tota divinis Scripturis nititur, stabilitur & regitur: Atqui hoc dicet nemo, nec dicere possunt ipsi quantumvis impii *Libertini*, qui religiones approbant omnes, ac proinde nostram, velint nolint, omnium optimam, & unicè veram; ergo nec dicere possunt ridendas esse, & ut fabulas non audiendas Scripturas.

3. Si peccatum nihil esset, si omnibus omnia licita forent, licitum consequenter cuilibet esset occidere, furari, mœchari, & alia quæque nefanda præstare: Atqui hæc nedum passim Scriptura vetat, nedum religio reprobat omnis, sed & ipsa naturalis ratio damnat; ergo & damnat impia illa, ex quibus sequuntur *Libertinorum* deliria, asserentia peccatum nihil esse, & omnibus omnia licita.

De

De Illuminatis.

Illuminati dici voluere nonnulli Phanatici, & falsæ pietatis viri in Hispania suborti anno circiter 1575. sed quia statim justo sacræ Inquisitionis judicio, *Cordubæ* puniti; ideò illorum illicò tacuit sopita secta usque ad annum circiter 1623. quo renovari cœpit, & reviviscere in *Hispalensi* Diœcesi, in qua novi renascentis sectæ phanaticæ patroni eosdem errores prædicare cœpere, quos inter errores capitale sectæ dogma erat; *Quòd se vi Orationis mentalis tantam cum Deo unionem, talemque perfectionis statum assecutos jactarent, ut se nec bonis operibus, nec Sacramentis egere dicerent, seque impura & nefanda quæque sine peccato etiam veniali patrare posse tenerent.* Illuminati.

Unde meritò iterùm sacræ Inquisitionis decreto proscripti fuere hujus sectæ viri, ejusque septem duces præcipui incendio combusti, alii verò fuga salvi, vel regnò exire jussi anno 1633. cura & zelo *Andreæ Pacheci*, Hispalensis Episcopi, totiusque regni generalis Inquisitoris æquissimi. Meritò quidem; cùm contra illos & alios quoscumque asserentes, se non bonis egere operibus ad salutem consequendam, passim Scriptura clamet, & præsertim Matth. cap. 16. vers. 27. dicens, venturum esse Filium hominis, Christum scilicet in fine mundi, *Et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus*; & in Apoc. cap. 14. vers. 13. dicat sola nos post mortem sequi opera: *Opera enim illorum sequuntur illos*. Meritò proscripti & erasi cæci illi, qui se ita illuminatos, perfectos & impeccabiles fingebant, ut se impura & nefanda quæque sine peccato patrare posse tenerent, cùm 1. Joan. cap. 1. vers. 8. manifestè Scriptura dicat: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

De Quietistis.

Quietistæ sapienter olim & verè dicebantur viri illi sancti, qui solitariè degentes procul negotiis, & à mundo longè semoti, Deo soli sanctè quietèque vacabant: sed per abusum & falsò *Quietistæ* vocantur hodie, pseudo-mystici nonnulli recenter exorti, quorum perversæ doctrinæ summa in hoc ferè volvitur tota, ut velint & asserant, *In vita spirituali sive mystica hos solos censendos esse perfectos & verè mysticos, qui per unum actum, & solummodò non revocatum, Deo semel oblati, & ut ajunt, totaliter uniti, resignati atque relicti, reliquos omnes ut superfluos suspendunt actus, & velut exanimes permanendo, nihil prorsus operando, neque volendo, neque petendo, nec de acceptis Deo gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, sed silendo & merè passivè se habendo, in absoluta permanent indifferentia de omnibus, etiam de pœna, vel de præmio, de inferno, vel de Paradiso, de æterna damnatione, vel de salute, sinendo ut Deus solus operetur activè, & suam divinam voluntatem impleat in illis*; unde quia potentias quiescere, & actus cessare omnes volunt istius pseudo-mysticæ Theologiæ viri, sancta abutentes orationis passivæ quiete, inde perperàm per abusum & falsò sunt *Quietistæ* vocati. Quietistæ.

Sed meritò ab *Innocentio XI.* Summo Pontifice damnati anno Christi 1687. dum Romæ convictus est & damnatus illorum Coryphæus & antesignanus *Michael de Molinos*, Presbyter Hispanus, & simul cum eo damna-

canum instar, & velut jumenta coibant; asserentes insuper non orandum esse vocaliter, sed mentaliter tantùm.

Sed tandem crasa est atque deleta hæc scelerata turpium hominum secta, anno circiter 1372. sub Carolo IV. Imp. & *Gregorio XI.* Rom. Pont. & meritò vita privati brutales illi, & ex hominum consortio sublati, qui non ut homines humano modo vivebant, sed ut bruta brutalia præstabant, & pejora multòque graviora his, de quibus Scriptura dicit ad Galat. cap. 5. vers. 21. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

De Libertinis, sive Quintinistis.

Libertini. *Libertini* sive *Quintinistæ* fuere nonnulli decimo sexto incipiente sæculo grassantes hæretici, & in Hollandia & Brabantia varias in sectas divisi; qui ob effrænam quam prædicabant vivendi libertatem, *Libertini* fuere nuncupati; & quia illorum Auctor & Heros erat vir quidam natione Picardus, professione sartor, & nomine *Joannes Quintinus*, inde & *Quintinistæ* pariter in Gallia vocati. Docebant autem impii illi inter impia alia, cum suo Heroe *Quintino*, ejusque socio *Coppino* Insulario, & ejusdem furfuris viro, sub Carolo V. Imp. & *Clemente VII.* Rom. Pont. circa annum 1525. Primò, ridendas & pro fabulis habendas esse Scripturas, & *solum sequendum esse Spiritum vivificantem*, unde & spirituales dici volebant. 2. Quæcumque videntur ab hominibus fieri, non ab hominibus, sed à Deo fieri dicebant, ac proinde peccatum nihil esse præter inanem opinionem, cùm sit à Deo qui fecit omnia, & Deus nihil mali faciat; sic isti se nusquam peccare putant, nec debere reprehendi quidquid agant, quia hoc esset Deum reprehendere; ac proinde omnibus omnia licita esse volunt, & cuilibet suo modo vivere permissum.

Sed contra impios illos omnis religionis, veriùs dixero nullius religionis, & nullius Scripturæ viros, sic philosophando dici potest.

1. Si ridendæ sunt Scripturæ, & solus sequendus vivificans Spiritus, ridendi erunt & ipsi *Libertini*, qui dum Scripturas rident & pro fabulis habent, Scripturis nihilominùs credunt; unde enim habent, quòd Spiritus vivificet? nisi ex Scriptura dicente 2. ad Cor. cap. 3. vers. 6. *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.*

2. Si ridendæ essent Scripturæ, & ut fabulæ non audiendæ, ridenda pariter esset, & ut fabula non audienda Christi religio nostra, quæ Scripturas divinas veneratur & audit, quæ tota divinis Scripturis nititur, stabilitur & regitur: Atqui hoc dicet nemo, nec dicere possunt ipsi quantumvis impii *Libertini*, qui religiones approbant omnes, ac proinde nostram, velint nolint, omnium optimam, & unicè veram; ergo nec dicere possunt ridendas esse, & ut fabulas non audiendas Scripturas.

3. Si peccatum nihil esset, si omnibus omnia licita forent, licitum consequenter cuilibet esset occidere, furari, mœchari, & alia quæque nefanda præstare: Atqui hæc nedum passim Scriptura vetat, nedum religio reprobat omnis, sed & ipsa naturalis ratio damnat; ergo & damnat impia illa, ex quibus sequuntur *Libertinorum* deliria, asserentia peccatum nihil esse, & omnibus omnia licita.

De

De Illuminatis.

Illuminati dici voluere nonnulli Phanatici, & falsæ pietatis viri in Hispania suborti anno circiter 1575. sed quia statim justo sacræ Inquisitionis judicio, *Cordubæ* puniti; ideò illorum illicò tacuit sopita secta usque ad annum circiter 1623. quo renovari cœpit, & reviviscere in *Hispalensi* Diœcesi, in qua novi renascentis sectæ phanaticæ patroni eosdem errores prædicare cœpere, quos inter errores capitale sectæ dogma erat; *Quòd se vi Orationis mentalis tantam cum Deo unionem, talemque perfectionis statum assecutos jactarent, ut se nec bonis operibus, nec Sacramentis egere dicerent, seque impura & nefanda quæque sine peccato etiam veniali patrare posse tenerent.* Illuminati.

Unde meritò iterùm sacræ Inquisitionis decreto proscripti fuere hujus sectæ viri, ejusque septem duces præcipui incendio combusti, alii verò fuga salvi, vel regno exire jussi anno 1633. cura & zelo *Andreæ Pacheci*, Hispalensis Episcopi, totiusque regni generalis Inquisitoris æquissimi. Meritò quidem; cùm contra illos & alios quoscumque asserentes, se non bonis egere operibus ad salutem consequendam, passim Scriptura clamet, & præsertim Matth. cap. 16. vers. 27. dicens, venturum esse Filium hominis, Christum scilicet in fine mundi, *Et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus*; & in Apoc. cap. 14. vers. 13. dicat sola nos post mortem sequi opera; *Opera enim illorum sequuntur illos*. Meritò proscripti & erasi cæci illi, qui se ita illuminatos, perfectos & impeccabiles fingebant, ut se impura & nefanda quæque sine peccato patrare posse tenerent, cùm 1. Joan. cap. 1. vers. 8. manifestè Scriptura dicat: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

De Quietistis.

Quietistæ sapienter olim & verè dicebantur viri illi sancti, qui solitariè degentes procul negotiis, & à mundo longè semoti, Deo soli sanctè quietèque vacabant: sed per abusum & falsò *Quietistæ* vocantur hodie, pseudo-mystici nonnulli recenter exorti, quorum perversæ doctrinæ summa in hoc ferè volvitur tota, ut velint & asserant, *In vita spirituali sive mystica hos solos censendos esse perfectos & verè mysticos, qui per unum actum, & solummodò non revocatum, Deo semel oblati, & ut ajunt, totaliter uniti, resignati atque relicti, reliquos omnes ut superfluos suspendunt actus, & velut exanimes permanendo, nihil prorsus operando, neque volendo, neque petendo, nec de acceptis Deo gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, sed silendo & merè passivè se habendo, in absoluta permanent indifferentia de omnibus, etiam de pœna, vel de præmio, de inferno, vel de Paradiso, de æterna damnatione, vel de salute, sinendo ut Deus solus operetur activè, & suam divinam voluntatem impleat in illis*; unde quia potentias quiescere, & actus cessare omnes volunt istius pseudo-mysticæ Theologiæ viri, sancta abutentes orationis passivæ quiete, inde perperàm per abusum & falsò sunt *Quietistæ* vocati. Quietistæ.

Sed meritò ab *Innocentio XI.* Summo Pontifice damnati anno Christi 1687. dum Romæ convictus est & damnatus illorum Coryphæus & antesignanus *Michael de Molinos*, Presbyter Hispanus, & simul cum eo damna-

damnata ejus opera omnia, quocumque in loco, vel idiomate, scripto vel typis mandata, & nominatim censura notatæ tanquam *hæretica*, *suspecta & erronea*, *scandalosa*, *blasphema*, *piarum aurium offensiva*, *temeraria*, *Christianæ disciplinæ relaxativa & eversiva*, *respectivè* 68. propositiones ejus, in quibus tota illius & istorum pseudo-mysticorum continetur perversæ doctrinæ Summa, per quam solida, pura ac sancta quæque evertunt Christianæ disciplinæ, pietatis, religionisque fundamenta, incautas decipiunt, & varios in errores inducunt simplicium animas, easque tandem & sensim sine sensu ad turpia & enormia quæque deducunt sensualis vitæ scelera. Sapienter itaque & meritò proscripta hæc tam exitialis & nefanda horum recentiorum pseudo-mysticorum seu *Quietistarum* doctrina.

1. Quia ut in ejus damnationis decreto sapienter innuit Summus Pontifex *Innocentius XI.* est *contra doctrinam & usum à sanctis Patribus, ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum.*

2. Quia tendit nedum ad suscitanda insulsa & phanatica *Enthusiastarum* somnia, dudum ab *Amphilochio* Iconiensi Præsule, & à *Flaviano* Antiocheno sapienter olim repressa & proscripta; nedum ad renovandos impios simul & turpes *Beguardorum* & *Beguinarum*, atque *Dulcinistarum* errores, dudum in œcumenico *Viennensi* Concilio damnatos; sed etiam ad revocandam in Hispania ortam olim, proscriptam & sepultam phanaticam *Illuminatorum* sectam.

3. Quia omnis hæc doctrina, cujuscumque sit, est meritò damnata, utpote quia formaliter hæretica, quæ supprimit, vel supprimendos asserit actus in Symbolo fidei nostræ, vel in oratione Dominica enuntiatos & expressos: atqui hæc recentiorum pseudo-mysticorum, sive *Quietistarum* doctrina, (dum illum unum sufficere docet actum, quo semel uniti sunt Deo, & reliquos alios ut superfluos supprimendos asserit,) supprimit consequenter, vel supprimendos asserit actus in Symbolo fidei nostræ enuntiatos & expressos, v. g. actus fidei de Deo ut uno, ut omnipotenti, ut rerum omnium Creatore, ut Trino in personis; actus fidei de Christo Jesu Dei Filio pro nobis de Virgine nato, crucifixo, passo, mortuo, sepulto, &c. Supprimit pariter omnes septem petitionum actus, in oratione Dominica enuntiatos & expressos, & omnibus etiam perfectis imperatos à Christo dicente Matth. cap. 6. vers. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in Cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, &c.* Ergo meritò damnata, utpote quia formaliter hæretica, hæc de actuum multiplicandorum suppressione pseudo-mysticorum sive *Quietistarum* doctrina.

4. Denique quia manifestè repugnat Scripturæ sacræ, passim & ubique ferè hortanti nos omnes, etiam justos & perfectos, non ad quietem, non ad otium, non ad supprimendos virtutum actus, nec ad passivam de omnibus, etiam de salute indifferentiam; sed monenti econtrà, ut negotiemur, dum venit Dominus; ut operemur bonum, dum tempus habemus; ut vigilemus, ut oremus, & abundemus in omni opere bono; ut cum timore & tremore operemur salutem nostram; ut sic curramus, ut comprehendamus gloriæ bravium; ut contendamus intrare per angustam Cœli portam, ut pulsemus, & aperietur nobis, ut petamus, & accipiemus, ut quæramus, & inveniemus; ut sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, ut quodcumque potest facere manus nostra, instanter operemur, ut denique vocationem nostram per bono-

bonorum operum exercitium certam faciamus, dicente Petro Ep. 2. cap. 1. vers. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando*. Ergo sapienter & meritò damnata hæc pseudo-mystica *Quietistarum* doctrina, & meritò plenis velis longè citòque fugiendi tibi, benevole Candidate, tam malè feriantes, & otiosi pseudo-mystici illi, ne te *multam malitiam doceat illorum otiositas*. Eccli. cap. 33. vers. 29.

ARTICULUS VI.

De præcipuis circa leges, sive circa Deum ut Legislatorem hæresibus.

Quamvis divinæ legis prævaricantes reputentur omnes peccatores terræ, & inter peccatores jure computentur quotquot in vinea Domini, hoc est, in Ecclesia Christi grassantur hæretici; ex hæreticis tamen fuere, suntque fortè adhuc & hodie quamplurimi, qui circa leges sive divinas, sive humanas meditati sunt inania, locuti sunt falsa, & erraverunt ab utero; quos inter numerari meritò possunt *Pharisæi, Essæi, Nazaræi, Samaritæ, Paschatitæ, Anomi, Cœlestiani, Euangelici, Antinomi, Brentiani, Præadamitæ*, & alii. Circa leges errarunt inter alios

De Pharisæis.

Inter omnes alios qui erraverunt ab utero, id est, à lege, inquit S. August. quæ Christo gravida erat, fuere præsertim, suntque adhuc & hodie *Judæi*, antiquos sequentes legis Mosaicæ ritus, & novam seu Euangelicam respuentes latam à Christo legem; & inter Judæos, tres in sectas divisos, nimirum in *Pharisæos, Sadducæos & Essæos*, occurrunt imprimis. Pharisæi.

Pharisæi, sic à voce Hebræa *Pharatz*, seu *Pharasc*, divisit, separavit significante nuncupati, quia cùm essent in Judæa quasi Judæorum Clerici, erant à reliquo populo segregati; in hoc enim de lege malè sentientes errabant isti, quòd *traditiones suas humanas legis divinæ Mosaicæ mandatis præferrent*; quosque ideò Christus Dominus increpans ait, Matth. cap. 15. vers. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? ...... Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isajas, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Quos hypocritas ideò vocat Christus, quòd omnia sua facerent, ut viderentur ab hominibus, quorum exempla ne sequerentur, suos monebat Discipulos, dicens Matth. cap. 23. vers. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere*.

De secunda verò Judæorum secta, idest de *Sadducæis*, dictum est suprà hoc eodem Libro, Artic. III. pag. 303.

De Essæis.

Essæi, sive *Esseni* hæretici fuere quidam, de tertia Judæorum secta viri, Essæi.

qui cùm viderent *Pharisæos* atque *Sadducæos*, sub honesto titulorum prætextu suas cupiditates abundè sectari, nec sua professione digna præstare, cœpere sejunctim separatis in locis habitare, ubi à matrimonio abstinentes, omnia pro victu in communi habentes, vitæque Monasticæ austeritatem sectantes, piis lectionibus, austeriorisque vitæ laboribus seu operibus vacabant; unde *Essæi*, id est, operarii dici voluere; & in hoc isti circa legem errabant, quòd *Etsi cæteris cum Judæis Christum expectarent, eum non ut Dei Filium, sed ut Prophetam aut justum hominem expectarent; eum nec in lege, nec in Prophetis ut Dei Filium credentes annuntiatum.* Verùm si credant legi per Moysen datæ, debent & Christo per Moysen commendato credere, juxta illud Christi apud Joan. cap. 5. vers. 46. dicentis: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Ait autem Christus, Joan. cap. 10. vers. 30. *Ego & Pater unum sumus*; & iterùm Joan. cap. 14. vers. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* .....

De Nazaræis.

Nazaræi. *Nazaræi*, sic à *Nazareth* celebri Galilææ vico, Christique natali loco dicti, Christum quidem Filium Dei esse fatebantur, legem & Prophetas admittebant: sed in hoc hæretici, quòd *veterem legem unà cum nova lege servandam, imò & non spiritaliter, sed carnaliter servandam esse tenerent*; quòdque, S. Epiph. teste, hæresi 18. susciperent pios eximiosque Dei cultores, antiquos Patriarchas, videlicet omnes in quinque Moysis Libris memoratos ad ipsum usque Moysen; quales fuere *Adam, Seth, Henoch, Mathusala, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Levi, Aaron*, & *Jesus Nave*. Ipsos tamen quinque Moysis Libros non susciperent, sed ut supposititios improbarent; Moysen quidem legem à Deo fatentes accepisse, sed aliam ab ea quæ circumfertur longè diversam. Quis istorum hæreticorum fuerit auctor, non constat; nisi quis eos ipsos esse contendat hæreticos, de quibus Act. cap. 15. vers. 1. dicitur, *Quidam descendentes de Judæa, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari*; ut docuere imprimis *Cerinthus, Ebion*, & alii, perperàm asserentes legem veterem una cum nova servandam esse.

Contra quos, ut habetur ibid. vers. 6. *Convenere Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*; Conciliumque celebrarunt, in quo, nec Circumcisionem, nec cætera legalia necessariò servanda esse definierunt, & Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, ex gentibus, conversis, scripserunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; à quibus custodientes vos, benè agetis. Valete.* Ab iis ergo se custodiant *Nazaræi* & alii ut benè agant; & si SS. Patriarchas in Pentateucho Mosaico memoratos suscipiant, ipsum suscipiant Moysis Pentateuchum necesse est, ne sibi contradicant, cùm ipsos SS. Patriarchas, eorumque gesta non aliunde quàm ex ipso Pentateucho Mosaico noscant.

De Samatitis.

Samaritæ. *Samaritæ* sive *Samaritani*, sic à *Samario* Rege suo, vel ut placet aliis, à *Sama-*

Samaræo filio Cham nominati, ſolùm econtrà è Scripturis Pentateuchum, ſeu *ſolos Moyſis Libros admittunt, & approbant; Prophetas verò reſpuunt & improbant.* Imò, teſte Philaſtrio Brixienſi, è quinque Moſaicis Libris, quatuor dumtaxat, qui lex appellantur, ſeu ſolam legem agnoſcunt & venerantur, nec Chriſtum cum *Eſſæis* ut Dei Filium in lege vel Prophetis nuntiatum eſſe volunt, & malè; nam, ut viſum eſt, ſi Moyſis Pentateucho credant, cur Chriſto Domino, Deique Filio per Moyſen ſcriptis commendato non credent? ait enim Chriſtus Dominus, Joan. cap. 5. verſ. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Et ſi Chriſto credant, cur Prophetis à Chriſto ſæpè laudatis non credent? ait enim Phariſæos alloquens Chriſtus Dominus, Matth. cap. 15. verſ. 7. *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Iſajas, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.*

De Paſchatitis.

Paſchatitæ, qui & *Teßares-cæ-decaditæ*, à τέσσαρες καὶ δέκα, quod *quatuor & decem* ſignificat, ſunt hi qui Quatuordecimani vulgò dicuntur, à decimaquarta primi menſis Luna, eò quòd decimaquarta occurrente Luna, quocumque occurreret hebdomadæ die, Paſcha neceſſariò celebrandum eſſe tenerent, eaque de cauſa quòd ex veteri lege tali die celebraretur à Judæis, juxta illud Levitici cap. 23. verſ. 5. *Menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperam, Phaſe Domini eſt.* Et illud Ezechielis cap. 45. verſ. 21. dicentis: *In primo menſe, quartadecima die menſis, erit vobis Paſchæ ſolemnitas.* Dum alii econtra die Dominico, ut Romanæ mos erat Eccleſiæ, celebrandum eſſe contenderent; qua de re magna eſt inter Orientales & Occidentales Epiſcopos orta contentio, ſub Antonino Pio Imp. & *Aniceto* Rom. Pontifice, circa annum 154. Aucta eſt controverſia ſub Commodo Imp. & *Eleutherio* Romano pariter Antiſtite, *Blaſto* & *Florino* viris hæreticis pro decimaquarta Luna fortiter ſtantibus, circa annum 181. teſtis ut eſt Tertull. in ſuo de hæreſibus libello, viguitque contentionis calor etiam ſub *Victore I.* Rom. Pont. quo ſedente, contendebat *Polycrates* in Oriente Epheſiorum Epiſcopus, *Paſcha* decimaquarta menſis Luna, quocumque occurreret hebdomadæ die, celebrandum eſſe; *Victor* econtrà ſolo Dominico die celebrandum eſſe tenebat; ſe traditionem Apoſtolicam ſequi putabat uterque. Ritum decimaquarta Luna celebrandi à *Joanne* Apoſtolo manaſſe tenebat *Polycrates* cum Aſiaticis: ſuum die Dominico celebrandi morem à *Petro* & *Paulo* Apoſtolis fluxiſſe Victor aſſerebat cum Romanis; eòque res perducta eſt, ut poſt varia per literas monita, variaque poſt habita Concilia, eos excommunicationis gladio *Victor* præſciderit ab Eccleſia, qui Romanum non ſequerentur die Dominico feſtum Paſchale celebrandi ritum; quamvis id cæteri non probaverint Epiſcopi, & inter alios, de hoc objurgatorias licèt zelo plenas ad *Victorem* ſcripſerit Epiſtolas *S. Irenæus* Lugdun. Epiſc. dicens, non ideò excommunicandos fuiſſe Aſianos, etſi in hoc à Romana diſſentientes Eccleſia; eruditè perhibens, quòd cum antiquiores etiam communionem rerum omnium inter ſe retinerent, & de Paſchalis feſti tempore variarent, nullum tamen id præjudicium eſſe putarunt; ab eo tamen tempore pro hæreticis haberi, & *Quatuordecimani* vocari cœpere, quicumque noluere Sedis Romanæ decreto parere.

Paſchatitæ.

Sed tandem sub *Silvestro* Rom. Pont. in primo generali Nicæno Concilio finita quæstio, & definitum, ut ab omnibus ubique terrarum die Dominico post decimamquartam Martii Lunam celebretur Paschale festum, in memoriam Christi Domini resurrectionis die Dominico peractæ; & non decimaquarta Luna Judaico more, ne quid cum Judæis, sceleratis nefariæ Christi mortis auctoribus, commune dicamur habere: quæ decisio etsi non reperiatur inter alia quæ extant Nicæni Concilii decreta, reperitur tamen in secundo Historiæ Tripartitæ Libro Theodoreti cap. 12. in ejusdem Concilii Epistola ad Alexandrinam Ecclesiam, & fratres per Ægyptum & Libyam & Pentapolim constitutos directa, his verbis: *Euangelizamus autem vobis & de consonantia sanctissimi Pascha, quia vestris orationibus est correctum etiam hoc opus, ita ut omnes Orientales fratres, qui cum Judæis primitùs celebrabant, consonè cum Romanis, & vobiscum, & cum omnibus ab initio Pascha custodientibus, ex hoc tempore debeant custodire.*

De Anomis.

Anomi. *Anomi*, sive *Anomæi*, vel *Anomiani*, id est, sine lege viventes viri, hæretici fuere nonnulli, quorum duces fuisse reputantur *Aetius* & *Eunomius*; *Aetius* quidem vir natione Syrus, professione Antiochensis Ecclesiæ Doctor & Diaconus; *Eunomius* verò natione Cappadox, Aetii discipulus, artis dialecticæ peritus, & in omnibus Catholicæ fidei hostis acerrimus, vir superciliosus, anima & corpore leprosus, qui ambo sub Constantio Imp. & *Liberio* Rom. Pont. circa ann. 358. eò impietatis dementiæque venerant, ut spretis omnibus aliis legis divinæ mandatis, assererent nihil aliud à nobis Deum requirere, quàm ut ipsum solum cognoscamus, cujus se tantam notitiam habere jactabant, ut se Dei naturam comprehendere blasphemarent; unde erat, S. Epiphanio teste, hæresi 76. *Ut nihil soliciti essent de vita sanctimonia, non de jejuniis, non de mandatis Dei, non de aliquo alio ad vitam hominibus à Deo præcepto. Et si quis in ipsos incideret, & de mandatis mentionem faceret, in promptu eis responsio erat, quòd nihil aliud est quod quærat Deus à nobis, quàm ut ipsum solum cognoscamus, quemadmodum Christus dixit, dum ait: Da ipsis, Pater, ut habeant in seipsis vitam: hæc autem est vita, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Unde isti sine lege viri, *Anomi* sive *Anomiani* fuere nuncupati.

Sed contra hujus sectæ viros, non audientes sacras paginas, quæ divinæ legis observantiam passim inculcant, nec Christum expressè dicentem, Matth. cap. 19. vers. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; dici potest cum Paulo ad Rom. cap. 2. vers. 12. *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

De Cœlestianis.

Cœlestiani. *Cœlestiani* sic à *Cœlestio* quodam hæretico incertæ patriæ viro, sed professione Monacho, Pelagiique coævo ac discipulo nuncupati, ortique sub Arcadio Imp. & *Innocentio I.* Rom. Pont. anno circiter 405. ita errabant inter alia, circa legis divinæ mandata, ut assererent cum suo Cœlestio duce, & Cœlestius cum Pelagio, *Hominem solis naturæ viribus, & secluso quocumque divinæ Christi gratiæ auxilio, omnia posse divinæ legis implere præcepta, & vitam æternam assequi, si vellet.*

Sed

Sed hi omnes Cœlestii Pelagiique errores dudum ab Ecclesia damnati. Primò quidem in Carthaginensi Concilio primo, deinde in Milevitano altero, & tandem in generali Ephesino primo. Unde jure meritò cum Auctore lib. de fide Catholica dici potest: *Cùm Cœlestius & Pelagius in Ephesina Synodo sint damnati, quomodo poterunt ista capitula recipi, quorum damnantur auctores?* Et reipsa quomodo recipi posset illud, in quo tam falsò, tamque perversè dicunt, hominem solis naturæ viribus legem implere, & salutem assequi posse? cùm Dominus gratiæ auctor, Joan. cap. 15. vers. 5. expressè dicat: *Sine me nihil potestis facere*. Et Paulus Doctor gentium, gratiæ & legis Euangelicæ Prædicator 2. ad Cor. cap. 3. vers. 5. clamet: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.*

De Euangelicis.

Euangelici dicuntur hìc à nobis hi, à pseudo-Euangelista *Luthero* pullulantes hæretici, sive Lutheranæ doctrinæ sub novi Euangelii nomine perperam & subreptitiè ventilatæ sectarii, unde Euangelici dicti, tam inter se discordes & varii, totque in sectas factionesque divisi, ut tot ferè existant hæreticæ Euangelicorum sectæ, quot capita, tot ferè Hæresiarchæ, quot sectarii; qui tamen omnes, tres in classes ita solent distribui, ut alii dicantur *Lutherani*, alii *Semilutherani*, & *Antilutherani* alii. *Lutherani* dicuntur hi, qui genuina sectantur Lutheri dogmata; *Semilutherani*, qui Lutheri placitis sua Euangelii prætextu addidere nonnulla; *Antilutherani* verò hi nuncupantur, qui ab Ecclesia ad Lutherum defecerunt, & à Luthero posteà dissentientes, varias in sectas abierunt, dogmata sequentes Luthero contraria: vel ut placet aliis, Euangelici tres in classes ita sunt divisi, ut alii *Anabaptistæ*, alii *Confessionistæ*, & *Sacramentarii* dicantur alii. Euangelici.

Qui omnes sic varias in classes, sectasque divisi ita erarunt circa legis divinæ mandata, ut præter innumera alia, quæ per orbem disseminarunt sui pseudo-Euangelii capita, docuerint 1. *Deum impossibilia nobis præcepisse mandata*. 2. Inde *nihil in lege Euangelica præter fidem præceptum esse* dixerint.

Quæ duo nedum apertè falsa, sed etiam hæretica, & à Concilio Tridentino sub anathemate damnata; primum quidem sess. 6. Can. 18. de justif. sic expressè dicente: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit*. Secundum verò Can. 19. his verbis concepto: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Unde non audiendi, sed velis, remisque fugiendi *Euangelici* illi, qui sub novi Euangelii prætextu, Euangelium calcant, divinas & humanas spernunt leges, religionemque evertunt omnem, & quos longè antè anathematizavit Doctor gentium, Vas electionis, veri Prædicator Euangelii Paulus ad Galatas, cap. 1. vers. 6. 7. & 8. dicens: *Miror quòd sic tam citò transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: quod non est aliud, nisi sint aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizavimus vobis, anathema sit.*

X 4 De

De Antinomis.

Antinomi. *Antinomi* dicuntur, juxta *Lindanum* & *Hosium*, nonnulli de prima Euangelicorum secta viri Vvitembergæ à Joanne quodam *Islebio* Lutheri discipulo suborti, qui suum cum cæteris de simili secta viris ita efferebant & extollebant pseudo-Euangelium, ut *legem Dei prorsus inutilem esse*, virosque Euangelicos ad bona divinæ legis opera non teneri docerent; unde ab *Hosio* lib. 1. de hær. *Antinomi* probroso nomine dicti, id est, legem impugnantes, sive legi divinæ contrarii.

Sed mendaces hi omnes, sicut & cæteri de Lutheri schola pseudo-Euangelistæ progressi, quos non misit Dominus, sed mendacii pater Diabolus, qui ut prædictum olim ab Isaja cap. 5. vers. 24. *Abjecerunt legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemaverunt.*

De Brentianis.

Brentiani. *Brentiani* sic à *Brentio* quodam nuncupati, ingenioso quidem, eloquenti & erudito, sed Semilutherano, & de secunda Euangelicorum classe viro, Vvitembergensi pseudo-Theologo, eorumque Doctorum præcipuo, qui à duce Vvitembergensi ad Tridentinum Concilium missi fuere: qui sub Carolo V. Imp. & *Paulo III.* Rom. Pont. circa annum 1540. asserebat 1. alios inter errores cum *Bucero*, & nonnullis aliis, concupiscentiam seu legem peccati, de qua Paulus ad Rom. cap. 7. vers. 23. ait; *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, peccatum esse, & ideò *concupiscentiam peccatum esse tenebat*, quòd sit contra præceptum *Non concupisces*; cùmque per Baptismum talis non tollatur concupiscentia, consequenter post Baptismum, peccatum aliquod in baptizatis remanere censebat. 2. Cum eodem *Bucero*, *Melanthone*, suoque duce *Luthero*, & aliis *Euangelium legem esse negabat*, seu Euangelium veram legis rationem habere nolebat, ea præcisè de causa, quòd cùm Euangelium nihil prorsus præcipiat nobis, sed solùm annuntiet; seu cùm nihil sit aliud, quàm lætum ac bonum de Jesu Christo Dei Filio nuntium, nimirum quòd ille solus suæ passionis merito sit nostrorum peccatorum expiator, animarumque nostrarum Redemptor unicus; unde hac via se ab omni bonorum operum obligatione liberos contendebant hujus sectæ viri, sibi in hoc non constantes, sed contrarii; cùm asserant alibi cum suo duce *Luthero*, nullum esse discrimen inter consilium & præceptum, nec ullum esse in Euangelio consilium, sed omnia quæ nobis commendantur, esse præcepta; quomodo enim sine contradictione dici potest, nihil præcipere nobis Euangelium, seu nullum in Euangelio præceptum esse, & tamen omnia nobis in Euangelio commendata, non consilia, sed præcepta esse?

Contra quos omnes & alios, sive concupiscentiam peccatum esse volentes, sive Euangelium legem esse negantes, sic insurgens Tridentinum, hoc utrumque sub anathemate damnat. Primum quidem dum sess. 5. de peccato originali Can. 5. sic ait: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium*

sentiat,

sentiat, anathema sit. Secundum verò anathematizat sess. 6. de justif. nedum Canone 19. suprà laudato, sed etiam 20. dum ait : *Si quis hominem justificatum & quantumlibet perfectum dixerit, non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum, quasi verò Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit*. Imò & Canone 21. sic expresso : *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit*.

Ad illud autem quod dicitur Euangelium esse bonum ac lætum de Christo nuntium, ac proinde legem dici non posse, Resp. *Euangelium* multipliciter sumi posse, & reipsa in multiplici sensu sumi solet in Scriptura : 1. enim sumitur interdum pro re ipsa bona & læta quæ nuntiatur, ut dum Matth. cap. 4. vers. 23. dicitur : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens & prædicans Euangelium regni*. 2. Pro ipsa Christi doctrina seu verbo, ut dum Matth. cap. 24. vers. 14. dicitur : *Prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe*. 3. Pro ipsa prædicatione, & sæpè in hoc sensu usurpatur à Paulo, ut v. g. dum 1. ad Cor. cap. 4. vers. 15. ait : *In Christo Jesu per Euangelium ego vos genui*. Et 4. denique sumitur interdum pro historia adventus & vitæ Christi; ut dum Marci cap. 1. vers. 1. dicitur, *Initium Euangelii Jesu Christi*. Ut dum Paulus de S. Luca ait 2. ad Cor. cap. 8. vers. 18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*. Quando autem Euangelium, Christi legem esse dicimus, Euangelii nomen usurpamus pro Christi doctrina, pro Christi verbo, in quo est lex Christi, lex nova, lex gratiæ, lex vera, de qua verè dici potest illud Psalm. 118. vers. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*, de qua dicitur ibid. vers. 142...... *Lex tua veritas*.

De Præadamitis.

Præadamitæ dici possunt homines hi, qui ante Adamum extitisse finguntur, vel hi quibus eos extitisse fingere placuit, qualis fuit recentior quidam anonymus, qui anno 1655. ausus est asserere, alios ante Adamum extitisse à Deo creatos homines, quos ideò *Præadamitas* dicebat, edito ea de causa in lucem libro, cui titulus est, *Præadamitæ, sive exercitatio super versus 12. 13. 14. cap. 5. Epist. Pauli ad Rom.* Et iterùm paulò pòst edito altero, cum hoc præfixo titulo, *Systema Theologicum ex Præadamitarum hypothesi*. Nititur autem tam novi systematis auctor hoc Pauli textu ad Rom. cap. 5. vers. 13. dicentis : *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*. Ex quo sic arguit; vel ibi Paulus loquitur de lege Moysi data, vel de lege Adamo indita : si de lege Moysi data loqueretur, sequeretur ante Moysis legem fuisse peccata, sed peccata quæ non imputabantur à Deo; quod est apertè falsum, cùm ex Scriptura constet punitum fuisse Cain, punitos fuisse Sodomitas, punitos & alios diluvio divinitùs misso. Si verò de lege Adamo data loquatur, ergo sequitur ante Adamum fuisse homines qui peccabant, & quibus non imputabat illa peccata Deus; sed illi sunt Præadamitæ, seu homines ante Adamum creati : ergo dantur *Præadamitæ*. Præadamitæ.

Sed refellitur temerarius ille tam temerarii & inauditi systematis auctor. 1. Dicendo ibi Paulum loqui de lege Mosaica, quæ lex absolutè & simplici-

pliciter in Scriptura, & ab ipso Paulo vocatur. Non dicit autem ibi Paulus, ante legem Moysis fuisse peccata, quæ Deus non imputabat; sed solùm fuisse peccata ante legem Moysis, & cùm Deus non imputet peccata, dum non est lex, ille inde consequenter ante legem Moysis fuisse legem aliam Adamo datam concludit. Unde perperàm & falsò ex hoc Pauli textu infert anonymus auctor ille ante Adamum fuisse homines alios.

2. Quia hoc ex ipso Geneseos contextu, cap. 2. verf. 5. falsum manifestè patet; ibi enim expresè dicitur, quòd quando formavit Deus hominem, videlicet *Adam* de limo terræ, nullus reipsa erat homo, *Et homo non erat, qui operaretur terram*: si nullus erat homo qui operaretur, quando Deus formavit Adam; ergo nulli homines ante Adamum; ergo nulli illi *Præadamitæ*, ab illo anonymo somniatore confricti.

ARTICULUS VII.

De præcipuis circa Deum incarnatum hæresibus.

Circa Deum incarnatum errarunt inter alios

INter eos qui divinæ Incarnationis mysterium impugnant ineffabile, occurrunt imprimis *Gentiles* atque *Judæi*; isti videlicet Messiam nondum venisse, illi verò nec venisse, nec venturum arbitrantes, dicente Paulo 1. ad Cor. cap. 1. verf. 23. *Se prædicare Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Sequuntur illos & istos plures alii non pauci circa mysterium idem errantes hæretici; alii nempe de divina Christi natura, alii de humana, alii de utriusque in eodem supposito unione, & tandem malè & erroneè de eodem mysterio sentientes alii, inter quos numerantur *Cerinthiani*, *Ebionitæ*, *Menandriani*, *Saturniani*, *Basilidiani*, *Cerdoniani*, *Secundiani*, *Marcionistæ*, *Apellitæ*, *Theodotiani*, *Melchisedechiani*, *Ophitæ*, *Manichæi*, *Apollinaristæ*, *Pauliani*, *Photiniani*, *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Acephali*, *Jacobitæ*, *Copti*, *Acæmetæ*, *Agnoetæ*, *Theopaschitæ*, *Monophysitæ*, *Monothelitæ*, & *Maronitæ*, qui omnes hìc breviter examinandi; sed priùs & cursim *in Gentiles* & *Judæos* cum S. August. disputandum.

De Gentilibus.

Gentiles. *Gentiles* licèt non sint propriè inter hæreticos censendi, cùm non defecerint à fide Euangelica, cujus nondum fuere lumine radiati; ab ea tamen quodammodo deficere, & à Christi Ecclesia recedere dicendi, cùm illam audire nolint, & ad illam renuant venire vocati, sintque de his censendi, de quibus Christus Lucæ cap. 14. verf. 23. ait: *Compelle intrare*; compelle, scilicet non fustibus & gladiis; dixit enim Petro Christus: *Mitte gladium in vaginam*; sed fortiter & suaviter prædicationis Euangelicæ tuba canendo, vocando, alliciendo, hortando, suadendo: *Religio siquidem non est cogenda, sed suadenda*, inquit Tertull. Verùm cùm fortiter & suaviter Gentilibus annuntiari nequeat, nec suaderi Euangelica Ecclesiæ Catholicæ fides ex Scripturis sacris, quas ipsi respuunt omnes, cum ipsis agendum est humano modo, & naturalis luminis necessariò utendum est auxiliis, suadendo videlicet eis ratione naturali legis Euangelicæ credibilitatem, seu legem Euangelicam evidenter credibilem esse,

esse, hoc est, talem, cui prudens credere quisque possit & debeat; id autem meliùs fieri non posset, quàm per varia ejus credibilitatis motiva, ut sic discurrendo, v. g.

1. Ut aliquid sit evidenter credibile fide divina, evidentia scilicet morali seu prudentiali, satis est quòd motiva credibilitatis ejus, seu motiva quæ suadent illud esse credibile, sint talia, ut moraliter loquendo non possint esse nisi à Deo: Atqui motiva credibilitatis legis Euangelicæ, seu quæ suadent legem Euangelicam esse credendam, sunt talia & tanta, ut moraliter loquendo non possint esse nisi à Deo, ut visum est suprà lib. 1. ergo lex Euangelica est evidenter credibilis evidentia morali, seu prudentiali.

2. Sic disserendo. Illud est evidenter evidentia morali credibile, quod non credere magna insania est: atqui, ut sapienter notat Picus Mirandulanus, & suadet ratio, *Magna insania est Euangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, & Dæmones confitentur*; ergo Christi Euangelium est evidenter evidentia morali seu prudentiali credibile; ergo & nedum Incarnati Filii Dei mysterium, sed & omnia fidei nostræ mysteria sunt consequenter prudenter credibilia, & illis non credere magna Gentilium insania est.

3. Sic S. Aug. in orat. de hæres. arguit eos ex *Hermete & Sibylla*; ex Hermete ipsorum Deo, & Sibylla eorumdem Vate, dicens: *Hermes, qui latinè Mercurius dicitur, scripsit Librum, qui* Λόγος τέλειος *appellatur, id est, Verbum perfectum. Audiamus quid Mercurius de Verbo perfecto dicat*: Dominus, *inquit*, & omnium factor Deorum, secundum fecit Dominum; *& alio in loco sic dixit*: Filius benedicti Dei atque bonæ voluntatis, cujus nomen non potest humano ore narrari.

Sibylla Vates eorum de eodem dicat: Alium, *inquit*, dedit Deus filiis hominum colendum; *& iterùm alibi Sibylla dicit*: Ipsum tuum cognosce Deum, Dei Filium esse; *versus iste & Paganum increpat & Judæum...... Quid agis ò Pagane? aperi aures, noli esse sicut aspis surda, quæ obturat aurem, ne audiat vocem incantantis; non tibi meos auctores profero, tuus est Mercurius, cui inter Deos tantus honor cultusque à vobis allatus est, ut ejus nomine Diem Domini vocaretis; ipsum audi, ipse te convincat, ipse te expugnet, ut cùm te vicerit, illi cedas, & mihi credas: Mercurius dixit*: Dilexit Deus Unigenitum suum; *ipse dixit*, Filius benedicti Dei atque bonæ voluntatis. *Increpat te Sibylla dicens*: Ipsum tuum cognosce Dominum, Dei Filium esse; *ipsum tuum cognosce Deum; ipsum, non alium, non Martem, non Mercurium, sed quem confitetur Mercurius.*

De Judæis.

Judæi pariter licèt non propriè sint hæretici dicendi, Judæorum tamen infidelitas & contumacia, juxta S. Thomam 2. 2. quæst. 1. dici potest hæresis, in eo quòd Christianæ fidei in figura susceptæ omninò renitantur; unde est quòd S. August. ibidem in orat. de quinque hæresibus, *Judæos* inter hæreticos ponat, sicut & *Paganos*, sive Gentiles. In multis autem errant Judæi, sed inter alia præsertim in hoc quòd *Christum Dei Filium, verumque Messiam esse negent, aliumque venturum Messiam expectent adhuc.* Judæi.

Sed

Sed istos S. Auguft. in orat. contra Judæos, Paganos, & Arianos, ex Lege & ex Prophetis mirum in modum arguens, sic ait : *Vos convenio, ò Judæi, qui usque in hodiernum diem negatis Filium Dei. Nonne vox vestra illa est, quando eum videbatis miracula facientem, atque tentantes dicebatis : Quousque animas nostras suspendis? si tu es Christus, dic nobis palam; ille ad considerationem miraculorum vos mittebat, dicens : Opera quæ ego facio, ipsa testimonium de me perhibent; ut Christo testimonium dicerent non verbo, sed facto; vos autem non cognoscentes Salvatorem qui operabatur salutem in medio terræ vestræ, adjicientes in malo, aistis : Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum : sed ad hæc ille quid vobis responderit, advertere noluistis : Nonne scriptum est in lege vestra, quòd duorum hominum* verum sit testimonium? *prævaricatores legis intendite legem, testimonium quæritis de Christo, & in lege vestra scriptum, quòd* duorum hominum testimonium verum sit; *procedant de lege vestra non tantùm duo, sed etiam plures testes Christi, & convincant auditores, non factores,*

Dic, Isaja, *testimonium Christo*. Ecce, *inquit*, Virgo in utero concipiet, & pariet Filium; & vocabis nomen ejus Emmanuel, *quod est interpretatum, Nobiscum Deus,*

Dic & tu, Jeremia, *testimonium Christo*. Hic est, *inquit*, Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo : qui invenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo : post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

Ecce duo testes idonei ex lege vestra, ex quorum testimonio non sunt compuncta corda vestra .... sed alii atque alii ex lege Christi testes introducantur, ut frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat & ille Daniel *sanctus, juvenis quidem ætate, senior verò scientia & mansuetudine; convincat omnes falsos testes, sicut convicit seniores impudicos, ita suo testimonio Christi conterat inimicos.*

Dic, sancte Daniel, *dic de Christo quod nosti*. Cùm venerit, *inquit*, Sanctus Sanctorum, cessabit unctio, &c. *quare illo præsente, cui insultantes dicebatis*, Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum; *cessabit unctio vestra? nisi quia ipse est qui venerat Sanctus Sanctorum; sicut vos dicitis, nondum venit, sed expectatur ut veniat Sanctus Sanctorum, demonstrate unctionem; si autem quod verum est, cessabit unctio vestra, agnoscite venisse Sanctum Sanctorum.*

Dic & tu, Moyses *Legislator, Dux populi Israel, testimonium Christo*. Prophetam vobis excitabit Deus de fratribus vestris; omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populo suo : *Prophetam autem dictum Christum, ipsum audi in Euangelio Christum* : Non est, *inquit*, Propheta sine honore, nisi in patria sua.

Accedat autem David *sanctus, testis fidelis, ex cujus semine processit ille, cui lex & Prophetæ testimonium reddunt; dicat & ipse testimonium Christo*. Adorabunt, *inquit*, eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient illi. *Cui servient? dic cui servient? vis audire cui?* Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Et expressiùs atque nominatim Psalmo secundo* : Quare, *inquit*, tumultuatæ sunt Gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Accedat & alius testis, dic & tu, Habacuc *Propheta, testimonium Christo* :

Domi-

Domine, *inquit*, audivi auditum tuum, & timui. Consideravi opera tua Deus, & expavi. *Quæ opera Dei iste miratus expavit? Numquid fabricam mundi iste miratus expavit? absit; sed audi, ad quid expavit*: In medio, *inquit*, duum animalium innoresces opera tua Deus, Verbum caro factum est, in medio duum animalium cognosceris; *qui quousque descendisti, expavescere me fecisti, quia Verbum per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti*, &c.

Ecce quomodo conveniunt sibi testes veritatis, ecce quomodo convincunt filios falsitatis: sufficiunt vobis ista, ò Judæi; an adhuc ad vestram confusionem, ex lege, & ex gente vestra alios introducemus testes, ut illi testimonium perbibeant, cui perdita mente insultantes dicebatis, Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum? *Quòd si velim ex lege & ex Prophetis omnia quæ de Christo dicta sunt colligere, faciliùs me tempus, quàm copia deserit.*

Meritò ergo Judæos arguens Christus, quòd Prophetis crederent, & sibi non crederent, ajebat olim Joan. cap. 5. vers. 45. *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.*

De Cerinthianis.

Cerinthiani dicti à *Cerintho* hæretico, & pessimis moribus imbuto viro, Simonis Magi discipulo, Apostolorum coætaneo, unoque ac præcipuo ex iis, qui Neronis Imperatoris & *Petri* primi Christi Vicarii temporibus, anno circirer *69*. descendentes de Judæa docebant Antiochiæ Circumcisionem, aliaque servanda esse legalia, dicentes Act. cap. 15. vers. 1. *Fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysis, non potestis salvari*: quique unus erat de his qui nedum inrroducebant mille voluptatis annos post resurrectionem, unde Millenarii, sive Chiliastæ dicti; sed insuper erat *Cerinthus* blasphemus ille, qui, teste sancto August. lib. de hær. cap. 8. *Christum purum hominem fuisse, eumque nondum resurrexisse, sed aliquando resurrecturum asserebat.* Cerinthiani.

Quæ horrendæ in Christum blasphemiæ quàm subitò fuerint divina ultione punitæ, constat ex Traditione S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi, apud Irenæum lib. 3. adversus hæreses cap. 3. dicentis, quòd cùm Joannes Apostolus ad balneum aliquando venisset, viso, qui tunc eò accesserat, Cerintho, statim inde abiisse fertur, dicendo: *Fugiamus hinc, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis inimicus moratur, subitò corruens nos opprimat*: quo dicto, & egresso cum suis Joanne, statim Cerinthum cum sociis oppressit subitò collapsa domus, & justo. Dei judicio oppressus blasphemus ille, qui nedum Circumcisionem aliosque legis Mosaicæ ritus servandos esse docebat, & Millenarium Christi post resurrectionem futurum asserebat, sed qui *Christum Dominum purum hominem, & non Deum esse blasphemabat*, quamvis Christum verè Deum esse sacræ Scripturæ passim ubique doceant, etiam in Euangelico S. Matthæi Libro, quem ille solum de Scripturis Canonicis cognoscebat & audiebat. Audiat ergo ex Matthæo cap. 17. vers. 5. Patrem æternum de cœlo clamantem, & de Christo Filio suo dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* Si Filius Dei est Christus; ergo non purus homo, sed Deus & homo.

De

De Ebionitis.

Ebionitæ. *Ebionitæ* ab *Ebione* quodam orti magnæ facundiæ, sed perversæ & hæreticæ mentis viro, progressi primo Ecclesiæ sæculo sub Tito Imp. & *Cleto* Rom. Pont. anno circiter 72. qui varios ex *Samaritis*, *Nazaræis*, *Carpocratianis*, *& Cerinthianis* collectos disseminans errores, Librosque Canonicos ut Cerinthus spernens omnes, solo admisso S. Matthæi Euangelio, docebat inter alia cum *Cerintho*, nedum Circumcisionem, aliosque legis Mosaicæ ritus esse in Ecclesia retinendos, nedum Christum purum esse hominem, & non Deum; sed insuper addebat, illum *hominem esse non ex Virgine, sed ex viro & fæmina natum*.

Contra quem pugnat illud celebre de Christo Jesu, & B. Virgine ab Isaja prophetante dictum cap. 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, &c.* Cujus celebris Prophetiæ veritas non staret, si non ex pura Virgine Christus natus esset. *Virgo enim non appellatur*, inquit S. Epiphanius hæresi 30. *quæ viro conjuncta est, & nuptiis copulata mulier; sed illa propriè Virgo dici potest, quæ citra virum conceptionem Dei Verbi in veritate habuit.* Imò si ex viri consortio & fœmina natus esset Christus Jesus, & non ex Spiritu Sancto, delusa fuisset & decepta B. Virgo ab Angelo Gabriele sacrum mysterium annuntiante, dum turbata quærens, quomodo fieret illud, quoniam virum non cognosceret; ei responsum fuit Luc. cap. 1. vers. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideòque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Si Filius Dei; ergo non purus homo: si ex Virgine & Spiritu Sancto; ergo non ex viro & muliere natus est Christus, ut impiè blasphemabant *Cerinthus* & *Ebion*, ille purum hominem dicens, iste purum hominem ex viro & muliere natum Christum asserens; unde non mirum si contra Ebionem & Ebionitas, ad Trallenses scribens, *S. Ignatius* dicat: *Fugite illos hominis Diabolici cultores Ebionitas, quos maledictos Jeremias Propheta asserit, inquiens cap. 7. Maledictus qui confidit in homine, & recedit à Deo cor ejus.*

De Menandrianis.

Menandriani. *Menandriani* à *Menandro* nomen sortiti, viro patria Samaritano, & professione Mago, *Simonis* Magi discipulo, eisdemque cum illo erroribus & artis Diabolicæ præstigiis dedito; qui sub Vespasiano Imp. & *Lino* Rom. Pont. anno circiter 80. præterquam quòd eosdem cum *Simone* impios teneret errores, & assereret cum illo, v. g. mundum istum non à Deo, sed ab Angelis conditum, aliaque similia impia *Simonis* deliria, hoc uno tamen excepto, quòd se suo illo magistro *Simone* majorem jactaret, teste S. Epiphan. hæresi 22. *Christumque Dominum verum hominem fuisse negaret, se autem mundi Salvatorem destinatum* assereret, eosque qui salvari cuperent, in suo nomine baptizandos esse doceret, & eos nunquam morituros promitteret, qui suo Baptismo baptizati essent, referente *Prateolo* in suo hæreticorum Elencho.

Quæ impia, & insanæ mentis fabulamenta ferre non valens *S. Ignatius* Martyr, ad Tralleuses scribens ait: *Fugite Menandrum, & totam collectionem malignitatis ejus.* Et meritò fugiendus ille Menander: Quis enim ferre

ferre posset tantæ dementiæ virum, qui se miserum & perditum, ad salutem hominum divinitùs missum prædicat, & Christum Dominum mundi Salvatorem verum & sanctum, verum hominem de B. Virgine natum, & Salvatorem nostrum abnegat? de quo solo ad Joseph virum Mariæ dictum ab Angelo, Matth. cap. 1. vers. 20. *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quo in loco, aliis omissis, Christum verum Hominem & Deum, de Maria Virgine natum, & verè Salvatorem nostrum esse patet, de quo solo Act. cap. 4. vers. 12. dictum: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

De Saturnianis.

Saturniani à *Saturnino* patria Antiocheno, Menandrique discipulo dicti, non minùs erant in Christum, sive in Deum Incarnatum blasphemi, dum Trajani Imp. & *Euaristi* Papæ temporibus circa annum 118. *Christum umbraliter, & in specie tantùm apparuisse, nec veram hominis carnem assumpsisse* contendebant; sicque omnia in specie tantùm, & non reipsa à Christo fuisse completa volebant, ut nasci, videri, ambulare, pati, mori, & alia de Christo credita mysteria. Saturniani.

Quod impium, blasphemumque systema manifestè refellitur ex illo Joan. cap. 1. vers. 14. de Verbo Dei Filio dicentis: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Unde concluditur, si Verbum caro factum est, si in carne visum, si visum plenum veritatis, sitque ipsa Incarnata Veritas; ergo non visum, ut nos falleret & deciperet; sed ut verè & non umbraliter tantùm in carne viveret, ageret, pateretur & moreretur.

De Basilidianis.

Basilidiani orti à *Basilide*, patria Antiocheno, acuti, sed perversi ingenii viro, *Saturnini* socio, & Menandri discipulo; qui sub Adriano Ælio Imp. & *Alexandro I.* Rom. Pont. circa annum Christi 124. præterquàm quòd carnis resurrectionem negabat, & Virginitati nuptias æquiparabat, æqualisque esse meriti dicebat: in hoc præsertim errabat, quòd ridiculum fingens mundi creationis systema, dicebat de Deo innato & solo intellectum fuisse natum, de intellectu Verbum, de Verbo sensum, de sensu virtutem & sapientiam, de virtute & sapientia Principatus, Potestates & Angelos, & hos primos Angelos fingebat, aut potiùs delirabat, primum fecisse Cœlum, & post illos alios Angelos secundum, & iterùm post istos ab aliis tertium editum esse Cœlum, sicque per ordinem Angelos, trecentos & sexaginta quinque condidisse Cœlos, totidem videlicet, quot numerantur anni dies, & istius ultimi Cœli Angelos, terram & hominem; istorum verò Principem Judæorum genus in hæreditatem accepisse dicebat, aliasque sibi subjicere voluisse gentes, ad quas liberandas Deum Patrem, & innatum suum misisse Filium, eumque *non verè, sed putativè tantùm fuisse passum à Judæis & crucifixum; Simonem verò Cyrenæum cruci ferendæ angariatum, verè fuisse crucifixum & passum* asserebat, teste Basilidiani.

S. Au-

S. August. lib. de hæref. cap. 4. & S. Epiph. de hæref. Basilidis agente: quo falso, & in Christum blasphemo posito principio, docebat, persecutionis tempore, Christum citra crimen negari posse.

Unde non mirum, si *S. Ignatius* in sua suprà laudata ad Trallenses Epistola dicat: *Fugite Basilidem, & totam collectionem malignitatis ejus*; & meritò: quis enim non fugiendum dicat impium & blasphemum illum, qui Christum Dominum pro nobis in cruce fixum, passum & mortuum esse negat? cujus pro nobis in cruce mortem Scripturæ sacræ passim ubique resonant, qui passurus & moriturus ipse, de sua passione & morte proximè futura suos monet Apostolos, dicens Luc. cap. 18. vers. 31. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis; tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.* Qui ibidem cap. 24. vers. 25. quærentibus & non invenientibus corpus suum in monumento post resurrectionem, dixit: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* De quo sanctus Petrus in Epistola sua prima, cap. 2. vers. 21. ait: *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* De quo S. Joan. Euang. cap. 19. vers. 17. ait: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* De quo Paulus ad Philippenses cap. 2. vers. 8. ait: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; & de quo denique pro nobis adhuc in cruce pendente, & mortem jam passo, testes oculati, videlicet Centurio, & qui cum eo erant, viso terræmotu, & his quæ fiebant, scilicet Solem obscurari, petras findi, monumenta aperiri, &c. clamant Matth. cap. 27. vers. 54. *Verè Filius Dei erat iste.* Si verè Filius Dei erat ille pro nobis in cruce passus; ergo verè Christus erat, qui est Deus & homo, qui est Dei Filius. Ergo non Simon Cyrenæus, qui de puro natus homine, purus erat homo.

De Cerdonianis.

Cerdoniani. *Cerdoniani à Cerdone* Mago quodam & hæretico viro, Heracleonis discipulo dicti; qui post Simonem Magum, & paulò ante Marcionem anno circiter 154. sub Antonino Pio Imp. & *S. Hygino* Rom. Pont. nedum duo admittebat prima rerum principia, & in his principiis duos constituebat Deos, bonum unum, & malum alterum; nedum vetus Testamentum rejiciebat & Prophetas, mortuorumque resurrectionem negabat; sed docebat insuper, S. August. teste, lib. de hæref. cap. 21. & S. Epiph. hæresi 41. *Christum Dominum neque ex Maria Virgine natum, nec veram assumpsisse carnem, nec verè mortuum, aut quidquam passum, sed simulasse passionem.*

Quod quàm falsum, hæreticum & blasphemum sit, licèt ex dictis contra *Basilidem* satis manifestè pateat, addi potest & dici contra *Cerdonem* istum; si non verè ex beata Maria Virgine carnem assumpsisset Christus, frustrà beata Elisabeth salutando Mariam, exclamasset olim voce magna, & sine causa dixisset Mariæ Virgini, Luc. cap. 1. vers. 42. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ipsa pariter Beata Virgo Maria, ibid. cap. 1. vers. 48. magnificans Deum de sua in Dei Matrem electione,

ctione, frustrà dixisset: *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Ipsa denique Mater Ecclesia suis in orationibus frustrà crebrò diceret: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.*

De Secundianis.

Secundiani dicuntur hæretici nonnulli à *Secundo* quodam hæretico viro, *Valentini* discipulo, progressi; qui sub Antonino Pio Imp. & *S. Hygino* Rom. Pont. ann. circiter 150. sequens in omnibus fabulosam Valentini de Æonum sive sæculorum progenie doctrinam, falsò pariter & impiè cum *Valentino* docebat, Christum verum quidem fuisse hominem, sed non esse ejusdem naturæ cum cæteris ex Adamo progenitis hominibus; asserens *Christum è Cœlo missum à Patre, secum cœleste detulisse corpus, nihilque de beata Virgine sumpsisse; sed per eam, quasi per canalem transiisse*; eo fultus Scripturæ textu, quo dicitur, Joan. cap. 3. vers. 13. *Et nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo.* Quo abutens Scripturæ textu *Valentinus*, & post illum *Secundus* successor ejus ac discipulus, Christum suum è Cœlo detulisse corpus inferebat, eò quòd Cœlum ascenderit cum corpore. Secundiani.

Sed malè inferebat; nam ibi, dum Deus sive Verbum, sive Filius hominis de Cœlo descendisse dicitur, hoc dicitur per Catachresim & Metalepsim; Deus enim propriè nec ascendit, nec descendit, nec mutat locum, cùm sit ubique replens omnia; dicitur tamen in terram descendisse, quia in terra humanam assumpsit naturam, in qua apparuit, & reipsa natus est, vixit & passus est; & quia per hanc carnis assumptionem, & apparitionem in carne visus est hominibus de Cœlo in terram descendisse; inde est quòd in Scriptura descendisse dicatur. Scriptura enim sese accommodat humano loquendi modo, sequens morem loquendi & concipiendi hominum, qui concipiunt Deum è Cœlo in terra descendere, eo ipso quo apparet in terra. Sic etiam Deus dicitur descendisse ad videnda, & punienda Sodomitarum scelera, dum Gen. cap. 18. vers. 21. dixit: *Descendam, & videbo.* Causam hujusce locutionis reddit *S. Cyrillus* in Ephesino œcumenico Concilio, dicens: *Quia Deus Verbum semetipsum exinanivit, ac Filius hominis appellatus fuit, manens interim quod erat, hoc est, Deus; inde fit, ut tanquam unus cum propria carne consideratus, è Cœlo descendisse dicatur*; ergo ex hoc Scripturæ textu colligi nequit, Christum è cœlo suum detulisse corpus; ac proinde ruit tota hæc fabulosa ac impia *Valentini* & *Secundi* doctrina.

De Marcionistis.

Marcionistæ à *Marcione* hæresiarcha celebri, natione Pontico viro, patria Sinopensi, de Stoicorum secta progresso; qui ob corruptam virginem de Ecclesia per patrem Episcopum ejectus, ut suæ consuleret famæ, & venerandi genitoris sui fugeret iras, Romam properavit; quò cùm venisset, nec in communionem Ecclesiæ recipi potuisset, ad Cerdonianam transiit hæresim, factus *Cerdonis* discipulus, ejusque per aliquod tempus perversæ doctrinæ sectator assiduus; quique tandem ut fieret supra Magistrum discipulus, novos de suo excogitavit non minùs impios & intolerandos erro- Marcionistæ.

errores, sub Antonino Imper. & *Pio I.* Rom. Pont. anno circiter 155. quos faciliùs ut insinuaret & suaderet, varia corrosit vel corrupit sibi adversantia Scripturæ loca; unde est deinceps *Mus Ponticus* vulgò vocatus, sed à *S. Polycarpo* primogenitus Satanæ dictus; is enim cùm Romæ *Polycarpum* invenisset, eumque salutans dixisset, *Agnoscis me, ò Polycarpe? agnosco te*, respondit Polycarpus, *primogenitum Satanæ*; & reverà ex Satana erat & ex mendacii patre filius ille; docebat enim

1. *Non tantùm duo esse rerum principia, ut Cerdon, sed tria, seu tres esse Deos, unum scilicet invisibilem & innominatum, visibilem alterum, & mundi Creatorem, & tertium, malum seu diabolum*, hoc est, ut inquit Origenes, tres admittebat Deos, *unum scilicet Judæorum, alterum Christianorum, & tertium Infidelium*. Sed si, ut visum est suprà, impossibile sit duo dari principia, sive duos Deos, à fortiori & impossibile erit dari tres vel plures.

2. *Corporum resurrectionem negabat, & tamen pro mortuis in fide instructis, alios baptizandos esse docebat*. Et in hoc sibi non constabat, & sibi ipsi contrarius erat; eique dici potest, quod 1. ad Cor. cap. 15. vers. 29. dicebat olim Paulus Apost. *Si mortui omninò non resurgunt, quid facient qui baptizantur pro mortuis?* hoc est, quid proderit mortuis ille Baptismus, quem multi suscipiunt pro mortuis? sive sit Baptismus metaphoricus, pœnæ videlicet, afflictionum, lacrymarum, precum, &c. quo multi baptizantur, ut suffragentur mortuis, & liberent eos à Baptismo ignis Purgatorii; sive sit vetus Baptismus & propriè dictus, quo *Marcion* alios baptizandos esse docebat pro mortuis, hoc est, pro his, qui sine Baptismo mortui erant; quid, inquam, illis proderit ille Baptismus, qualiscumque sit, si non detur resurrectio mortuorum, quam *Marcion* futuram negat, & quam Scriptura sacra, ut jam visum est, nobis passim inculcat? & quæ si non daretur corporum resurrectio, unde quæso esset in inferno ille fletus & stridor dentium? de quibus Matth. cap. 13. vers. 42. dicitur: *Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium*.

3. *Vetus Testamentum, seu legem veterem cum Prophetis rejiciebat*; quia à malo principio esse putabat, & alienam à Christo Salvatore; & in hoc non minùs errabat: si enim à malo principio & mala esset, atque à Christo aliena lex vetus, non diceret Christus, Matth. cap. 5. vers. 17. *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere*; nec iterùm dixisset Salvator, Lucæ cap. 24. vers. 44. *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis*. Et rursus, si mala esset, & à malo principio lex illa vetus, à legis perito interrogante & quærente quid faceret, ut vitam æternam possideret, non quæsiisset olim Dominus, *In lege quid scriptum est?* Et respondenti secundùm legem & ex lege, non dixisset illi, Luc. cap. 10. vers. 28. *Rectè respondisti: hoc fac, & vives*.

4. *Ab animatis manducandis, quia malis, & à malo principio abstinendum esse* docebat; & in hoc pariter errabat, cùm ei manifestè repugnet Paulus 1. ad Cor. cap. 10. vers. 25. dicens: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*. Imò & Christus Dominus hujusmodi animata vocans bona, Matth. cap. 7. vers. 9. dum ait: *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos,*

cùm

cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester, qui in Cœlis est, dabit bona petentibus se?

5. *Christum non veram, sed phantasticam, & apparentem sumpsisse carnem* ajebat; seu ut loquitur S. Epiphanius hæresi 42. hoc *Marcionis* impium explicans dogma: *Non esse Christum genitum ex Maria, nec in carne apparuisse, sed in apparentia fuisse, & in opinione apparuisse, omniaque in existimatione fecisse.* Quæ enormis in Christum blasphemia licèt ex jam dictis sit satis superque subversa, hìc tamen ad obstruendum os *Marcionis*, & aliorum loquentium iniqua, juvat addere illud Christi suis Discipulis post resurrectionem, Luc. cap. 24. vers. 39. dicentis: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habent, sicut me videtis habere.* Quo manifestè constat, Christum non phantasticam & imaginariam vel apparentem, sed veram & humanam habuisse carnem, qualem Joannes eum assumpsisse prædicat, dum cap. 1. vers. 14. ait: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; & qua in carne non apparenter solùm, non putativè tantùm, sed verè & certò certitudine fidei, idem Christus Dominus dicitur natus, circumcisus, fatigatus, tactus, à turbis compressus, tristatus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus; & qua tandem in vera carne, ut habetur Joan. cap. 19. vers. 30. pro nobis in cruce pendens, *Inclinato capite, tradidit spiritum.*

De Apellitis.

Apellitæ vel *Apelliani*, ab *Apelle* hæretico viro, *Marcionis* discipulo dicti; qui sub Marco Antonino Imp. & *Sotero* Rom. Pont. anno circiter 179. præter impia alia sui Magistri Marcionis dogmata, de suo asserebat, teste S. Epiph. hæresi 44. & S. August. lib. de hæres. cap. 23. *Christum carnem suam non de matre, sed ex elementis accepisse, eamque resurgendo, mundo reddidisse, & ita sine carne in cœlum ascendisse*; ita ut velit ille fabulator hæreticus, quòd Christus è cœlo veniens, non tulerit corpus, nec in terris de matre sumpserit; sed sibi corpus ex elementis ita efformaverit, ut sumpserit à sicco siccum, à calido calidum, ab humido humidum, à frigido frigidum: quo in corpore cùm apparuerit in terris, vixerit, mortuus fuerit, & resurrexerit; dum in cœlum per ascensum redire voluit, illud idem corpus iterùm resolvit, & quod cuique elemento proprium erat, reddidit, calidum videlicet calido, siccum sicco, frigidum frigido, & humidum humido, sicque dissoluto corpore, in cœlum, unde venerat, Christum revolasse docet, ac proinde cœlos sine corpore ascendisse tenet. Apellitæ.

Quod quàm fabulosum & impium sit *Apellis* figmentum, patet; nam si resoluto corpore, & sine corpore cœlos ascendisset Christus, eum non vidissent ascendentem præsentes Apostoli: at Apostolos eum ascendentem vidisse constat 1. ex illo Actuum cap. 1. vers. 10. ubi dicitur: *Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus qui aßumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* 2. Si sine corpore in cœlos ascendisset Christus, Stephanus Protomartyr non dixisset inter ingruentes Judæorum lapides positus, Actuum cap. 7. vers. 55. *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.*

De Theodotianis.

Theodotiani. *Theodotiani* à *Theodoto* dicti, viro patria Byzantino, professione Coriario, & juxta S. Epiph. hæresi 54. de *Alogorum* secta progresso; qui sub Heliogabalo Imp. & *Urbano I.* Rom. Pont. circa annum 221. *Solam humanam Christo tribuebat naturam, fatens nihilominùs Verbum divinum in eo ob excellentem ejus virtutem habitasse, sicque Mariam non Dei, sed puri hominis matrem esse.* Idque variis ex Scripturæ locis, sed perperàm intellectis, & præsertim ex illo Joan. cap. 8. vers. 40. ubi Christus ait: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Ex quo colligebat iste Christum purum hominem esse.

Contra quem & sectarios ejus fatemur & nos, Christum hominem esse; at non tantùm hominem, sed insuper & Deum esse contendimus; quod ut intelligat miser ille *Theodotus*, pergat ipsum Joannis Euangelium legere, & audiat *Martham* interrogatam ab illo homine Christo Jesu, & quærente ab illa, an credat; audiat, inquam, dicentem ei ibid. apud Joan. cap. 11. vers. 27. *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Si Filius Dei est homo ille, ergo & Deus; sicque non purus homo, sed Deus & homo; ac proinde beata Mater ejus non puri hominis, sed Dei-Hominis Mater existit.

De Melchisedechianis.

Melchisedechiani. *Melchisedechiani*, quos à *Theodotianis* avulsos putat S. Epiph. hær. 55. licèt illorum non exprimat auctorem, quique proinde sub Maximino Imp. & *Fabiano* Rom. Pont. colliguntur orti anno circiter 240. sicque dicti, quòd *Melchisedechum* non hominem purum, sed Dei virtutem aliquam Christo majorem esse tenerent, & Christum ordine Melchisedech dignum factum esse putarent, eo moti Davidis versu Psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*; indeque inferentes, quòd Christus non indiguisset Melchisedechis ordine, nisi fuisset in aliquo inferiori gradu positus.

Sed contrà, inde perperàm colligi dico, Christo majorem esse Melchisedech; quia dum de Domino Jesu dicitur à Propheta: *Tu es Sacerdos in æternum*, in hoc, inquit S. Epiph. hæresi 55. Christum fore Sacerdotem divina Scriptura narrat: ex hoc autem, quòd dicat *Secundùm ordinem Melchisedech*, colligi nequit Melchisedech esse Christo majorem, & Dei virtutem aliquam; purus enim erat homo *Melchisedech*. Si autem dicatur sine patre, sine matre, sine prosapia, non ita dicitur ut reipsa sit sine patre, sine matre; sed ex eo, inquit S. Epiph. quòd non sunt manifestissimè in Scriptura nominati; dum autem dicit Propheta, *Secundùm ordinem Melchisedech*, id dicit, non ut innuat Melchisedech esse Christo majorem, sed ut ostendat translationem Sacerdotii à Synagoga ad Ecclesiam, à veteri consuetudine ad novam & optimam, non habentem successionem carnalem, hoc est, ut ostendat Christum futurum esse Sacerdotem juxta ordinem Melchisedech, seu sicuti Melchisedech qui fuit vir justus & sanctus, ac Sacerdos per totum vitæ suæ tempus, quique post se successionem non habuit; ita & Christus sit futurus Sacerdos per omne vitæ suæ tempus, id est, in æternum, nec habiturus successorem ullum.

De

De Ophitis.

Ophitæ, sive Serpentini, dicti sunt secundo sæculo hæretici nonnulli, à voce græca ὄφις idem significante quod latinè *serpens*: qui hæretici, teste S. August. lib. de hær. cap. 17. *Serpentem illum, qui primos decepit parentes, Christum esse dicebant*; illumque de cœlo venisse, & nobis tulisse scientiam boni & mali; quique eò dementiæ & impietatis venerant, ut suæ hæresi Idololatriam addentes, serpentem quemdam vivum enutrirent & colerent, qui referente S. August. sacerdote incantante, de spelunca in qua alebatur egrediens, & Altare supra speluncam erectum conscendens, lambebat oblationes sacrificandas; quo peracto, & suam in speluncam serpente reverso, cultores ejus præfatas oblationes in Eucharistiam confringebant, quas illi putabant ab illo serpente Christo suo sanctificatas. Ophitæ.

Quæ quàm absurda sit, insulsa & impia hæresis, nemo non videt; unde de his dixisse sufficiat cum S. Hieronymo ad Lucifer. Ophitas istos esse de his, qui Euangelia laniarunt: & quis non rideat, aut potiùs lugeat horum hæreticorum dementiam? Serpentem, qui decepit Hevam, scientiam intulisse putant, & Christum esse stolidè credunt: ô stulti sanè ad credendum! si enim mulierem decepit serpens, ergo deceptionem, ac proinde falsitatem, errorem & ignorantiam, & non scientiam intulit; quique ideò punitus & maledictus à Deo dicente ei, Gen. cap. 3. vers. 14. *Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, & terram comedes*. Audias ergo quisquis sis serpentis quasi Christi cultor Ophita, si ex Scriptura Jerem. cap. 17. vers. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine*; quantò magis maledictus homo, qui confidit in serpente, inter animantia cuncta & terræ bestias maledicto?

De Manichæis.

Manichæi dicuntur celebres illi, & sua insana ac impia doctrina famosi tertio Ecclesiæ sæculo grassantes hæretici, (de quorum misera secta se quondam fuisse deplorat S. August. initio Libri *de duabus animabus*, contra Manichæos sic dicens: *Opitulante Dei misericordia, disruptis & derelictis Manichæorum laqueis, tandem Ecclesiæ Catholicæ gremio restitutum, libet considerare nunc saltem, & deplorare illam meam miseriam, &c.*) Fuere autem primò dicti, teste eodem S. August. lib. de hæres. cap. 46. *Manichæi*, ab Auctore suo *Mane* vel *Manin*, viro natione Persa, anteà servo & *Urbico* vocato, tandemque heræ suæ defunctæ bonorum hærede constituto, quique ita re & nomine insaniens, & instinctu Dæmonis agitatus erat, ut modò se Christi formam gerere, modò se Paracletum esse prædicaret; idque faciliùs ut suadere tentaret, 12. instar Christi selegit Discipulos, quos ad prædicanda suæ insanæ doctrinæ fabulamenta misit anno circiter 273. sub Aureliano Imp. & *Felice I.* Rom. Pont. Docebat autem ille, inter insana & impia alia, & docuere Manichæi post illum, Manichæi.

1. *Duo coæterna esse rerum omnium principia*, ac proinde duos Deos; bonum unum, à quo bona; & malum alterum, à quo mala prodirent omnia; arbitrantes mala à Deo summè bono provenire non posse, ac proinde fingendum esse principium aliud summè malum à quo prodirent mala,

& ex hoc falsò sic posito systemate, falsa & insana plura inferebant, docentes v.g. 1. Creaturas esse malas & immundas, quia à malo illo principio. 2. Non esse licitum vesci carnibus. 3. Illicitas esse nuptias. 4. Veterem legem, seu totum vetus rejiciendum esse Testamentum, quia à malo principio illo esse putabant hæc omnia: At in his omnibus dementes errabant; hæc enim à malo principio esse nequeunt, si nullum esse tale principium malum, sed unicum, illudque bonum, verumque Deum esse rerum omnium principium, ex Scriptura constet. Constat autem ex illo Isaiæ cap.45. vers.6. dicentis: *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Imò & ex illo Joan. cap.1. vers.3. de Verbo Dei Filio dicentis: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et denique ex illo Pauli 1. ad Cor. cap.8. vers.6. idem confirmantis & dicentis: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia .... & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.*

2. *Duas dicebant in homine animas esse*; bonam unam, quæ esset à bono principio, rationalem videlicet animam; & malam alteram, quæ esset à malo principio, concupiscentiam carnis vulgò dictam; hominemque ab illa bona anima ad bonum, & à mala ad malum determinari dicebant, ac proinde hominem liberum esse negabant. Sed contrà, 1. quia eversio istius novæ insaniæ sequitur ex eversione prioris: cùm enim non detur tale principium, ut visum est, non datur consequenter talis anima mala, quæ sit à tali malo principio. 2. Quia illa anima mala, quantumvis mala, esset vivens, alioquin anima non esset; ergo esset à Deo vero omnis vitæ fonte, cùm dicat S. August. lib. de duab. animab. *Nullam esse quamlibet vitam, quæ non eo ipso quo vita est, & in quantum omnino vita est, ad summum vitæ fontem principiumque pertineat, quod nihil aliud quàm summum & solum verumque Deum possumus confiteri.*

3. *Metempsychosim, seu transitum animarum de corpore in corpora tenebant*; hominum & brutorum animas non differre, sed æquales, & ejusdem naturæ ac valoris esse somniantes. Quod quàm fabulosum, ridiculum & insania plenum sit, nemo non videt; & Christus Dominus, aliis omissis, hoc unico facto falsum esse docet. Quod sic ostendo cum S. Epiph. Si æquales & ejusdem naturæ ac valoris essent hominum & brutorum animæ, Christus Dominus, qui venit ad salvandas hominum animas, non pluris fecisset unius hominis animam, quàm duo millia porcorum animas: atqui Christus Dominus pluris fecit unius hominis animam, quàm duo millia porcorum animas, dum ut salvaret & mundaret unius Dæmoniaci hominis animam à Dæmonum legione vexatam, misit eos Dæmones in duo millia porcorum animas, qui statim abeuntes in mare periere omnes, juxta illud Marci cap.5. vers.12. *Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.* Ergo hoc unico facto manifestè docet Christus, non æquales, nec ejusdem valoris ac naturæ esse hominum & porcorum animas; sed longè nobilioris naturæ atque valoris esse unicam unius hominis animam, quàm duo millia, imò quàm centena millia porcorum, aliorumque brutorum animas: ac proinde ridiculum & insania plenum est dicere, eas omnes æquales esse, & unam hominis animam migrare de corpore in corpora etiam brutorum, v.g. de corpore hominis in corpus

pus

pus canis, vel porci, volucris, aut muris, formicæ, vel pulicis, &c. Ut tenuit olim hujus transmigrationis, sive Metempsychosis inventor primarius *Pythagoras*, quique ideò de seipso, se ex Euphorbo transanimatum esse dicebat, juxta illud Poetæ:

Ipse ego: nam memini, Trojani tempore belli,
Pantoides Euphorbus eram; cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.

Pythagoram hoc in errore secutus est posteà *Plato*, vetus ille ac celebris Atheniensis Philosophus; sed hunc mirum in modum & abundè refellit *S. Irenæus lib. 2. adversus hæreses, cap.* 58. ex eo quòd constet (quidquid præfatus in persona Pythagoræ finxerit Poeta) animas nihil omninò meminisse eorum quæ anteà fuerint, vel gesserint, quando in prioribus aliis corporibus erant; dum sic ait: *De corpore autem in corpus transmigrationem ipsorum subvertamus, ex eo quòd nihil omnino eorum quæ anteà fuerint, meminerint animæ.*

Sed quia dixerat anteà Plato, suum figmentum ut excusaret ac defenderet, ideò nihil eorum quæ anteà fuerant, meminisse animas, quia intrantes in hanc vitam animæ & in ipso in corpus ingressu acceptum à dæmone poculum oblivionis potarunt, quodque fictum oblivionis poculum ut refellat *S. Irenæus* ibid. cap. 59. sic arguit: *Hoc ipsum unde scis ò Plato? cùm sit nunc in corpore anima tua; quoniam priusquam in corpus introeat, à dæmone potata est oblivionis medicamentum: Si enim dæmonem, & poculum, & introitum reminisceris, reliqua oportet; si autem illa ignoras, neque dæmon verus, neque artificiosè compositum oblivionis poculum.*

Gregorius verò Nyssenus eandem rejiciens & reprobans animarum transmigrationem, de Pythagora illius figmenti inventore primario lib. de homine sic ait: *Hujus auctor primarius Pythagoras, eandem se dicere non dubitavit, fuisse virum, & corpus muliebre gestasse, & cum avibus volasse, & fruticem crevisse, & aquatilem vitam sortitum esse; nec ille longè à veritate abductus, meo quidem judicio, qui de se ipso hæc narraverit. Reverà enim ranarum & aviculatum garrulitatis, aut piscium stuporis omni ratione carentis, aut arborum duritiæ sensum non habentis, hæc fuit, unam eandemque animam per tam multas res transire.*

4. *Christum non verum hominem fuisse, sed phantasticum, nec ex Virginis utero prodiisse tenebant, arbitrantes indignum esse credi, tantam majestatem per fœminæ sordes & squallores transire potuisse*, contra illud Angeli Gabrielis *Mariam* salutantis, & dicentis ei, Luc. cap. 1. vers. 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum.* Unde sic arguo: Filius ille, qui concipitur in utero B. Virginis, & paritur ab ea, verus est & non phantasticus filius ejus; ergo & verus homo, imò Homo-Deus, juxta illud ejusdem Angeli dicentis, ibid. vers. 35. *Ideò & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Unde meritò S. August. oratione de 5. hæresibus Manichæum increpans ait: *Hanc quam despicis, Manichæe, mater est mea, sed manu fabricata est mea; si potui inquinari cùm eam facerem, potui in illa inquinari cùm ex ea nascerer..... Stulte, unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? .... Taceat immunda vanitas, quia munda nata est Divinitas.*

De Apollinaristis.

Apollinaristæ. *Apollinaristæ* sic ab *Apollinari*, viro patria Laodiceno, professione primùm Rhetore, deinde Laodicenæ civitatis Præsule, filio alterius senioris *Apollinaris*, professione Grammatici, & dignitate Presbyteri, vtrique Græcis disciplinis eruditissimi, suæque ætatis eloquentissimi, qui multos & utiles dedit Ecclesiæ Libros, inter quos numerantur 30. volumina, quibus respondit vesaniæ Porphyrii, in Christianos summa cum petulantia debacchantis; imò & Hebræorum historia heroico carmine scripta, & in 24. distributa tomos, juxta Græcarum litterarum numerum; sed qui tandem ingenii & eloquentiæ fiducia fretus, novum ac perniciosum dogma in Ecclesiam introducere voluit; idque præsertim tentavit & promovit filius ejus, junior videlicet *Apollinaris*, vir licèt doctus & in Græcis disciplinis pariter eruditus; qui multis ab Ecclesia abductis, suos sibi conventus egit circa an. 367. sub Valentiniano Imp. & *Damaso* Rom. Pont. docere cœpit, *Christum corpus sumpsisse quidem ex B. Virgine, sed sine anima*: posteà suum quasi revocans errorem, addidit, *Sumpsisse quidem & animam, sed quæ mente careret, Verbumque divinum ei fuisse mentis loco.*

Quam hæresim nedum impugnarunt SS. Ecclesiæ PP. Athan. Greg. Naz. Nyss. Epiph. Ambr. & alii, sed eam insuper varia proscripsere Concilia, ut *Alexandrinum* anno Christi 362. ab Athan. cæterisque Catholicis Episcopis habitum; *Romanum* unum anno 373. Præside *Damaso*; *Antiochenum* unum anno 378. & tandem œcumenicum II. *Constantinopoli* anno 381. sub eodem *Damaso* Rom. Pont. celebratum: & meritò variis in Conciliis damnata hæc hæresis; nam si animam humanam non haberet Christus, quid, amabò, tristabatur in Christo? dum dixit Matth. cap. 26. vers. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Si animam rationalem nostræ similem non habuisset Christus, quid igitur moriturus in cruce Patri commendasset æterno, dum dixit Luc. cap. 23. vers. 46. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*? Si denique animam non habuisset, quid quæso tradidit, dum, ut habetur Joan. cap. 19. vers. 30. pro nobis in cruce moriens, *Inclinato capite, tradidit spiritum*? non Verbum, quod nunquam dimisit, & à quo nunquam dimissus; ergo animam, quæ spiritus est.

Dices fortè, animam sumpsisse quidem & habuisse, sed non mentem: sed contrà 1. si ita tenes, ergo mancam & imperfectam in Christo fingis animam. 2. Si animam sine mente habuisset Christus, quomodo de illo dici potuisset à S. Luca cap. 2. vers. 52. *Quòd proficiebat sapientia & ætate?* non enim proficiebat seu crescebat sapientia, ratione Verbi divini, cùm Verbum sit ipsa Sapientia increata & infinita; ergo ratione naturæ humanæ: hoc autem dici non potuisset, si mente caruisset humana Christi anima, cùm mentis humanæ dos & habitus sit ipsa sapientia creata.

De Paulianis.

Pauliani. *Pauliani* à *Paulo Samozateno* natione Syro, Antiocheno Episcopo, viro ante Episcopatum paupere & mendico, moribusque non puro; qui, teste S. August. lib. de hæres. cap. 44. dudum extinctam cujusdam Artemonis revo-

revocans hæresim sub Aurelio Imp. & *Felice I.* Rom. Pont. anno circiter 273. ausus est asserere, & in Christum blasphemando dicere, *Christum non semper fuisse, nec ante Mariam Virginem extitisse, sed ex eo quo ex Maria natus est, initium habuisse, ac proinde non Deum, sed purum hominem esse.*

Unde non mirum, si hæc hæresis omnium Episcoporum suffragiis fuerit Antiochiæ duobus in Conciliis cum suo auctore damnata; in quorum priori Concilio fidem simulando Catholicam Patribus illusit: sed in posteriori, de hæresi convictus, anathemate perculsus, & è suo ejectus Episcopatu Paulus ille Samozatenus; & meritò damnatus, & ejectus ille in Christum blasphemus, Christum Dominum non Deum, sed purum hominem, nec ante B. Virginem, ab æterno fuisse dicens, nec audiens illud ejusdem Christi ore Proph. dicentis Psal. 2. vers. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie, hoc est, in æternitate, seu ab æterno genui te, ut explicant SS. PP. & ostendit S. Joannes Euangelista dicens, cap. 1. vers. 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.... & Verbum caro factum est.* In principio, id est, ante omnia creata, ab initio omnis durationis, ab omni æternitate, & longissimè ante creaturas omnes.

De Photinianis.

Photiniani à *Photino* dicti, magni ingenii, eruditionisque non infimæ, & acutæ eloquentiæ viro, natione Pannonio, & Ecclesiæ Sirmiensis Episcopo, sed *Pauli* Samozateni hæretici hæretico discipulo; qui sub Constantio Imp. & *Julio I.* Rom. Pont. anno circiter 347. suos inter impios errores asserebat cum Paulo Samozateno, S. August. teste lib. de hæres. cap. 35. *Christum purum hominem esse, nec ante Mariam extitisse, sed ex quo de Maria natus est, initium habuisse.* Sed damnata pariter & ista Photini in Christum blasphemia, damnatus & ipse *Photinus* in Mediolanensi Synodo, habita anno 347. & exauctoratus in Sirmiensi Synodo alia anno 351. Ad Constantium Imp. tanquam de iniquo in se lato conqueritur judicio, appellat ab eo, Judices petit alios & obtinet, Basilio Ancyrano Episcopo demandatur cum interrogandi & refellendi munus. Celebris fuit disputatio, in qua tandem victus ad exilium damnatur *Photinus*. Et justè damnatur ille, jam damnati Pauli Samozateni blasphemias secutus, dignus Magistro in Christum blasphemo blasphemus discipulus. Photiniani.

De Nestorianis.

Nestoriani sic vulgò dicti à *Nestorio* è Germanicea Syriæ civitate oriundo viro, in Monasterio primùm ad pios honestosque mores formato, Antiochiæ deinde Sacerdotali munere laudabiliter functo, ac tandem ad Patriarchalem Sedem Constantinopolitanam post *Synesium* evecto, ibique paulò pòst in hæresiarcham mutato; dum, sub Theodosio juniore Imp. & *Cælestino I.* Rom. Pont. anno circiter 427. cœpit asserere *duas in Christo esse personas*, & docere *duos esse Christos, unum Filium Dei, & filium hominis alterum*; ac proinde *Beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis matrem esse; esseque dicendam non* Θεοτόκον, sed Χριστοτόκον; quæ hæresis Nestoriani.

tam

tam longè latèque grassata est per omnes ferè Orientis plagas, ut ad Indos usque pervenerit, & in India præsertim tam altas radices egerit, ut ibi dicantur adhuc esse permulti Nestoriana profitentes errata; licèt à S. Cyrillo Alexandrino multis laboribus dudum profligata, & ab œcumenico Ephesino Concilio, cum suo auctore *Nestorio*, à longo tempore damnata, & licèt nedum damnatus, sed exauctoratus ipse *Nestorius*, tandemque in extremis Thebarum oris, locum ex loco mutans, rupta & scissa coopertus terra, misero perierit interitu, ejusque lingua toties in Christum Christique Matrem blasphema, inventa fuerit statim post obitum facta vermium præda. Et meritò facta vermium esca lingua illa, quæ duas in Christo personas asserebat, & B. V. Dei Matrem esse negabat, contra illud *B. Elisabethæ* ab illa Virgine beata visitatæ dicentis Luc. cap. 1. vers. 43. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* ubi ly *Domini* idem est ac *Dei*, qui absolutè vocatur Dominus, quia solus Rex regum & Dominus dominantium.

De Eutychianis.

Eutychiani.

Eutychiani ab *Eutyche*, celebris Constantinopolitani Cœnobii præposito dicti; qui præterquàm quòd sub Theodosio juniore Imp. & *Leone I.* Rom. Pont. circa annum Christi 443. tenens cum Valentino, Marcione, Apollinari & Manichæis Christum cœleste habuisse corpus, & per beatæ Mariæ Virginis uterum, quasi per canalem transiisse; negabat insuper *in Christo duas esse naturas, asserens, carnem in ipso Incarnationis articulo, in divinitatem fuisse commutatam, & ex utraque natura, divina & humana, substantiam coaluisse unam, sicque Christum ut Deum fuisse passum* blasphemabat; quam hæresim strenuè impugnarunt suis scriptis viri graves & sancti non pauci, inter quos *Boethius* Christianus Philosophus & Martyr cum *Symmacho*, sub Theodorico Gothorum Rege Martyrii palma donatus, eo scilicet in Libro in Eutychen edito, quem *de duabus naturis* inscripsit; *S. Prosper* Aquitanicus diversis conscriptis Epistolis; & quam denique damnavit Chalcedonensis œcumenica Synodus, definiens duas in Christo distinctas & inconfusas esse naturas, sub Marciano Imp. & *Leone I.* Rom. Pont. & contra quam, de Christo Domino canit Ecclesia in Athanasiano Fidei Symbolo, quòd sit *Unus non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

De Acephalis.

Acephali.

Quamvis *Acephali* dicti fuerint olim post solutam Synodum Ephesinam nonnulli certæ factionis viri, qui nec *S. Cyrillo* Alexandrino Nestorium cum Synodo Ephesina damnanti, nec *Joanni* Antiocheno Nestorii partes propugnanti adhærere voluere.

Acephali tamen, sive *Acephalitæ* dicuntur communiter factiosi nonnulli ex iis, qui Chalcedonensis Concilii decretis contradicebant: soluto enim Chalcedonensi Concilio, & variis ejus occasione in Oriente factionibus ortis, omnium præcipua fuit eorum, qui Chalcedonense Concilium impugnabant, & duas in Christo naturas esse cum *Eutyche* & *Dioscoro* negabant, anno circiter 490. sub Anastasio Imp. & *Symmacho* Rom. Pont.

qui

qui cùm essent numero multi, & omnes simul orti, nec constaret quis factionis auctor, sive caput esset, *Acephali*, id est, sine capite fuere vocati. Nihilominùs opinantur alii *Acephalos* fuisse hæreticos illos, qui à suo Patriarcha Alexandrino pro Chalcedonensi Concilio stante recesserant; sicque quia suo sine pastore, suo sine capite Chalcedonense Concilium impugnabant, *Acephali* fuere dicti. *Acephalos* denique dici volunt alii politicos illos, qui Chalcedonense Concilium approbabant cum Catholicis, & reprobabant cum hæreticis; tenetque Nicephorus *Severum* Antiochenum Episc. *Acephalorum* fuisse ducem, & antesignanum; unde & *Severitæ* pariter creduntur nuncupati. Verùm quidquid sit de *Acephalis*, eorumque duce, certum est *Acephalos* de illis fuisse hæreticos, qui spreto Chalcedonensi Concilio, duas in Christo naturas esse cum *Eutyche* & *Dioscoro* negabant; unde & *Monophysitæ* censendi, ac proinde eodem cum *Eutyche* & *Dioscoro*, cæterisque *Monophysitis* anathemate feriendi, nisi Chalcedonensi adhæreant Concilio, cum Scriptura dicenti Joan. cap. 10. vers. 18. in Christo facultatem esse ponendi animam, & iterùm sumendi eam, ac proinde & duas naturas divinam & humanam, cùm facultas ponendi animam, hoc est, vitam, seu moriendi, naturæ sit humanæ, & facultas iterùm sumendi, seu resurgendi, ad solam pertineat divinam.

De Jacobitis.

Jacobitæ, sive *Jacobini* vulgò sic dicti à *Jacobo* quodam *Zanzelo*, genere Syro, obscuro prorsus & nullius nominis viro, *Eutychis* discipulo, ejusque errorum propagatore per Africam ita fœcundo, sexto currente sæculo, ut tandem quotquot erant Eutychianorum sectæ diversæ, septimo currente sæculo *Jacobitarum* sectæ unitæ fuerint, referatque *Richardus Simon* adhuc hodie sub *Jacobitarum* nomine intelligendos esse omnes per Orientem dispersos *Monophysitas*, seu unam solam in Christo fatentes naturam, ac proinde sub eo nomine comprehendi *Armenos*, *Coptos*, & *Abyssinos*. In hoc præsertim inter alia errabant isti *Jacobitæ*, non solùm primò, quòd Sacerdoti peccata sua confiteri necessarium esse negarent. 2. Quòd ad litteram explicantes illud Joannis Baptistæ de Christo, apud Matthæum, cap. 3. vers. 11. dicentis: *Ipse vos baptizabit in Spiritu & igni*: suos parvulos adustione quadam in fronte, vel in genis impressa circumciderent, hinc originale peccatum expiari putantes. Et 3. in hoc quòd Trinitatem Personarum in divinis non admitterent, sed solam unitatem; in cujus rei signum se signo crucis uno digito solo signarent. Sed 4. in hoc specialiter adhuc hæretici, quòd *Eutychis* & *Dioscori* hæresim secuti, *unam dumtaxat in Christo naturam assererent*, contra universalis Ecclesiæ fidem, in quarto œcumenico Concilio, ut visum est, contra Eutychen & Dioscorum decisam. Jacobitæ.

De Coptis.

Copti sunt nonnulli in Ægypto habitantes populi, Christiani quidem, sed Schismatici, & *Eutychis* ac *Dioscori* errorum pariter sectarii; sic, ut puto, dicti à *Copto* Thebaidis ad Nilum oppido, & communi Ægyptiorum & Arabum emporio, de quo Juvenalis satyr. 15. canebat olim: Copti.

Gesta super calida referemus mœnia Copti.

Ha-

Habent isti Schismatici Patriarcham unum, cui subsunt & parent, qui se Alexandrinum Patriarcham dicit, & residet in Monasterio S. Macarii. Plura & alia dicuntur habere in Ægypto Cœnobia, & inter alia celebre unum in domo illa veneranda, in qua olim hospitata dicitur familia sacra, hoc est, Christus *Jesus*, *Maria*, & *Joseph*, propter sævientem Herodis barbariem fugientes in Ægyptum. Fertur quoque nonnullas Jerosolymis esse *Coptorum* familias, habentes Parochiam unam, imò & Capellam unam in celebri sancti Sepulchri Ecclesia. Dicuntur etiam isti ad *Clementem VIII.* Rom. Pont. Legatos misisse, per Patriarcham suum Gabrielis nomine dictum, ad postulandam sui, suorumque omnium sive *Ægyptiorum*, sive *Arabum* cum Romana Ecclesia unionem, sibi oblatam olim à *Pio IV*, sed rejectam anno 1561.

De Acœmetis.

Acœmetæ. *Acœmetæ* erant nonnnulli in Scythia Monachi, quorum congregatio Constantinopoli primitùs creditur orta anno 459. viri quidem initio pii, fideles & orthodoxi, qui *Acacio* Constantinopolitano Patriarchæ olim Ecclesiæ rebelli strenuè restitere circa annum 484. Dicebantur autem *Ἀκοίμηται*, id est, *Pervigiles*, quia suo ut parerent instituto, se tres in turmas ita distribuebant, ut per vices succedentes sibi, Dei laudibus in Ecclesia canendis diu noctuque sine intermissione vacarent. *Studitæ* pariter creduntur olim dicti à *Studio* quodam magni nominis viro, sui Ordinis Cœnobii Constantinopoli fundatore celeberrimo; sed postea successu temporis non ita fideles, in temporum novitates lapsi, & facti hæresis Eutychianæ Sectarii, & Concilii Chalcedonensis hostes occulti, ad Chalcedonense Concilium quasi imperfectum, subdolè addendum esse dicebant, *Unum de Trinitate esse passum in carne*. Nihil econtrà addendum esse tenebat *Victor* quidam Diaconus. Causa delata est ad *Hormisdam* Rom. Pont. damnati sunt *Acœmetæ*, & nihil addendum esse respondit *Hormisdas*. Ex qua decisione inferunt isti nestorianizando Monachi, si unus de Trinitate non est passus in carne, ergo neque natus in carne, ac proinde B. Maria non est dicenda Deipara. Hanc utramque propugnabant illatam propositionem; recurritur iterùm ad Romanum Pont. *Joannem II.* Scribit ad illum Justinianus Imp. Legatos mittit, mittunt & Monachi suos, convocat Romæ Synodum Papa anno circiter 532. & in ea *Acœmetas* damnat, (ut visum est suprà, ubi de Conciliis in causa Nestorianorum habitis,) & definit Catholicè dici posse, *Unum de Trinitate passum in carne*.

De Agnoetis.

Agnoetæ. *Agnoetæ* fuere hæretici nonnulli, sic ab ignorantia vocati, & quorum duas invenio sectas diversis temporibus, & à diversis Auctoribus ortas. Prima quidem ortum invenitur habere à *Theophronio* quodam viro, patria Cappadoce, sub Valentiniano Imp. & *Liberio* Rom. Pont. anno circiter 365. vel ut placet aliis, sub Valente Imp. & *Damaso* Rom. Pont. circa annum 370. Fuerat autem *Theophronius* ille primùm *Eunomii* hæretici discipulus & sectarius; sed postea quòd Magistri sui Eunomii non acquiesceret doctrinæ, sed alia de suo doceret absurda simul & impia, repulsus & à secta procul ejectus proprios & seorsim cœpit habere conventus, & pro-

propriam inire sectam; docens *Rerum cognitionem in Deo esse variam, asserens Deum cognoscere futura per præscientiam, præsentia per scientiam, & præterita per memoriam*. Quod quàm absurdum, ineptum & falsum sit, patet ex eo, quòd certum sit nihil esse præteritum aut futurum, sed omnia præsentia respectu Dei, nuda & oculis ejus aperta, juxta illud Pauli ad Hebræos, cap. 4. vers. 13. dicentis: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.*

Posterior verò *Agnoetarum* secta circa annum 536. à nonnullis aliis creditur orta; qui ab ignorantia sive inscitia, quam in Christo esse posse tenebant, *Agnoetæ* fuere pariter vocati; & quorum primus auctor creditur *Themistius* quidam Alexandrinus Diaconus, unde & Themistiani vocati; is enim *Themistius* cùm petiisset à *Timotheo* Alexand. Præsule, num Christus ignorasset aliqua? Timotheusque negativè respondisset, ab eo deficiens Themistius, & ignorantiam aliquam in Christo fuisse tenens, *Agnoetarum* sectam erexit, quorum hæresis in hoc sita erat, non ut opinantur nonnulli cum Bellarmino, quòd in Christo ut homine præcisè, sed in hoc quòd in Christo absolutè, etiam ut Deo, ignorantiam esse dicerent; quia cùm illi unam dumtaxat ex duabus compositam in Christo naturam esse tenerent cum Eutychianis, consequenter tenebant Christum absolutè ignorare etiam ut Deum ea quæ ejus ignorabat humanitas, sicque cùm Christus asserat, Matth. cap. 24. vers. 36. & expressiùs, Marci cap. 13. vers. 32. *Se nescire diem judicii*, dum ait: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*; inde colligebant in Christo absolutè, etiam ut Deo, ignorantiam esse extremi judicii diei.

Sed malè omninò, 1. quia etiam si daretur, Christum id ignorasse ut hominem, non sequitur eum id pariter ignorasse ut Deum; cùm fides Catholica doceat, duas in Christo distinctas & inconfusas esse naturas, divinam videlicet & humanam.

2. Quia non sic respondit suis Discipulis Christus interrogatus, ut innuere vellet se simpliciter & absolutè diem extremi judicii nescire, sed tantùm se nescire, ut eis revelare deberet, sicut ex illo alio colligitur textu Christi dicentis, Actuum cap. 1. vers. 7. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Scriptura enim divina, quæ est pro erudiendis hominibus data, loquitur sæpè more humano, hoc est, eodem loquendi modo quo uti solent homines; unde sicut homo interrogatus ab alio de sibi credito secreto, respondere solet se nescire, nimirum ut revelare debeat, ita & Christus suis respondit Discipulis se diem judicii nescire, nimirùm ut revelare deberet eis.

De Theopaschitis.

Theopaschitæ sive *Theopassitæ* dicti olim, qui Deum passum, sive Christi divinitatem passam esse tenebant, cum suo duce *Petro Gnapheo* Pseudo-Episcopo Antiocheno, & hæretico viro *Petro Fullone* vulgò dicto: fuit enim vir ille primùm Acœmetensis in Scythia Monachus; & quia dum in suo Acœmetarum Cœnobio degeret, Fullonis artem exercebat, inde Fullonis nomen sortitus est, & *Petrus Fullo* vulgò cognominatus. Is è suo ejectus Cœnobio, quia Eutychianæ propugnator hæresis, & Chalcedonensis impugnator Concilii, Chalcedonem fugit, indeque dum in sanctæ *Bassæ* Martyris templo Presbyter esset, iisdem de causis rursus expulsus, & Theopaschitæ.

Con-

Constantinopolim ire coactus est; ubi cùm sibi Zenonis, Leonis Imperatoris generi, favorem & benevolentiam conciliasset, & cum illo deinde in Orientem misso Antiochiam venisset, de Antiochena invadenda cogitare cœpit Episcopali Cathedra, *Martyrium* Antiochenum Episcopum, virum verè Orthodoxum, & Chalcedonensis Concilii defensorem egregium de Nestoriana accusat hæresi, varios in eum Antiochiæ excitat tumultus, eòque rem perduxit suam, ut juvante & patrocinante Zenone, Antiochenam invaserit Sedem, vivente adhuc & legitimè sedente *Martyrio*: ex ea tamen posteà dejectus, substituto Stephano; sed isto interim impii *Fullonis* impulsu nefariè trucidato, iterùm Zenonis auxilio restitutus: nec tamen ex his tumultibus & miseriis in melioris frugi virum ipse mutatus; sed econtrà ubi se restitutum sensit, sub Zenone ipso tunc Imperatore, & *Simplicio* Rom. Pont. circa annum 476. impiè prædicare cœpit, *Deum passum esse*; dicens anathema his omnibus, qui *Deum crucifixum, & passum esse negarent*, & ter sancto Angelico hymno, à Græcis *Trisagio* vulgò nuncupato, videlicet isti, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*, addendum esse dicens, *qui passus est pro nobis*, quasi divinitas passa esset; unde qui eum secuti sunt, hoc impium amplexi dogma, *Theopaschitæ*, sive *Theopassitæ* dicti.

Sed damnatus ille *Fullo* in Constantinopolitana Synodo ab *Acacio* convocata, & illius posteà confirmata damnatio à *Simplicio* Romano Pont. imò & sufficienter damnatum censeri debebat hoc impium *Fullonis* & Theopaschitarum dogma à Concilio Chalcedonensi, in quo damnata fuerat Eutychiana hæresis de unica in Christo natura, à qua ut à fonte manavit ista *Petri Fullonis* & *Theopaschitarum* blasphemia, sicut & *Monophysitarum* ac *Monothelitarum hæresis*.

De Monophysitis.

Monophysitæ. *Monophysitæ* dicti sunt nonnulli Concilium Chalcedonense impugnantes hæretici, sub Anastasii Imperatoris, & *Hormisdæ* Papæ temporibus orti circa annum 517. quales fuere *Severus* Antiochenus Patriarcha, *Dioscorus* & *Gainus*, Jacobus & Joannes Grammaticus, vulgò *Philoponus* cognominatus, acris ingenii vir & eruditus, qui summa cum impietate, juxta Nicephorum histor. Eccles. lib. 18. cap. 45. *Unam dumtaxat in Christo naturam esse dixere*; unde Monophysitæ fuere nuncupati, hunc in modum ratiocinantes: Si duas in Christo demus naturas, duas consequenter in eo voluntates & operationes esse fateamur necesse est; si verò hoc concedatur, eadem necessitate sequitur duas in eo personas esse, duasque virtutes operatrices inter se contrarias.

Verùm hoc istorum pariter impium de una in Christo natura dogma, contra *Eutychen* & *Dioscorum* in eodem œcumenico Chalcedonensi Concilio damnatum, & contra eos, & alios à Concilii Patribus dictum: *Nos accepimus & credimus, quòd quemadmodum illæ duæ naturæ, quæ in eamdem substantiam Domini nostri distinctè & minimè confusè coierunt, ita quoque per se remanserunt, utraque habente suos proprios effectus. Hoc enim innuit Dominus, cùm ait: Nemo tollit animam meam à me, sed potestatem habeo ponendi eam, & rursus assumendi eam; ita ut animo conturbato esse, sit naturæ procreatæ; potestatem autem habere, sit solius divinæ naturæ quæ ei inest. Itaque qui dicunt, quòd in unam atque eamdem naturam utraque natura coaluerit,*

rit, unicam esse in Domino prædicantes, profectò ab Ecclesia ejiciendos esse censemus. Quibus verbis innuunt Concilii PP. se meritò damnare hoc impium dogma de unica in Christo natura, cùm duas se naturas habere passim in Scripturis innuat Dominus, ut v.g. dum Joan. cap. 10. vers. 17. ait: *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Quo in loco ly *ponere animam* seu vitam, sive mori, naturam indicat humanam, & ly *potestatem habere iterùm sumendi eam* seu resurgendi, divinam innuit naturam.

De Monothelitis.

Monothelitæ ex eadem corrupta & vitiata radice pullulantes hæretici, sub Heraclio Imp. & *Honorio I.* Rom. Pont. infeliciter orti anno circiter 622. non minùs in Christum fuere blasphemi; asserebant enim *in Christo Domino unam dumtaxat voluntatem esse*, unde *Monothelitæ* à voce græca μόνος significante *solus*, & θέλημα significante *voluntas*, vulgò nuncupati; quorum præcipui fuere Duces *Sergius* Constantinopolitanus Patriarcha, *Cyrus* Alexandrinus, *Macarius* Antiochenus, *Pyrrhus* pariter & *Paulus*, uterque post Sergium successivè Constantinopolitanus, & *Theodorus* Pharanitanus; contra quos hujus sectæ impugnatores & debellatores fuere præsertim S. Joannes Eleemosynarius Alexandrinus Patriarcha, Sophronius Jerosolymitanus, Arcadius Cypri Archipræsul insignis; sed claruit præsertim inter alios, S. Maximus Monachus & Martyr in hoc sacro contra Monothelitas prælio; in quo nedum de Pyrrho Monothelitarum Heroe triumphavit, & ad ejurandum errorem devictum impulit, sed in quo variis ipse contumeliis, verberibus & opprobriis, exilio triplici, dexteræ manus & linguæ amputatione pro fide Catholica vexatus. Monothelitæ.

Sed tandem damnata hæc hæresis in sexta Synodo, sub Constantino Pogonato & *Agathone* Papa, & dictum anathema *Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo, Petro, Macario, Stephano, Theodoro Pharanitano, cæterisque ejusdem sectæ patronis*; & definitum in Christo duas esse voluntates, duasque operationes, sicut & duas naturas, divinam videlicet unam, & humanam alteram. Edita est ac promulgata fidei definitio, & unanimi voce conclamatum à Concilii Patribus: *Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus; hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum.* Et jure meritò hæc fides Patrum & Orthodoxorum dicitur, cùm hæc sit doctrina Christi, duas in se voluntates esse, divinam unam, & humanam alteram, passim innuentis variis in Scripturæ locis, & præsertim dum Matth. cap. 26. vers. 39. & Lucæ cap. 22. vers. 42. ait: *Pater si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Joan. cap. 6. vers. 38. dum ait: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris.* Quo in utroque textu innuit manifestè, se duas habere voluntates, humanam scilicet & divinam; humanam quam per obedientiam subjiciebat divinæ, & non solam divinam quæ suppleret humanam, ut *Monothelitæ* volebant.

De Maronitis.

Maronitæ sunt nonnulli Orientales, præsertim prope Libanum in Syria habi- Maronitæ.

habitantes populi, Dei gratia Christiani & Catholici hodie, quamvis aliàs hæretici, & per quingentos circiter annos ab Ecclesia Romana scissi; ortique, ut creditur, à *Marone* quodam hæretico viro, ac *Monothelitarum* errorum sectario, & docente cum Monothelitis unam dumtaxat in Christo voluntatem esse; quem qui secuti sunt in hoc *Monothelitarum* errore, *Maronitæ* fuere nuncupati, & pro hæreticis monothelizantibus habiti per annos circiter quingentos, hoc est, ab anno 699. usque ad *Balduinum* Regem Jerosolymitanum, & *Emericum* Antiochiæ Patriarcham, quo mediante, abjurata hæresi, & exhibita Romano Pontifici obedientia, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium sunt reversi anno 1182. Ipsi tamen econtrà non se ab illo hæretico *Marone* Maronitas dici volunt, sed à patriæ suæ vico, *Maronia* vulgò dicto, & à sancto *Marone* Monasterii celebris Abbate, cujus Discipuli Eutychianam fortiter impugnantes hæresim, ab eo primùm *Maronitæ* fuere vocati, ac tandem cæteri posteà Concilii Chalcedonensis defensores, *Maronitæ* pariter nuncupati; sed quidquid sit de illorum nominis origine, sive ab illo *Marone* hæretico, sive ab alio *Marone* Abbate sancto *Maronitæ* dicantur.

Certum est eos ab anno 1182. nunquam à Romana Sede defecisse, & semper Christianissimè vixisse, eorumque Patriarcha fertur interfuisse œcumenico Lateranensi Concilio quarto sub *Innocentio III.* anno 1215. vivuntque hodie Romanæ Ecclesiæ perfectè subditi, habentes à quibus dirigantur in via Domini, Patriarcham unum, Archipræsules, Episcopos & Parochos, lingua utentes Syriaca in suo divino Officio, ordinato saltem ex majori parte, ut creditur, à *B. Ephrem* sanctissimo Edessenæ Ecclesiæ Diacono, Græcorum ritus sequentes ferè omnes, excepto azymi panis usu; consecrant enim in azymo, sicut Latini. Extra divinum Officium lingua utuntur Arabica, apud ipsos nunc pro vulgari recepta propter frequens ipsorum cum Arabico populo commercium, quamvis sint ex his aliqui, qui sua utuntur adhuc Maronica lingua, hoc est Syriaca, sed corrupta, & ex Arabica mixta. Habent Romæ Collegium unum sibi à *Gregorio XIII.* fundatum, quos suos mittunt juvenes formandos & instruendos à Jesuitis; habent & in monte Libano Monasterium austerissimæ vitæ Monialium. Nec in solo monte Libano reperiuntur habitare *Maronitæ*: Sunt & alia plura in quibus degunt Orientis loca sive oppida, ut v. g. *Tripolis*, *Sidon*, *Damascum*, *Alep*, *Cyprus*, & alia; ita ut referat *Guillelmus* Tyrius Archiepiscopus, suis temporibus, hoc est, circa annum 1184. Maronitas esse numero 40000. qui omnes Catholicè viventes uni subsunt Patriarchæ, & Patriarcha Romano Pontifici, à quo suam petit & obtinet confirmationem, ac pallium. Si Catholici hodie *Maronitæ*, ergo non *Monothelitæ*. Imò contra Monothelitas tenent nobiscum hodie, duas in Christo voluntates esse, sicut & duas naturas; & dicunt nobiscum, & nos cum sextæ œcumenicæ Synodi Patribus: *Omnes ita credimus, omnes ita sentimus.*

Sed nedum contra *Monothelitas* fatemur duas in Christo voluntates, sed & fatemur cum beato Athanasio & tota Ecclesia Catholica: *Quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est*, contra Ebionem, Cerinthum & alios.

Quòd Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, contra Paulianos, Photinianos & alios.

Quòd & homo est ex substantia matris in sæculo natus, contra Valentinianos, Marcionistas, Cerdonianos, Apellitas, Manichæos & alios.

Quòd

Quòd sit perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens, contra Apollinaristas, & sequaces.

Quòd æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem, contra Arianos, Socinianos, & alios.

Quòd licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus, contra Nestorium & Nestorianizantes alios, Jacobitas, Coptos, & alios.

Quòd unus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ, contra Eutychianos, Monophysitas, imò & Nestorianos, & his adhærentes alios.

Quòd denique hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit; quidquid *de foris* grunniant *Athei*, *Gentiles*, aut *Judæi*, vel qui *à nobis exierunt* alii de Deo Incarnato malè sentientes hæretici.

ARTICULUS VIII.

De præcipuis in doctrina Sacramentorum hæresibus.

MAgnum, fateor, est divini erga nos amoris argumentum, Sacramenta instituisse Christum; majus, (quod *non fecit taliter omni nationi*,) nos ad sui Euangelii fidem, Sacramentorumque participationem vocasse Dominum; sed maximum, apud nos tot inter Sacramentorum hostes positos, totque erroribus, mendaciis & hæresibus undique vallatos, puram Euangelii fidem, & Sacramentorum integram servasse doctrinam. Horret animus dicere, quot monstra, quot mendàcia, quot hæreses, quot pestes circa Sacramenta grassari permiserit Deus, quot seductores viros, quot hæreticos, quot in vestimentis ovium lupos, quot singulares apros, qui in vinea Domini depascentes, Sacramenta conculcarent, contemnerent, abolerent: expedit tamen hæc monstra, si non omnia, saltem præcipua, summatim & breviter designare fugienda, inter quæ, præter *Paganos*, *Judæos* & alios quoscumque hæreticos, Christi Passionem, ac consequenter Sacramenta à Christi Passione suam efficaciam habentia negantes; sunt & alii numero multi circa Sacramenta deficientes & errantes hæretici, inter quos, alii circa omnia, alii circa aliqua tantùm errasse noscuntur, quales dici possunt *Tatiani*, *Severiani*, *Adamitæ*, *Aquarii*, *Novatiani*, *Agrippiniani*, *Cathari*, *Catharistæ*, *Aeriani*, *Donatistæ*, *Albanenses*, *Petrobusiani*, *Henriciani*, *Valdenses*, *Albigenses*, *Flagellantes*, *Vvicleffitæ*, *Hussitæ*, *Lutherani*, *Calvinistæ*, *Anabaptistæ*, *Sacramentarii*, *Protestantes*; *Adiaphoristæ*, *Bissacramentales*, &c. Circa Sacramenta erarunt inter alios

De Tatianis.

Tatiani à *Tatiano* viro natione Syro, & *S. Justini* Martyris & Philosophi discipulo; qui sub Antonino Philosopho Imp. & *Sotero* Rom. Pont. anno circiter 173. licèt vivente *Justino* in fide constans perseveraverit, *Justini* tamen post obitum, de fide malè sentire cœpit, & in hoc præsertim inter alia erravit primò, quòd præterquàm quòd *Adamum* cum sua complice *Heva*, ob suum inobedientiæ lapsum damnatum esse censuerit, contra illud Tatiani.

Sapientiæ cap. 10. verſ. 1. ubi Salomon de Sapientia loquens, ait: *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit & eduxit illum à delicto ſuo*. Ex quo colligitur, non damnatum, ſed Dei miſericordia ſalutem conſecutum *Adamum*. Præter hunc *Tatiani* lapſum, in *Valentini* inſuper, *Marcionis* & *Saturnini* ſuorum prædeceſſorum errores impingens, in hoc præſertim erravit. 2. Quòd *Matrimonium malum eſſe ſenſerit, & à nuptiis ut illicitis abſtinendum eſſe docuerit*; unde *Encratitæ*, id eſt, Continentes dicti *Tatiani* ſectarii. 3. Quòd *carnes pariter à malo principio, id eſt, à Dæmone creatas eſſe putans, à carnibus abſtinendum eſſe dixerit*. 4. Quòd *ſola aqua, & non vino, etiam in ſacrificio utendum eſſe tenuerit, arbitrans vinum à Satana & terra progenitum, ac proinde malum & illicitum*. Quam hæreſim *Tatianus* ex eo excogitaſſe fertur, quòd lege prohibitum eſſet Nazaræis vinum; hi enim qui Nazaræis propinabant vinum, accuſantur à Propheta *Amos* dicente cap. 2. verſ. 12. *Propinabatis Nazaræis vinum*.

Verùm præterquàm quòd iſta ſatis everſa manent ex everſione doctrinæ de duobus rerum principiis, bono uno, & malo altero, & oſtenſione unici principii, ſcilicet Dei, per quem *Omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil*; contra iſtos inſuper, & alios quoſcumque hæreticos prohibentes nubere, aut veſci carnibus, vel uti vino, aut aliis à Deo creatis manifeſtè pugnat Paulus Apoſt. eorum eradicans errores, & fidei veritatiſque fundamentum ſtabiliens, dum prima ad Timotheum, cap. 4. verſ. 1. & ſequentibus ait: *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*.

De Severianis.

verſa- *Severiani*, de quibus S. Epiph. hær. 45. & S. Auguſt. lib. de hær. cap. 24. à *Severo* quodam viro, ut creditur, natione Syro, *Tatiani* coævo, & in erroribus diſcipulo, iiſdem temporibus, hoc eſt, 2. currente ſæculo, ſub Antonino Philoſopho Imp. & *Sotero* Rom. Pont. qui inſana *Tatiani* ſequens dogmata, varia alia de ſuo ſupplevit fabulamenta; & inter alia,

1. *Vini uſum cum Tatiano damnans, vitem è ſerpente & terra progenitam eſſe* dicebat. Fingebat enim ſerpentem ex diabolo genitum & in terram dejectum, ibique ex terra quaſi ex muliere genuiſſe vitem, quam ideò ſerpentis inſtar, intortam, vitiſque uvas veneni guttas ſive ſtillas eſſe aſſerebat, indeque fieri, ut vinum immoderatè ſumptum hominis turbet mentem, ad veneris mulcimenta ducat, & in furorem interdum trahat, ac proinde à vino prorſus abſtinendum eſſe docebat.

Quod quàm fabuloſum ſit ac ridiculum, patet ex illo Chriſti apud Marcum cap. 14. verſ. 25. de vite & vino dicentis: *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei*. Nec enim eſt credibile, quòd ſi vitis à ſerpente, & à diabolo ſerpens eſſet, de vite & vino, ſeu genimine vitis ita locutus fuiſſet

fuisset Christus; imò nec credibile prorsus, quòd Eucharistiæ Sacramentum instituens, sanguinem suum sub specie vini Apostolis dedisset, & nobis post Apostolos per omnia sæcula bibendum reliquisset; nec denique si quid vituperandum ex natura sua vitis nomen haberet, non se vitem nominaret Christus, nec diceret Joan. cap. 15. vers. 1. *Ego sum vitis, & Pater meus agricola*; & rursus vers. 5. *Ego sum vitis, & vos palmites.*

2. Docebat ille *Mulierem opus esse Satanæ*; & mulieri nubere nihil esse aliud quàm opus implere Satanæ, unde nuptias damnabat.

3. *Dimidiam hominis partem unam esse à Deo, & à Diabolo alteram*, ab umbilico scilicet & suprà, Dei esse, & reliquum inferiùs diaboli esse: quod utrumque fabulamentum non minùs falsum, ridiculum & à fide alienum esse, manifestè patet ex illo Scripturæ Gen. cap. 1. vers. 27. dicentis: *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos*; & iterùm ex illo Christi Matth. cap. 19. vers. 4. confirmantis: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos.*

De Adamitis.

Adamitæ, quorum alii antiqui & recentiores alii, quique omnes tam antiqui, quàm recentiores, qui matrimonium pro nihilo semper habuere, & nuptias quascumque exhorruere; suam hinc trahentes hæresim, teste S. Aug. lib. de hær. cap. 31. quòd *Adamus*, antequam peccasset, & è Paradiso fuisset ejectus, suam nunquam cognoverit uxorem; inde colligentes nuptias nunquam fuisse futuras, si *Adam* non peccasset: & quia nudus ambulabat *Adam* ante peccatum, ut ejus sequerentur innocentiam isti, nudi ambulabant & ipsi sive viri, sive fœminæ, sicque nudi simul conveniebant, lectiones habebant, orabant, suaque sic nudi suis in Ecclesiis, sive speluncis sacra peragebant, suam Ecclesiam, Paradisum, & seipsos Adam & Hevam esse somniantes, promiscuos interim permittentes & exercentes concubitus. Antiqui quidem *Adamitæ* secundo grassantes sæculo, anno circiter 194. ab *Adamo* quodam illis temporibus orti, & *Adamitæ* dicti. Recentiores verò sæculo 15. anno circiter 1414. sub Sigismundo Imp. & *Joanne XXIII.* Rom. Pont. à *Picardo* quodam è Gallia Belgica viro suborti; qui cùm renovarent antiquam & impuram illam, licèt nudam, antiquorum *Adamitarum* sectam, inde & ipsi recentiores, sive novi *Adamitæ* vocati. Adamitæ.

Sed hi omnes sive antiqui, sive novi, longè citòque cum sua nuditate fugiendi; si enim *Cham* Noe filius maledictus olim à patre, ob non coopertam, sed fratribus nuntiatam dormientis patris nuditatem, ut habetur Gen. cap. 9. vers. 24. ubi dicitur: *Evigilans autem Noe ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Cham, servus servorum erit fratribus suis.* Si maledictus *Cham* à patre, quantò magis digni *Adamitæ* isti, qui Dei Patris æterni maledictionem incurrant, dum turpes & inverecundi seipsos sponte nudant, & nudi cum nudis ambulantes, convenientes, orantes, & sua in nuditate Sacramenta sua non sanctè, sed impurè & inverecundè celebrantes, turpiaque alia dictu horrenda peragentes, nuptias interim in Scriptura laudatas, & Christi præsentia in Cana Galilææ sanctificatas exhorrent?

De Aquariis.

Aquarii. *Aquarii* sic ex S. August. lib. de hæref. cap. 4. ab effectu, hoc est, ab aqua dicti, quòd scilicet in consecratione Calicis sola uterentur aqua sine vino; quorum hæresis creditur orta, teste *S. Cypriano*, Ep. 73. ad *Cæcilium*, à nonnullis primitivæ Ecclesiæ fidelibus, qui solebant bis in die sacrificium offerre, manè scilicet & vespere post cœnam; manè consecrando in sola aqua, & vespere post cœnam in vino. Manè consecrabant in aqua, vitandæ persecutionis gratia, ne scilicet manè celebrantes & sumentes sanguinem Christi sub speciebus vini, dignoscerentur odore vini ab Ethnicis adhuc jejunis; vespere verò post cœnam iterùm celebrantes consecrabant in vino, quia cùm tunc omnes etiam Ethnici essent cibo potuque refecti, nullus erat timendi locus, ne dignoscerentur odore vini.

At contra illos agens S. Cyprianus in hac Epistola laudata, absurdam illorum improbat consuetudinem, consecrandi scilicet manè in aqua, & vespere in vino; & ritè improbat, cùm Christus non aliam instituerit Calicis materiam pro manè, & aliam pro vespere, sed in vino semper consecrandum esse docuerit, dum Calicem à se consecratum discipulis porrigendo dixit, Matth. cap. 26. verf. 29. Luc. cap. 22. verf. 18. & Marc. cap. 14. verf. 25. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

De Novatianis.

Novatiani. *Novatiani* orti sunt non à *Novato* Carthaginensis Ecclesiæ Presbytero; sed à *Novatiano* per *Novatum* (qui Romam venerat) si non corrupto, saltem impulso, maligno & ambitioso aliundè viro, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter, deinde schismaticè per tres alios simplices & ignaros, dolo vinoque seductos Episcopos ordinatus, Romanæ Ecclesiæ Pseudo-Pontifex, contra *Cornelium* legitimum Christi Vicarium, virumque verè sanctum, & imperantibus Gallo & Volusiano, circa annum Christi 255. nedum primum movit & excitavit in Ecclesia Schisma, sed & Schismati hæresim addidit, docens inter alia: *Post Baptismum lapsos veniam consequi non posse, quacumque peracta pœnitentia*, ac proinde consequenter negans in Ecclesia potestatem esse remittendi peccata post Baptismum commissa, hoc est, ut cum *S. Cypriano* loquar, *Novatianus & Novatiani discipuli erant, qui in peccatum prolapsis, & ad Ecclesiam lacrymis, gemitu & dolore cordis pulsantibus, divinæ pietatis & lenitatis paternæ solatia claudebant, nec ad fovenda vulnera admittebant vulneratos, sed sine spe pacis & communicationis, relictos ad luporum rapinam, & Diaboli prædam projiciebant, ignorantes quod per Prophetam clamat Dominus: Vivo ego, quia nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.*

Unde non mirum, si statim hoc *Novatiani*, Novatianorumque dogma ut hæreticum, & prorsus tyrannicum fuerit in Concilio Romano sub *Cornelio* Papa, variisque in Conciliis Provincialibus aliis proscriptum atque damnatum; fueritque tandem in Tridentino œcumenico Concilio, sess. 14. Can. 1. de Pœniten. dictum: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro insti-*

institutum, anathema sit. Non mirum, inquam; cùm peccatores omnes etiam post Baptismum lapsos, ad pœnitentiam & conversionem invitet Dominus, Ezechielis ore dicentis, cap. 18. vers. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas ..... Quia nolo mortem morientis, &c.* Et ne quis credat, Dominum ibi loqui de non baptizatis, seu de infidelibus, audiat *Petrum* Apostolum Actuum c.8. v.22. *Simoni* Mago jam baptizato, & post Baptismum in peccatum lapso dicentem: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua; & roga Deum, si fortè remittatur tibi hac cogitatio cordis tui.* Audiat & Christum tradentem Ecclesiæ potestatem quæcumque peccata post Baptismum commissa remittendi, dum ait Joan. cap. 20. vers. 22. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

De Agrippinianis.

Agrippiniani sic ab *Agrippino* Carthaginensi Præsule dicti, tertio currente sæculo suborti, sub Gallieno Imp. & *Stephano I.* Rom. Pont. circa annum 250. asserebant, S. Cypr. teste, & *S. Cyprianus* cum illis, *rebaptizandos esse ab hæreticis jam baptizatos.* Acris fuit & celebris hac de re inter beatum *Cyprianum* & *Stephanum I.* disputatio. Rebaptizandos esse volebat cum *Agrippino Cyprianus*; nihil innovandum ex eo quod traditum fuerat, ajebat *Stephanus.* Traditum autem fuerat ab Ecclesia Romana, hæreticos cùm ad Ecclesiam redire vellent, sola manus impositione, non retinctione debere purgari; sed tandem plenarii totius Ecclesiæ Concilii, non *Arelatensis*, ut opinantur aliqui, sed ut probabiliùs tenent alii, *Nicæni I.* auctoritate finita quæstio, & Baptismum hæreticorum verbis Euangelicis collatum, ratum & validum esse decisum; imò & hæc confirmata sive renovata decisio à Tridentino Concilio, sess. 7. Can. 4. de Baptismo, sic dicente: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.* Agrippiniani.

De Catharis.

Cathari iisdem ferè temporibus orti ac *Novatiani*, idem esse censentur ac illi, sed alio nomine dicti *Cathari*, id est, Mundi ac Puri, qui ideò sic dici volebant ob munditiam, qua se nitere superbissimè jactabant; docebant enim præter alios Novatianorum errores, Cathari.

1. *Se sine peccato omnes esse*, ac proinde mundos; unde & omittebant illam Orationis Dominicæ petitionem, *Dimitte nobis debita nostra*, arbitrantes se nulla indigere peccatorum venia, contra illud 1. Joan. cap. 1. vers. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

2. *Parvulos pariter sine peccato esse, ac proinde Baptismo non egere* contendebant, contra fidem Catholicam docentem nos omnes in Adamo peccasse, & illud Christi expresè dicentis, Joan. cap. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

De Catharistis.

Catharistæ sunt alii à *Catharis* longè diversi, de secta Manichæorum hæretici, Catharistæ.

retici, sub Aureliano Imp. & *Felice I.* Rom. Pont. orti circa annum 279, tresque in sectas divisi; alii enim, S. August. teste, lib. de hær. cap. 46. nomen sectæ retinentes dicebantur *Manichæi*, alii *Macarii*, alii *Catharistæ*, id est, Mundatores, sive Purificatores, sic dicti ob immundas quas exercebant, dictuque horrendas purificationes; immundas siquidem arbitrantes creaturas omnes ob mali commixtionem principii, ut panem pro Eucharistiæ materia disponerent & mundum facerent, farinæ, ex qua conficiendus erat, semen miscebant humanum, sicque purificatum & mundum arbitrantes panem, ex eo execrandum quoddam, non Christi, sed Satanæ, dictu horrendum, & cogitatu pudendum conficiebant Sacramentum, imò ut veriùs loquar, execramentum.

Sed hæc spurca hæresis sufficienter corruit eo ipso quo debellata est perversa qua nititur Manichæorum doctrina, duo inducens rerum prima principia, bonum unum, & malum alterum, rerum visibilium unum, & invisibilium alterum; quod universa reprobat Ecclesia, in Symbolo Nicæno publicè profitens, *Unum esse Deum, Creatorem visibilium & invisibilium*: Ac proinde tenens nullas esse creaturas ex se malas, cùm sint omnes à Deo, de quo dicitur Gen. cap. 1. vers. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*; & expressè dicat Paulus, prima ad Timoth. cap. 4. vers. 4. *Quia omnis creatura Dei bona est*.

De Aerianis.

Aeriani, *Aeriani* ab *Aerio* viro quodam *Eustathii* Sebastæ in Armenia Præsulis condiscipulo & æquali; qui teste S. August. lib. de hæres. cap. 53. *Cùm esset Presbyter, doluisse fertur quòd Episcopus non esset ordinatus*. Et ægrè ferens admodùm, quòd interim ad Episcopatum Sebastæ pervenisset *Eustathius*, in Arianam transiit hæresim, quarto ineunte sæculo, sub Constantino Imp. & *Julio I.* Rom. Pont. hæresique Arianæ de suo addens insana plura, docere cœpit, quod & post illum dixere postea *Vvaldenses, Petrobusiani, Lutherani, & Calvinistæ*, & his adhærentes alii, scilicet,

1. *Orare*, vel *sacrificium pro defunctis offerre inutile esse*, contra Ecclesiæ fidem & Scripturam variis in locis apertè reclamantem, ut v.g. aliis omissis, dum 2. Machab. cap. 12. vers. 43. refert celebre Judæ Machabæi factum, *Qui misit duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans*. Quod factum ibidem eadem laudat & approbat, dicens: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur*. Et iterùm dum illud Christi apud Matth. cap. 12. vers. 32. dicentis: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Quo loco ostendit Christus, aliqua post mortem in futuro sæculo remitti peccata: atqui non remittuntur damnatis in inferno, cùm in inferno nulla sit redemptio, neque Beatis in Cœlo, quò nihil coinquinatum accedit; ergo remittuntur his, qui sunt in alio medio loco, quem Purgatorium dicimus: in quo post mortem detinentur animæ in gratia quidem sanctificante, sed levibus quibusdam peccatis maculatæ, à quibus purgari & mundari debent, antequam in cœlum Deum visuræ perveniant.

2. *Episcopis æquales esse Presbyteros* docebat *Aerius*, & post illum Vviclefus; quod manifestè refellitur ex illo Pauli prima ad *Timotheum* Ephesi Episco-

Episcopum cap. 5. vers. 19. dicentis: *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Agnoscit ergo & ostendit manifestè Paulus, *Timotheum* Ephesi Episcopum esse Presbytero majorem, & jurisdictione superiorem: ad quid enim, ut notat S. Epiph. *Timotheo* commendasset Paulus, adversùs Presbyterum accusationem non recipere sine duobus aut tribus testibus, si Presbyterum jurisdictione non superaret Episcopus? Illud idem ostendit Apostolus; dum *Tito* Cretæ Episcopo dicit cap. 1. vers. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas Presbyteros, &c.* Quod non dixisset sanè *Paulus*, si *Titum* ut Episcopum non judicasset esse jure divino Presbyteris & jurisdictione & ordinis potestate majorem; cùm certum sit, nullum esse simplicem Presbyterum, qui Presbyteros sive Sacerdotes constituendi, seu consecrandi potestatem habeat.

Unde meritò Concilium Tridentinum, sess. 23. Can. 7. sic definit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem .... anathema sit.*

Dicet *Aerius*. Paulus Apost. ad Philippenses, cap. 1. vers. 1. scribens ait: *Omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Ibi Paulus per *Episcopos* intelligit *Presbyteros*; siquidem in una civitate Philippensi non erant plures Episcopi, sed unus tantùm, quem non nominat, & qui hujus Epistolæ lator erat, videlicet *Epaphroditus*, ut ait Theod. Ergo Presbyteros & Episcopos æquales esse, & non differre monstrat. Similiter dum Actuum cap. 20. vers. 28. ad majores natu Ecclesiæ Ephesinæ, ait: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ibi, inquam, per *Episcopos* intelligit pariter Presbyteros; non enim Ephesi erant plures Episcopi propriè dicti, sed unus tantùm; ergo Presbyteros ab Episcopis non differre docet.

Resp. perm. ant. neg. conseq. Ratio est, quia tempore Apostolorum, hæc duo nomina, *Episcopus* & *Presbyter*, erant omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quàm minoribus communia, & promiscuè utrisque tributa, majoribus scilicet, quos vocamus Episcopos propriè dictos, & minoribus quos Presbyteros dicimus, licèt res nomine Episcopi significata, non esset simplici Sacerdoti & Episcopo communis; unde fit quòd Paulus nomen Episcopi modò majoribus, modò minoribus Sacerdotibus tribuat, licèt Episcopos jurisdictione & ordinis potestate majores agnoscat. Ideò autem communia tunc erant illa nomina majoribus & minoribus Sacerdotibus;

1. Quia sunt æquales in potestate consecrandi corpus Christi, & absolvendi à peccatis, licèt impares in potestate ordinandi, seu consecrandi Ecclesiæ Ministros, & Confirmationis Sacramentum administrandi.

2. Quia tunc ante schismata, non tam auctoritate & jurisdictione distincta ac divisa, quàm communi & cum Episcopo concordi Presbyterorum consilio, labore & zelo regebantur Ecclesiæ: unde Presbyteri dicebantur Episcopi, id est, Inspectores & morum populi correctores; non quòd Episcopi propriè dicti potestatem & jurisdictionem haberent; sed quòd cum Episcopo, & de illius consensu regerent Ecclesiam sua vigilantia, consilio & labore. Imò & in Conciliis cum Episcopis sederent, sententiam suam rogati dicerent, ut constat ex illo Act. cap. 15. vers. 6. *Convenerunt Apostoli & Seniores*, id est, Presbyteri, *videre de verbo hoc.*

Sed paulò pòst, ipso etiam tempore Apostolorum, cùm cresceret Ecclesia

& fidelium numerus, & abuterentur Presbyteri illa Episcoporum conniventia, facerentque schismata & seditiones; ita ut diceret unus 1. ad Cor. cap. 1. vers. 12. *Ego sum Cephæ*, alter, *ego Pauli*, & alius, *ego Apollo*, ipsisque Episcopis æquari vellent, ac consequenter ad ritè regendam Ecclesiam opus fuerit debito ordine, & debita sub uno Episcopo Ministrorum subordinatione, tunc Episcopi suam auctoritatem, & præeminentiam tueri cœpere, & cæteros tam Presbyteros, quàm populos imperio regere, seque jure divino Presbyteris majores esse monstrare: eosque reipsa majores esse innuit *S. Ignatius* Martyr, dum ad Trallianos & Smyrnenses scribens, ait: *Presbyteri, subjecti estote Episcopis.*

De Donatistis.

Donatistæ. *Donatistæ* schismate celebres, & hæresi famosi Africanæ Ecclesiæ viri, sub Constantino Imp. & *Melchiade* Rom. Pont. suborti, circa annum 313. nomenque sortiti, non à *Donato* Carthaginensi, ut multi putant, sed à *Donato* alio in Numidia à *Casis nigris* Episcopo, teste S. August. lib. de hæres. cap. 69. ubi manifestè declarat 1. ipsum primum Donatistarum auctorem esse Numidiæ *Donatum* à *Casis nigris* Episcopum; alterum verò secundarium sectæ ducem ac defensorem fuisse *Donatum*, Majorini successorem, Carthaginensem Episcopum. 2. Ibi illum utrumque *Donatum* & *Donatistas* in hoc turpiter errasse. 1. Quòd *in Ecclesia solos bonos, & non malos esse crederent*. 2. Quòd *Sacramenta à malis & impuris collata Ministris nulla esse putarent, ac proinde rebaptizarent* etiam Catholicos ad suam sectam venientes; putabant enim, ob prætensa *Cæciliani* crimina, totam ubique corruptam defecisse ac periisse Ecclesiam, & puram in sola remansisse Africæ *Donati* parte, sicque in ea sola verum esse baptisma; alibi verò nullum, nullosque nisi impuros & spurios meretricis Ecclesiæ Ministros; sic enim Catholicam vocabant Ecclesiam.

Sed perperàm & falsò dicebant illi solos bonos in Ecclesia esse, cùm multis in locis bonos & malos in Ecclesia esse Scriptura designet, ut v. g. aliis omissis, Matthæi cap. 13. vers. 47. ubi Christus comparat regnum cœlorum, sive Ecclesiam *Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*. Ex quo loco probat S. August. contra Donatistas, in Ecclesia non tantùm esse bonos & prædestinatos, sed etiam malos & reprobos. Illud idem innuit Paulus secunda ad Timoth. cap. 2. vers. 20. dum ait: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*. Quo in loco Paulus per magnam illam domum; in qua sunt vasa aurea & argentea, lignea & fictilia, intelligit Ecclesiam, in qua sunt boni & mali; quem locum urgens S. August. lib. 4. de Bapt. contra Donatistas, cap. 12. citans Cyprianum, ait: *Sic igitur arguens Cyprianus eos, qui tanquam malorum consortium devitantes, se ab unitate diruperant, ostendit magnam domum quam dixit Apostolus, ubi essent non solùm vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia, non se intellexisse nisi Ecclesiam, ubi essent boni & mali, donec in fine area ventilata purgetur.* Perperam ergo & contra Scripturam, solùm bonos, & non malos in Ecclesia esse Donatistæ credebant.

Nec minùs errabant, dum rebaptizabant quos ab impuris Ministris bapti-za-

ptizatos esse putabant, ut varia probant suprà relata Ecclesiæ Concilia, in causa Donatistarum, vel in causa rebaptizantium habita; idque multipliciter ostendit S. August. sed præsertim lib. 6. de Bapt. contra Donat. cap. 35. dum ait: *Scripturas divinas nusquam præcepisse, ut hæretici apud hæreticos baptizati denuò baptizentur; sed multis locis ostendisse, alienos esse ab Ecclesia omnes, qui non sunt in petra, nec ad columbæ illius membra pertinent, & tamen baptizare & baptizari, & habere sine salute Sacramentum salutis*. Si ergo ex S. August. *baptizare & baptizari* possunt hæretici, qui de foris sunt & mali; quantò magis & Catholici Ministri, qui intùs sunt & in Ecclesia, baptizare possunt, & alia validè conferre Sacramenta, quantumvis mali & peccato maculati? cùm ad Sacramenti valorem non requiratur Ministri sanctitas, ut expresè docet Conc. Trid. sess. 7. Can. 12. dicens: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conferre aut conficere Sacramentum; anathema sit.*

De Albanensibus.

Albanenses viri alios inter hæreticos sceleratissimi, sub Cònstantino III. Imp. & *Leone III.* Rom. Pont. anno circiter 796. varia inter impia alia, de quibus dictum alibi, 1. duo rerum principia cum Gnosticis, Manichæis, Carpocratianis, Cerdonianis, Marcionistis, &c. admittebant, bonum unum, à quo bona, & malum alterum, à quo mala prodirent omnia. 2. Vetus Testamentum respuebant, quia à malo principio esse putabant; novum econtrà admittebant, quia à bono principio esse cognoscebant. 3. Metempsychosim, seu animarum transmigrationem de corpore in corpora cum Pythagora tenebant. 4. Christum nec carnem de Virgine sumpsisse, nec verum hominem fuisse, nec in cruce passum, nec resurrexisse blasphemabant. 5. Nullam futuram carnis resurrectionem, nullumque futurum esse judicium fingebant. 6. Infernum & Purgatorium nihil esse tenebant, Sacramenta Altaris & Extremæ-Unctionis rejiciebant, & nullam virtutem Baptismo tribuebant, matrimoniumque malum esse prædicabant, parvulos Baptismo egere negabant. Præter hæc & alia fidei nostræ adversantia, & alibi satis eversa & impugnata, Ecclesiæ potestatem à Christo traditam impugnabant, contra illud Christi, apud Matth. cap. 18. vers. 18. expresè dicentis primis nascentis Ecclesiæ Prælatis, videlicet Apostolis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Et iterùm Joan. cap. 20. vers. 21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: & cùm hoc dixisset, insufflavit; & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Albanenses.

De Petrobusianis.

Petrobusiani dicuntur hæretici illi, qui duodeno currente sæculo sequebantur errores cujusdam *Petri Bruisii* hæretici viri, natione Galli, è Provincia Occitaniæ, vel è Delphinatus montibus orti; qui per 20. circiter annos in his Galliæ partibus degens, malè vivens, loquens & scribens, sub *Henrico V.* Imp. & *Callisto II.* Rom. Pont. varias disseminabat Petrobusiani.

hære-

hæreses; dicens inter alia contra universalis Ecclesiæ fidem, 1. *Missæ sacrificium nihil esse*. 2. *Fidelium preces nihil defunctis prodesse*; & 3. *Baptismum sine fide nihil prodesse parvulis*. Contra quem tam impiè loquentem strenuè pugnavit *Petrus Venerabilis*, & qui tandem post varia scelera, peculiari justitiæ decreto, incendio vivus perire jussus est in oppido *S. Ægidii*, anno circiter 1126. cujus posteà revixere in Henricianis hæreses.

De Henricianis.

Henriciani. *Henriciani Petrobusianorum* errores & vestigia secuti, dicuntur nonnulli ejusdem Provinciæ hæretici, orti ab *Henrico* quodam Tolosano Monacho; qui sub *Honorio II.* Rom. Pont. & Lothario II. Imp. anno circiter 1128. spreto Monachatu, & relicto Religionis habitu, ad spurcitias carnis & sæculi, tanquam canis ad vomitum reversus est, & præ confusione inter cognatos & notos habitare non sustinens, vel potiùs non permissus, subcinxit lumbos suos, & iter, quà nesciebat, arripuit, factus gyrovagus & profugus super terram, & ut viveret mendicus, enangelizans interim, & euangelizando docens cum Petrobusianis, 1. *Missæ sacrificium nihil esse*. 2. *Pro defunctis orare nihil prodesse*. 3. *Baptisma sine fide esse parvulis inutile*.

Sed hæc omnia in Trident. Conc. sub anathemate damnata; primum quidem sess. 22. Can. 1. de sacrificio Missæ; secundum verò ibid. Can. 3. & tertium, quod capitale erat *Petrobusianæ* & *Henricianæ* sectæ dogma, sess. 7. Can. 13. sic definiente: *Si quis dixerit, parvulos eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare eorum omitti Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*.

De Vualdensibus.

Vualdenses. *Vualdenses*, sive *pauperes de Lugduno*, dicuntur hæretici duodeno grassantes Ecclesiæ sæculo, à *Petro Vualdo* Lugdunensi mercatore suborti, & cum illo paupertatem Lugduni sponte professi anno 1160. unde *Vualdenses* ab auctore, & *Pauperes de Lugduno* ab incœpta Lugduni professione vocati. Is enim *Vualdus* natione Delphinas, è vico *Vualdo* ad Rhodanum ortus, factus Lugduni mercator opulentus, videns è concivibus unum subita morte raptum, ita perterritus fuisse dicitur à *Rainerio* Ord. FF. PP. viro, in Biblioth. PP. tom. 25. ut statim propria reliquerit, & pauperibus erogaverit omnia; sicque pauperes sectarios sibi traxerit innumeros, quos sub Friderico I. Imp. & *Alex. III.* Rom. Pont. docere cœpit voluntariam sectari paupertatem, Christi & Apostolorum exemplo, eis interim licèt Laicus illiteratus & ignarus novi Testamenti textum vulgariter explicans & prædicans, errores disseminando varios. Reprehensus & tacere jussus à *Clero*, non tacuit, sed Clerum quia moribus corruptum, sibi suorumque vitæ sanctæ invidere dixit: excommunicatus à Papa, in Delphinatus Sabaudiæque montes confugit cum suis, quorum insigniores dicebantur *Insabbatati*, quia in Sotularibus (quos vulgari lingua *Sabbates* dicebant) peculiari signo distincti; ibi in his Galliæ Sabaudiæque confiniis diu grassati sunt, & inde vicinas in Provincias, Occita-

Occitaniam, Vasconiam & Albigegium diffusi, ibique *Albigenses* ab *Albia* dicti, & ubique in Ecclesiam & Sacramenta, tot errores & falsa locuti, ut hic tædio plenum foret, & prolixum nimis notare singulos; juvat solùm ipsis proprios designare præcipuos aliquos, è quibus deducebant innumeros alios. Docebant enim

1. *Ecclesiæ Christi Ministros propria possidentes, peccare omnes* contra præceptum Christi dicentis, Matth. cap. 10. vers. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via:* & inde inferebant 1. Romanam defecisse Ecclesiam à tempore *Silvestri* Papæ, quo possessiones habere cœpit. 2. Nullum in ea quantumvis probum salvari posse. 3. Spernendas esse ejus Indulgentias, benedictiones, consecrationes, cæremonias, & alia ab Ecclesiæ Ministris fieri consueta, nec obediendum esse Ecclesiæ Prælatis, &c.

Sed in his omnibus turpiter errabant hæretici illi; illud enim præceptum de non portandis pecuniis, Apostolis à Christo traditum, non erat perpetuum, sed temporale, hoc est, pro tempore dumtaxat quo primò missi sunt bini per Judæam Apostoli, ut docet *S. Chrysost.* Homil. 9. in Epist. ad Philipp. & post illum *S. Anselmus*, *S. Thomas* & alii, & patet ex illo Christi Luc. 22. vers. 35. dicentis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*: ubi, inquit Corn. à Lap. ly *misi* significat jam elapsum esse hoc præceptum, ante manifestæ persecutionis tempus traditum, & ly *nunc* significat diversum nunc eis fieri præceptum, & concedi jam quod anteà prohibitum, nimirum ut tollant sacculum & peram, hoc est, marsupium, sive crumenam pecunia non vacuam, & peram cibo plenam.

2. Dicebant *omnem potestatem sive Ecclesiasticam, sive Laicam, solo mortali peccato deperdi*; unde sacerdotem, per peccatum mortale, sacerdotem esse desinere, sic nec consecrare, nec absolvere, nec baptizare, aut alia similia præstare posse; & quemlibet econtrà justum, licèt Laicum, hæc omnia posse tenebant; quod & post istos docuerunt Vvicleffitæ, in Concilio Constantiensi cum suo duce Vvicleffo damnati.

Sed contra illos & alios quoscumque, hac in re sic turpiter errantes audiendus est *S. Bernardus* Serm. 67. in Cantic. Canticorum num. 11. sic loquens: *Jam verò qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si Ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc, nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis, numquam duo ista conveniunt, Episcopum esse & peccatorem, falsum est. Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dicebat sententiam? si negas Episcopum, arguet te testimonium Joannis, qui eum in testimonium sui Pontificatus etiam prophetasse refert. Apostolus erat Judas, & licèt avarus & sceleratus, electus tamen à Domino: an tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne ego, inquit, vos duodecim elegi? & unus ex vobis diabolus est. Audis eumdem electum Apostolum, & extitisse diabolum, & negas posse esse Episcopum, qui peccator est: super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, & qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem & dicentem: Quæ dicunt facite. Patet ergo quòd quamvis Scribæ, quamvis Pharisæi, quamvis videlicet maximi peccatores, propter* Cathe-

Cathedram Moysi, ad eos quoque nihilominus pertinet. Quod item dixit, Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Ex quo S. Bernardi textu vides quàm manifestè constet, potestatem consecrandi, vel absolvendi, aliaque Sacramenta ministrandi, quæ est in ritè ordinatis Ecclesiæ Ministris, nullatenus mortali peccato deperdi; & licèt id non liquidò constaret ex S. Bernardo, hoc satis & manifestè constaret aliundè: nam sicut bonitas Ministri non confert potestatem hæc omnia præstandi, ita nec illam malitia tollit & aufert: Non enim ideò quis est Sacerdos, quia bonus & justus; sed quia ritè per Episcopum ordinatus, & de iis, quibus in persona Apostolorum dictum à Christo in nocte Cœnæ, Luc. cap. 22. vers. 19. *Hoc facite*; & post resurrectionem, Joan. cap. 20. vers. 22. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis, &c.* Et si quis simplex Laicus se talem dicat, ut *Vvaldus*, ille mendax est, seductor & lupus, à Diabolo, non à Christo missus.

3. *Nullam orationem aliam, præter Dominicam, Pater noster, &c. admittendam esse docebant*; unde horas canonicas, & cæteras Ecclesiæ preces rejiciebant ut inanes; & Eucharistiæ Sacramentum sine solita Ecclesiæ forma confici posse tenebant, dicendo septies *Pater noster, &c.*

In quo non minùs errabant, cùm præter Orationem Dominicam licèt omnium optimam nobis à Christo traditam, sint & innumeræ aliæ nedum in veteri, sed etiam in novo Testamento probatæ, quibus uti licitum & sanctum, qualis est, v. g. illa Leprosi dicentis Matth. cap. 8. vers. 2. *Domine, si vis, potes me mundare*; qualis illa Centurionis ibid. vers. 8. dicentis: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*; qualis illa Chananææ, Matth. cap. 15. vers. 22. clamantis: *Miserere mei Domine, fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur*; qualis illa Apostolorum, Matth. cap. 8. vers. 25. in navicula clamantium: *Domine, salva nos, perimus.* Sed aliis omissis, qualis illa, qua Christus ipse, Matth. cap. 26. vers. 39. sic orat: *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste*; qualis denique ista ejusdem Jesu ad Patrem clamantis, Luc. cap. 23. vers. 46. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum, &c.*

De Albigensibus.

Albigenses. *Albigenses* famosi sunt à *Vvaldensibus* pullulantes hæretici, ab *Albia* Albigensium civitate Metropoli, Tolosæque vicina dicti; in qua primùm grassari cœpere, 12. cadente sæculo, sub Friderico II. Imp. & *Innocentio III.* Rom. Pont. quorum secta in Comitatu Tolosano ita excrescere cœpit, & hæresis lolium ita in tota Occitania pullulare, ut brevi temporis intervallo integram infecisset Galliam, & è Gallia totam corrupisset Europam, nisi armata manu, & pia Cruciatorum expeditione fuisset eversa, Duce *Comite à Monte-forti*, qui sævientium illorum hæreticorum suis impietatibus & incursionibus bellicis Ecclesiam conturbantium centum millia, sub Duce *Petro II.* Aragoniæ Rege potentissimo militantia, cum octo millibus Catholicis vicit & evertit; qua in expeditione sancta pro extirpanda hæresi non parùm adjuvit Euangelico prædicationis gladio sanctus Dominicus. Errabant autem impii illi, nedum *Vvaldensium* hæreses sectando varias, & miseram renovando *Manichæorum* sectam, sed in hoc præsertim

1. *Quòd duo admitterent rerum principia, cum Manichæis, Gnosticis & aliis.*

2. *Quòd*

2. *Quòd carnis resurrectionem negarent cum Sadducæis.*
3. *Quòd animarum de corpore in corpora transmigrationem tenerent cum Pythagora.*
4. *Quòd nec Infernum, nec Purgatorium pro defunctis admitterent.*
5. *Quòd Baptismum inutilem esse prædicarent.*
6. *Quòd Sacramentum Eucharistiæ spernerent, & Christi corpus non aliter in pane, quàm in rebus aliis esse blasphemarent.*

Sed hæc impia omnia, licèt alibi satis eversa & impugnata, variis in Conciliis, & præsertim in œcumenico Lateranensi quarto, sub *Innocentio III.* Catholica damnavit Ecclesia.

De Flagellantibus.

Flagellantes, hoc est, incerti auctoris hæretici nonnulli in Italia primùm orti, qui flagellationem æquiparantes Martyrio, passim oberrantes sub specie religionis seipsos virgis ac nodosis flagellis ad ostentationem concidebant; quique alios inter errores circa annum Domini 1273. per Galliam Germaniamque vagantes, in proprio sanguine de proprio corpore vi flagellorum expresso baptizandum esse dicebant, sub Rodulpho Imp. & *Gregorio X.* Pontifice, asserentes idiotæ illi ac imperiti viri, ab adventu suæ Sectæ, *Christi Euangelium cessasse, & Baptismum aquæ in Baptismum sanguinis esse mutatum*; hancque mutationem asserentes fuisse designatam à Christo, in nuptiis Chananæis aquam in vinum mutante. Flagellantes.

Contra quam hæresim, sive dementiam, apertè pugnant varii Scripturæ textus, Christi Euangelium ad finem usque sæculi duraturum attestantes, ac proinde Baptismum aquæ, de quo in Euangelio Joannis cap. 3. vers. 5. expressè dictum est à Christo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

De Vvicleffitis.

Vvicleffitæ à Joanne *Vvicleffo* dicti, viro natione Anglo, professione Presbytero, in Lincolinensi Diœcesi Parocho, & acris ingenii Theologo; qui sub Carolo IV. Imp. & *Clemente VI.* Rom. Pont. tot venenatos scripsit Libros, totque plena impietatis effutiit dogmata, ut 45. ejus perversæ doctrinæ articuli fuerint in Constantiensi Concilio damnati, sess. 8. anno 1414. Imò & habito priùs diligenti & accurato examine super ejus impœnitentia finali ac pervicacia, ipse *Vvicleffus*, hæreticus est declaratus, ejusque dudum vita functi & sepulti ossa effodi, exhumari & extra Ecclesiam projici jussa. Docebat autem impius ille hos inter damnatos articulos, Vvicleffitæ.

1. *Substantiam panis & vini remanere post consecrationem in Eucharistia.*
2. *Accidentia panis & vini ibi consequenter non esse sine subjecto.*
3. *Christum hoc in Sacramento non esse realiter, & in propria corporali præsentia.*
4. *Episcopum, vel Sacerdotem in peccato mortali existentem, non ordinare, nec consecrare, nec baptizare.*
5. *Omnia absoluta necessitate evenire contendebat.*
6. *Contra Christi præceptum esse dicebat, Ecclesiæ Ministros temporalia possidere bona.*
7. *Inde concludebat, Clerum ditare, esse contra Christi præceptum agere.*

8. S. Sil-

8. *S. Silvestrum Papam, & Constantinum errasse, Ecclesiam dotando.*
9. *Imò Papam & cæteros Ecclesiæ Ministros temporalia possidentes, hæreticos esse, utpote quia contra jus divinum possessiones habentes.*

Quæ, & alia similis impietatis inferebat ex falso principio jam in *Valdensibus* everso; unde meritò cum suis, & aliis impietatibus & blasphemiis damnatus ab Ecclesia vir ille Vvicleffus scelestus & impius.

De Hussitis.

Hussitæ. *Hussitæ* famosi sunt, è Bohemia, hæretici, à duce suo *Joanne Hus*, natione Bohemo, docto, sed orto de fæce populi viro *Hussitæ* vocati. Is enim Hæresiarcha scelestus & impius, licèt aliunde apud Bohemos ingenio & eruditione clarus, ac Pragensis Academiæ Rector præpositus, cum sibi adjuncto *Hieronymo Pragensi*, insigni Bohemorum Doctore altero, *Valdensium* & *Vvicleffitarum* Pragæ renovare cœpit hæreses, & eas ita ventilare sub *Vvenceslao* Bohemorum Rege, & *Gregorio XII.* Rom. Pont. anno circiter 1407. ut brevi sibi permultos devicerit sectarios, hæresibusque suis totam ferè corruperit Bohemiam. Citatus fuit perditus ille cum suo socio *Hieronymo Pragensi* à Concilio Constantiensi, rogatique sunt à Concilio illi duo passionum & hæresum socii, ne plus saperent quàm Ecclesia, sed saperent ad sobrietatem, & peregrinas opiniones relinquerent; sed hi pertinaces in proposito, dicentes se Euangelii & Christi Discipulos esse, Ecclesiam verò Romanam, aliasque per orbem dispersas longè à Traditionibus Apostolicis abiisse, communi Concilii Patrum decreto sunt damnati, & igne cremari jussi anno 1415.

Istorum autem hæresis capitalis erat, quòd præterquàm quòd ferè omnes *Valdensium* & *Vvicleffitarum* ventilarent hæreses, & 45. articulos Vvicleffi iniquè & injustè damnatos assererent, *Omnibus etiam Laicis sub utraque specie communicandum esse tenerent.* Tantusque illorum ardor erat pro illa nedum sub specie panis, sed etiam sub specie vini Communione, seu ut ipsi loquebantur, pro Calice, ut suis in templis, domibus, vexillis & aliis Calices pingerent; unde & *Calicularii* vocati, ortaque occasio Poëtarum uni dicendi:

Tot pingit Calices Bohemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi numina sola coli.

Communionem illam sub utraque specie ideò postulabant illi, quia illam credebant à Christo præceptam. Sed malè, quia si alicubi esset à Christo præcepta, maximè Joan. cap. 6. vers. 54. ut volunt *Hussitæ*, dum dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vel Luc. c. 22. v. 19. ut volunt *Lutherani*, dum dixit: *Hoc facite*; vel denique Matth. cap. 26. vers. 27. ut tenent *Calvinistæ*, dum dixit: *Bibite ex eo omnes.* Atqui non in hoc priori Joan. textu ab *Hussitis* allegato. Hoc enim negant *Lutherani*, & patet, quia licèt ibi sit præceptum de Christi corpore & sanguine sumendis, non tamen de modo sumendi, sub una videlicet, vel sub utraque specie; nulla siquidem ibi fit mentio speciei panis, vel vini, sed tantum carnis & sanguinis. Carnem autem & sanguinem Christi sumit, qui alterutram speciem sumit. Non etiam dici potest præcepta hæc communio sub utraque specie pro

Laicis,

Laicis, in Luc. textu à *Lutheranis* allato, *Hoc facite*; reclamat enim *Calvinus*, & fatetur nobiscum hoc solis dictum Sacerdotibus: non denique in tertio Matth. textu à Calvinistis citato, *Bibite ex eo omnes*; quia hoc ad solos Apostolos pariter dictum, declarat Marcus, dicens cap. 14. vers. 23. *Et biberunt ex eo omnes*; ergo nullibi præcepta: & hoc expressiùs declarat Trid. Synodus sess. 21. Can. 1. de Com. sub utraque specie, dicens: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel ex necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.*

De Lutheranis.

Lutherani sunt Martini *Lutheri* Sectarii. Erat autem *Lutherus* vir patria Islebiensis, natione Saxo, & professione per 10. annos Eremitarum S. Augustini Monachus, sed qui vitæ religiosæ nauseans regulam, exuto & ad urticas pulso Ordinis cucullo, ann. 1517. lapsus in apostasiam, & ex apostasia in hæresim, ex hæresi in magnum & sceleribus famosum evasit Hæresiarcham & Pseudo-Euangelistam, hæresum euangelizatione celebrem; qui Christi Euangelium depravans, corrumpens & adulterans, sicque corruptum & adulteratum, ut purum & novum Euangelium ventilans, tot sibi Sectarios adscivit, quos ideò *Euangelicos* dici voluit; & *Euangelici* illi tot in Sectas posteà divisi, ut tres in classes soleant hodie distingui. Lutherani.

1. est *Lutheranorum*, hoc est, eorum qui pura *Lutheri* sectantur dogmata.

2. est *Semilutheranorum*, hoc est, eorum qui *Lutheri* placitis alia de suo miscent plura.

3. est *Antilutheranorum*, hoc est, eorum qui, occasione *Lutheri* deficientes, dogmata sectantur *Luthero* contraria.

1. dicitur ab aliis *Anabaptistarum*, seu eorum Euangelicorum qui Baptismum parvulis nihil prodesse tenent, eosque ideò rebaptizant, dum ad adultam ætatem pervenere.

2. est *Sacramentariorum*, seu eorum, qui *Berengarii* Sacramentariorum patris renovantes errorem, docent Christi Corpus in Eucharistia non esse; quod cùm sit contra Lutherum, ideò ad Antilutheranos pertinent isti, quorum primus creditur *Carolstadius* Archidiaconus Vvitembergensis.

3. est *Confessionistarum*, seu eorum, qui Lutheranissimi videri volentes, Confessionem Augustanam sectari se jactant & protestantur, unde *Protestantes* dicti & *Confessionistæ*; isti distingui solent in *rigidos*, *molles*, & *extravagantes*. *Rigidi* dicuntur hi, qui puris adhærent Lutheri placitis; *Molles* verò qui Vvitembergensi adhærent Confessioni; *Extravagantes*, qui Confessioni subscripsere Augustanæ, ut Principibus placerent, seque Lutheranos dicunt, licèt sectentur dogmata Luthero contraria. Impia autem inter Lutheri dogmata, sunt ista: docet enim

1. *Liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum extinctum, & esse rem de mero titulo.*
2. *Nullum esse hominis meritum ad gloriam, sive salutem.*
3. *Hominem sola fide sine operibus justificari.*
4. *Sacramenta novæ legis nec gratiam conferre, nec characterem imprimere.*
5. *Confessionem auricularem inventum esse humanum.*
6. *In Eucharistia Sacramento post consecrationem remanere panem.*
7. *Corpus Christi hoc in Sacramento non semper esse, sed in solo usu.*

8. *Ab*

8. *Ab omnibus etiam Laicis sub utraque specie sumendum esse.*
9. *Missam nec à Christo institutam, nec sacrificium esse.*
10. *Sacerdotes ad Cœlibatum non teneri, verbo & exemplo confirmat.*
11. *Indulgentias reprobat, & pias fidelium fraudes vocat.*
12. *Contritionem ex metu gehennæ conceptam, peccatum esse.*
13. *Sanctos nec colendos, nec invocandos esse.*
14. *In Ecclesia solos esse bonos, non malos asserit.*
15. *Purgatorium ex Scriptura non posse probari tenet.*
16. *Deum hominibus impossibilia præcepisse contendit.*

Hæc, & plura alia sunt impii Lutheri Pseudo-Euangelistæ placita, quæ singula singulis anathematismis in Trident. Conc. Catholica dudum & sapienter anathematizavit Ecclesia.

De Calvinistis.

Calvinistæ. *Calvinistæ* sic à Joanne *Calvino*, Gerardi Chauvini viri Catholici filio, natione Picardo, & patria Noviodunensi viro; qui Parisiis olim in Marchiano Collegio partim, & partim in Montis Acuti Gymnasio, peracto suorum studiorum decursu, in patriam reversus, inter dissolutos suæ patriæ viros dissolutissimus eminuit, & exulavit, profugusque inter hæreticos suæ ætatis, post *Lutherum*, celeberrimus evasit, anno circiter 1547. sub *Paulo III.* Rom. Pont. & Carolo V. Imp. docens & prædicans inter alia impia plura, quibus nedum Sabaudiæ, sed & totius Galliæ Provincias infecit omnes.

1. *Christum licèt absentem in Cœna, vi tamen & efficacia præsentem esse.*
2. *Hominem sola fide sine operibus justificari.*
3. *Hominem justificari per solam justitiam Christi imputatam.*
4. *Nullum esse opus hominis vitæ æternæ meritorium.*
5. *Mandata Dei hominibus impossibilia esse.*
6. *Nullum esse mortale peccatum, præter incredulitatem.*
7. *Nullumque esse discrimen inter mortale & veniale peccatum.*
8. *Missam nec à Christo institutam, nec sacrificium, nec bonum opus esse.*
9. *Baptismum Joannis ejusdem esse virtutis cum Baptismo Christi.*
10. *Baptismum ad salutem non requiri, fideliumque pueros posse sine eo salvari.*
11. *Peccata post Baptismum, sola Baptismi suscepti recordatione deleri.*
12. *Nec Confirmationem, nec Extremam-Unctionem Sacramenta esse.*
13. *Clericos nec ad Cœlibatum, nec ad continentiam teneri.*
14. *Vota inutilia omnia, & nihil prodesse.*
15. *Omnes generali præcepto ad nuptias teneri.*
16. *Liberum arbitrium divinæ gratiæ motione tolli, gratiamque semper ex se efficacem esse.*

Sed hæc omnia, & alia impia *Calvini*, sicut & *Lutheri* figmenta in eodem Trident. Conc. singulatim & expressè fuere distinctis Canonibus anathematizata, videlicet 33. Canonibus de Justificatione, 13. de Sacramentis in genere, 14. de Baptismo, 3. de Confirmatione, 11. de Eucharistia, 15. de Pœnitentia, 4. de Extrema-Unctione, 4. de Communione sub utraque specie, 9. de Sacrificio Missæ, 8. de Ordine, & 12. de Matrimonio. Et meritò sanè anathematizata hæc omnia nova *Lutheri*, *Calvini* & aliorum quorumcumque sequacium Novatorum dogmata: nam tempore

quo

quo ortus est Lutherus, quo ortus Calvinus, quo post illos quilibet novator, reformator vel Pseudo-Euangelista ortus est alius; vel jam perierat, sive defecerat Ecclesia, vel non. Si perierat jam Ecclesia, ergo tunc nulla erat Ecclesia, ergo extra Ecclesiam natus est Lutherus, extra Ecclesiam natus pariter Calvinus, & quilibet post illos novator sive reformator alius; sicque nullus ex iis erat verum Ecclesiæ membrum, nec fidelis, sed infidelis, sed hæreticus, vel paganus, non audiendus, sed vitandus, & velis remisque fugiendus. Si verò non perierat vera Ecclesia, nec vera consequenter perierat fides; ergo in ea natus, baptizatus, educatus & instructus est Lutherus; natus in ea pariter Calvinus: ergo hanc Ecclesiam deserens Lutherus, hanc Ecclesiam deserens Calvinus, à vera Ecclesia, & consequenter à vera fide uterque recessit & apostatavit, dum per nova dogmata, novam aliam, quam reformatam vocat, instituit; ac proinde non vera, sed schismatica, sed falsa, sed apostatica illius utriusque prætensa reformata Ecclesia; ergo illius hujusmodi Ecclesiæ fides non est Ecclesiæ Catholicæ & veræ, sed falsæ, sed apostaticæ, sed malignantium Ecclesiæ fides, hoc est, non vera, sed falsa, sed nulla fides, cùm vera fides sit una, sicut & Ecclesia una, juxta illud *Pauli* Apostoli ad Ephesios cap. 4. vers. 5. dicentis: *Unus Dominus, una fides, unum Baptismum.*

De Anabaptistis.

Anabaptistæ, sic àb iterato Christi Baptismate dicti, quorum Sectæ anno 1522. circiter ortæ, primus creditur auctor *Baltasar* Pacimontanus, vel ut probabiliùs credunt alii, *Nicolaus Storkius*; qui cùm primùm *Luthero* adhæsisset, ab eo posteà deficiens, & insolitas revelationes ventilans ac jactans, Vvitemberga pulsus, per Thuringiam divagatus, apud rusticos idiotas & ignaros fidem inveniens de secretis, ut jactabat, sibi per Michaelem Archangelum revelatis, eis persuasit ut libertatem profiterentur Euangelicam, & spreta rerum mundanarum cura, soli Deo vacarent, sequò rebaptizari sinerent, & eos, qui tali doctrinæ repugnarent, igne ferroque delerent; asserens, naturam omnes genuisse liberos homines, nec allos ab aliis gravari voluisse, omniaque singulis communia esse; unde sectæ dogma præcipuum erat, *Parvulis rationis usu carentibus nihil prodesse Baptisma*, occasione orta ex *Lutheri* Epistola ad Vvaldenses, sive Picardos scripta, qua asserebat, inter alios, satius esse Baptismum in parvulis omitti, quàm illum sine fide conferri, cùm dicat Dominus, Marci cap. 16. vers. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, &c.* Quæ Christi verba de adultis intelligi non advertentes, Catholicos omnes, etsi in infantia baptizatos, ad suam deficientes sectam, rebaptizabant, & inde *Anabaptistæ* vocati hujus sectæ viri, antiquum *Agrippini* renovantes errorem. Anabaptistæ,

Anabaptistæ illi deinde varias in sectas divisi, quæ vel ab Auctoribus suis, vel à locis, vel à doctrina, vel à vitæ instituto varia traxere nomina, horumque Sectarii fuere præcipui, Eorumque sectarii.

1. *Muntzeriani* à Thoma *Muntzerio* Alstensi in Thuringia concionatore; qui è Sacerdote Catholico in Lutheranum mutatus, ita scitè enthusiastam agens, & vitæ austeritatem simulans, Sectam dilatavit, ut Sectæ auctor creditus fuerit.

2. *Adamitæ*, de quibus jam alibi, sic ab Adæ nuditate, quam præter

alia cum Anabaptistis communia dogmata sequebantur, ut sic Adæ simularent innocentiam, cujus antiquæ hæresis renovator in Bohemia creditur Picardus quidam, natione Belgicus.

3. *Baculares*, sive Stebleri, qui nec gladium, nec telum, nec aliud quodcumque armorum genus, præter baculum, Christianis deferre fas esse dicebant, vim vi repellere nefas esse putantes.

4. *Clancularii* sic dicti, quia latere studebant, suamque fidem manifestare fugiebant; nulla adeuntes templa, domi se suosque docebant, vel in hortis; unde & *Fratres Hortenses* dicti.

5. *Manifestarii*, qui econtrà suam omnibus manifestabant fidem, eam occultare impium esse putantes.

6. *Sabbatharii*, qui, Judæorum more, Sabbatum colebant, diem Dominicam spernentes.

7. *Dæmoniaci*, qui post finem mundi, Dæmones salvandos esse credebant.

8. *Communia habentes*, qui uxores, liberos, & alia omnia communia esse tenebant.

9. *Condormientes*, qui promiscuè viros & fœminas simul habitare & dormire volebant.

10. *Lacrymantes*, sive *Ejulantes*, qui nihil Deo gratum esse putabant, nisi perpetuò lacrymarentur & ejularent.

11. *Davidiani*, seu *Georgiani*, hoc est, cujusdam Davidis Georgii Amersfordiensis Sectarii, qui sese tertium Davidem, verumque Messiam jactabat.

12. *Mennonitæ* à quodam *Mennone* Simonis ex Frisiæ pago oriundo, qui voce, colloquiis & scriptis sectam propagavit.

13. *Polygamistæ* denique, qui præter communes alios cum Anabaptistis errores, plures simul uxores habere licitum esse dicebant.

Sed illorum omnium Anabaptistarum, *Baptisma parvulorum inutile putantium, & rebaptizantium adultos in infantia baptizatos*, dudum proscripta, & ultimò tandem à Trident. Conc. damnata est hæresis, sess. 7. Can. 13. de Bapt. dicente: *Si quis dixerit, parvulos eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac proptereà cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.*

De Sacramentariis.

Sacramentarii, *Sacramentarii* recentiorum temporum vulgò dicuntur hæretici illi Secta sua Antilutherani, & de tertia Euangelicorum classe viri, qui *Berengarii* dudum damnatam & sopitam renovantes hæresim, *negant realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam*; quorum primus creditur Andreas *Carolstadius*, vir natione Germanus, & professione Vvitembergensis primùm Archidiaconus, Lutherique coætaneus & familiaris, sed posteà ex Archidiacono & Sacerdote primus, qui è Clero apud Germanos, magno cum Ecclesiæ scandalo, uxorem ducere fuit ausus, quique primus hunc de Eucharistia commovit tumultum, asserens *in participatione Cœnæ Dominicæ non distribui corpus & sanguinem Christi*; idque sub Carolo V. Imp. & *Clemente VII.* Rom. Pont. anno circiter 1524. Hunc de-

inde subsecuti sunt plures alii, sed ita sua doctrina varii, ut varias in sectas sive factiones fuerint divisi, variaque nomina sortiti, quales fuere præsertim isti inter alios,

1. *Significativi*, hoc est, hi qui asserentes in Eucharistia esse solum Christi corporis signum, ly *est* pro *significat* sumendum esse volebant, quorum Duces fuere præcipui *Carolstadius* Vvitemberg. Archidiac. & *Zuinglius* Constantiensis Canonicus. Eorumque sectarii,

2. *Tropistæ*, qui non corpus, sed solam Corporis Christi figuram in Cœna esse contendebant, ut *OEcolampadius* Brigittanus apostata.

3. *Energici*, qui solam energiam, seu virtutem Corporis Christi in Cœna esse, sive à sumentibus recipi credebant, ut *Calvinus* cum suo grege.

4. *Arrhabonarii*, qui in Cœna Domini arrhabonem, seu pignus Christi dari fingebant, ut *Stancarus* in Polonia docebat.

5. *Adessenarii*, quorum alii in Eucharistia Corpus Christi ita adesse volebant, ut esset in pane, alii circa panem, alii cum pane, alii sub pane; unde quatuor in classes divisi.

6. *Pastillarii*, qui Christi Corpus in Eucharistia præsens quidem esse, sed in pane, aut sub pane esse volebant, sicut farina in pastillo est, aut pillulæ in ovo reconditæ; quales fuere 14. Suevici Pastores Lutherani, quorum antesignanus *Brentius* erat.

7. *Metamorphistæ*, qui Christi corpus à Christi in Cœlos ascensu, Deum factum esse dicebant, sicque in Cœna adesse, ut Deus est, non ut caro, qualis fuit *Suencfeldius*.

8. *Iscariotæ*, qui Judam Iscariotem in Cœna Domini, Christi Corpus non sumpsisse tenent, ut *Calvinus* & *Suencfeldius*.

9. *Neutrales*, qui Communionem sive sub una, sive sub utraque specie necessariam esse negant; unde est quòd à Communione abstineant multi; ita communis Lutheranorum praxis.

Sed contra illos omnes sive antiquos, sive recentiores *Sacramentarios* pugnat universalis Ecclesiæ fides de Eucharistiæ Sacramento, variis in Conciliis, sed tandem in Tridentino 24. Canonibus declarata, videlicet undecim sess. 13. *de ipso Eucharistiæ Sacramento*, quatuor sess. 21. *de communione sub utraque specie*, & novem sess. 22. *de Sacrificio Missæ*; sed præsertim sess. 13. cap. 8. Can. 1. qui sic habet: *Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem unà cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit*. Et meritò anathematizantur qui id negant, cùm ipsa Veritas Christus id expressè doceat, Matth. cap. 26. vers. 26. suis secum cœnantibus Apostolis dicens: *Accipite, & comedite: hoc est Corpus meum*.

De Protestantibus.

Protestantes, sive Confessionistæ dicuntur hi de secta Lutheri, vel ex ea pullulantes alii Novatores hæretici, qui Confessionem Augustanam profitentur & tenent, quæ Confessio Augustana nihil est aliud, quàm fidei professio à *Luthero* primùm 17. articulis proposita, deinde à *Melanthone* 21. articulis meliorem in formam redacta, & 7. additis aliis ad 28. articulos usque producta, sicque Carolo V. Imp. in Comitiis Augustanis oblata à Protestantibus Germaniæ Principibus, & istis adhærentibus aliis, qui Protestantes.

paulò anteà, hoc est, anno 1529. in generalibus Spiræ Comitiis, contrà decretum quo tollebatur libera cuique religionis optio, & præcipiebatur Catholicæ professio, protestati fuerant, postulantes permitti sibi conscientiæ libertatem, seu liberam relinqui sibi religionis electionem, usque ad futurum generale, vel nationale Concilium; unde & hi primùm Protestantes dicti, & cæteri deinceps eisdem adhærentes, & præfatam sequentes Melanthonis Confessionem illam, Augustanam ideò dictam, quia in iis Comitiis Augustanis à Protestantibus illis oblatam anno 1530. sed à Catholicis omnibus meritò repulsam & explosam; continebat enim 28. articulos, eratque duas in partes ita digesta, ut

Prior pars 21. contineret articulos, quorum aliqui divinam essentiam, Trinitatem personarum, vel Verbi Incarnationem spectantes, licèt essent Orthodoxi; alii tamen, quantumvis modificati vel mitigati, erant quoad substantiam hæretici.

Pars verò posterior 7. dumtaxat, sed hæreticos complectebatur articulos, quorum primus Communionem sub utraque specie præcipiebat, & sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti processionem inhibebat. Secundus Sacerdotum cœlibatum damnabat. Tertius privatas abolebat Missas. Quartus necessitatem confitendi peccatorum numerum negabat. Quintus Traditiones rejiciebat. Sextus Monastica vota damnabat. Et septimus denique potestatem Ecclesiasticam, solam respicere Euangelii prædicationem, vel Sacramentorum administrationem asserebat. Quæ omnia, Catholica reprobat, & novissimè in Trident. Concilio Catholica Ecclesia damnavit, dum has & alias damnavit Lutheri & Calvini, aliorumque Novatorum hæreses.

De Adiaphoristis.

Adiaphoristæ.

Adiaphoristæ, (quales fuere de mollium Confessionistarum classe Vvitembergenses & Lipsenses Theologi,) dicuntur hi, qui nedum Ecclesiæ cæremonias, Conciliorum Constitutiones, sed etiam & *Sacramenta omnia ad salutem indifferentia esse* docebant; ita ut illis uti, vel non uti possent sine peccato Fideles singuli pro bono pacis; unde meritò *Adiaphoristæ* fuere vocati, à voce græcâ ἀδιάφορος, latinè sonante *indifferens*; sed isti pariter communi SS. PP. voce, & perenni Ecclesiæ praxi damnati, imò & anathematizati ab eodem Trident. sess. 7. Can. 4. de Sacram. in genere: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licèt omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.*

De Bissacramentalibus, Trisacrament. & Quadrisacr.

Bissacramentales, Trisf. Quadrisacr.

Bissacramentales, *Trisacr.* & *Quadrisacr.* sunt alii ex eadem Lutheri schola suborti, & de Sacramentorum numero malè sentientes hæretici. *Bissacramentales* nimirùm, qui duo solùm admittebant Sacramenta, *Baptismum* videlicet, & *Cœnam*, ut Calvinus, & *Flacciani*, à Mathia viro Illyricano dicti. *Trisacramentales*, qui tria, *Baptismum* scilicet, *Cœnam*, & *Absolutionem* agnoscebant, ut totius Lipsensis districtus incolæ, ut & *Jacobus Præpositus* natione Flander, & Augustiniana professione Monachus, Lutheri socius. *Quadrisacramentales* denique, qui quatuor, *Baptismum*, *Cœnam*,

Cœnam, *Absolutionem & Sacerdotium* admittebant, ut praxis communis est; sed perperàm, & non catholicè in toto Vuitembergensium districtu, contra Catholicam universalis Ecclesiæ fidem, in Trident. Concilio, sess. 7. Can. 1. sic expressam: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum; anathema sit.*

ARTICULUS IX.

De præcipuis circa Deiparam Virginem, aliosve Sanctos in Cœlo regnantes hæresibus.

Cum sanctissima Deipara ea sit, de qua piè canit Ecclesia, *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*; non mirum, si hæc ipsa licèt clemens, licèt pia, licèt dulcis Virgo Maria, benigna, inviolata & gratia plena, omniumque Sanctorum Regina, cui fecit magna qui potens est, & quam benedicent omnes generationes; non sanè mirum, si hæreticorum omnium iniqua loquentium in se concitaverit ora & odia, fuerintque ex iis nonnulli in ipsam, ejusque clientes Sanctos Dei amicos singulariter blasphemi, inter quos, præter *Manichæos*, *Apellitas*, *Nestorianos*, & suprà depictos hæreticos alios, numerari possunt *Antidicomarianitæ*, *Collyridiani*, *Vigilantiani*, *Iconoclastæ*, *Hugonistæ*, & alii. Circa B. Virginem & Sanctos errarunt inter alios

De Antidicomarianitis.

Antidicomarianitæ, sive *Antidicomariani*, seu B. Mariæ Virginis adversarii dicuntur, *Hosio & Lindano* testibus, tum hi qui impiam, dudumque ab Ecclesia in Ephesino Concilio primo damnatam Nestorii renovantes hæresim, B. Mariam Dei Genitricem esse negant; tum hi qui cum *Helvidio* Auxentii Hæresiarchæ Mediolanensis Episcopi hæretico discipulo, à quo Helvidiani hæretici, vel cum *Joviniano*, viro pariter hæretico & excucullato urbis Romanæ Monacho, perpetuam B. Mariæ Deiparæ Virginitatem impugnant, perperàm & falsò putantes eam post Christum natum, fuisse à viro suo Joseph carnaliter cognitam, aliosve ex eo genuisse liberos, idque ex illo colligentes malè intellecto Matthæi loco, cap. 1. vers. 18. sic expresso: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens*. Et iterùm ex isto ibid. vers. 25. sic concepto: *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*. Indeque inferentes Christum plures habuisse fratres, & confirmantes ex illo Judæorum apud Matth. cap. 12. vers. 47. Christo dicentium: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te*. Antidicomarianitæ.

Sed perperàm & malè, cùm Scripturæ mos non sit, ut primogenitum vocet, quem fratres sequuntur, sed eum qui primò natus est, ut constat *de verborum significatione*, cap. *Joseph*; & soleat passim eos appellare fratres, qui aliqua sunt consanguinitate conjuncti, etsi non sint ex iisdem parentibus orti; sic *Lot* vocatur frater *Abraham*, dum Genes. cap. 13. vers. 8. dixit Abraham ad Lot: *Ne, quæso, sit jurgium inter me & te, & inter*

Pastores meos & Pastores tuos : fratres enim sumus; licèt tantùm, ex eadem Scriptura, fratris Abrahæ filius esset: ex iis ergo aliisve similibus Scripturæ locis, B. Virginem Mariam, alios post Christum genuisse filios, colligi nequit, præsertim cùm id deroget Dei Matris dignitati, & repugnet Ezechieli, de ea vaticinanti & dicenti, cap. 44. vers. 2. *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

De Collyridianis.

Collyridiani. *Collyridiani* fuere nonnulli, in Arabia præsertim grassantes hæretici, ex Thracia & Scythia superiore suborti sub *Theodosio I.* Imp. & *Siricio* Rom. Pont. anno circiter 395. qui majori, quàm par erat, & indebito B. Mariam Virginem glorificantes honore, eam veluti Deum colebant, eique sacra facere, & sacrificium ipsis quoque fœminis permittebant, eoque ritu, ut fœminæ currum quemdam, sive cellam quadratam ornantes, super eam quadrangulum panderent linteum; cui collyridam, sive parvum panem imponentes, stato quodam ac solemni anni die in nomine Mariæ sursùm tollerent, sicque ex illo communicarent pane, aliisque distribuerent astantibus cæteris; unde & Collyridiani vocati hujusce sectæ viri.

Sed durè increpandi, & Ecclesiæ anathemate digni hi omnes, quia speciem Idololatriæ profitentes hæretici; est enim à nobis summè veneranda B. Maria, quia Virgo Deipara sanctissima; sed non sacrificiis colenda, quia non Deus; Deus enim noster unus est, qui dicit Isajæ cap. 45. vers. 5. *Extra me non est Deus*; & Osee cap. 13. vers. 4. *Deum absque me nescies, & Salvator non est præter me.* Illi ergo soli, & nulli creaturæ quantumvis perfectæ divini debentur honores, dicente Paulo 1. ad Timoth. c. 1. v. 17. *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor & gloria.*

De Vigilantianis.

Vigilantiani. *Vigilantiani* hìc dicuntur à nobis hi, qui in Sanctos in cœlo cum Christo regnantes impiè loquuntur cum *Vigilantio* hæretico viro, natione Gallo, professione Barcinonensis Ecclesiæ Presbytero, vivente sub Arcadio Imp. & *Anastasio I.* Rom. Pont. anno circiter 402. docente, inter alia impia multa, Sanctos in cœlo regnantes nec venerandos esse, nec invocandos, nec illorum honorandas reliquias; unde quòd Martyrum sepulchra veneranda esse negaret, & Sanctorum Vigilias damnaret, non *Vigilantium*, sed *Dormitantium* potiùs vocandum esse dicebat olim, ad *Riparium* & *Desiderium* Presbyteros scribens *Hieronymus*, qui duobus Libris hos Vigilantii confutavit errores.

Quos ante Vigilantium ipsum tenuere *Eunomiani*, *Eustathiani*, & *Porphyriani* : sopitosque post Vigilantium revocarunt nedum *Waldenses*, *Wicleffitæ* & *Hussitæ*; sed etiam cum *Luthero*, *Zuinglio* & *Calvino*, nostri temporis Euangelici ferè omnes, teste Lindano, in sui Dubitantii dialogo secundo, sic loquente: *Porphyrius, Eunomius, Eustathius, Vigilantius, aliique Hagiomachi, Sanctorum miracula ajebant esse Dæmonum præstigias, neque eorum reliquias venerandas, neque Sanctos ad auxilium invocandos; horum insana dogmata nunc ab orco revocant Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliique propè omnes Euangelici*; imò & cæteri alii, quotquot Sanctos in cœlo

cum

cum Christo regnantes invocandos esse, vel illorum reliquias venerandas esse, cum *Vigilantio* negant, sicut & *Iconoclastæ*.

De Iconoclastis.

Iconoclastæ, sive *Iconomachi*, hoc est, sacrarum Imaginum fractores & hostes, dicuntur hi, Staphylo teste, qui Christi Sanctorumque omnium Imagines è templis ejiciunt, quales dici possent imprimis Judæi, qui Imagines oderunt omnes; asseruntque ideò Talmudici, Christianorum Ecclesias Idololatriæ domos esse, quia variis Christi Sanctorumque Imaginibus ornatas: quales & *Mahometani*, qui Judæorum exempla secuti, suo in Alcorano Imagines prohibent omnes; propriè dictorum tamen *Iconoclastarum* dici & grassati cœpit hæresis, & sacrarum Imaginum crudeliùs sævire persecutio anno circiter 719. sub *Gregorio II.* Rom. Pont. & Imp. Leone III. vulgò *Leone Isauro* nuncupato, qui maligno nonnullorum Judæorum impulsu, impiorum quorumdam convocato Episcoporum Concilio, impium de abolendis Imaginibus tulit edictum, anno circiter 730. unde & Iconomachus, id est Imaginum demolitor, eversor, impugnator & hostis jure vocatus. Leonem Isaurum secutus est Constantinus Copronymus, patris impii impius successor & filius; qui altera pariter Constantinopolim convocata Synodo, non minùs, imò crudeliùs sævit in sacras Imagines, quas speciali pariter decreto, è templis abolet omnes. Iconoclastæ.

Hanc hæresim licèt dudum ab Ecclesia proscriptam, & à 350. Patribus in secunda Nicæna Synodo, œcumenica septima, damnatam, ausi sunt nihilominùs renovare posteriores hæretici non pauci, *Iconoclastæ* recentiores ideò non immeritò dicendi, quales sunt inter alios, *Vualdenses*, *Vvicleffitæ*, & *Hussitæ*, de quibus suprà, imò & quotquot variis in Europæ locis grassantur adhuc *Hugonistæ*.

De Hugonistis.

Hugonistæ, sive Sacramentarii sunt è tertia Euangelicorum classe hæretici viri, vulgò in Germania *Calvinistæ*, in Anglia *Puritani*, in Boemia *Picarditæ*, in Belgio *Gueusii*, & passim in Gallia, vulgari nomine *Hugonistæ* vocati: unde autem sic dicti, variè opinantur varii; arbitrantur enim nonnulli eos sic ab *Hugone* quodam ludi Magistello Parisiensi vocatos, alii ab ipsorum libello quodam supplici, cujus initium erat, *Huc nos venimus*, hoc eis evenisse nomen asserunt. Contendunt perperàm & falsò ex ipsis aliqui, se sic ab *Hugone Capeto*, ex Parisiensi Comite, Francorum Rege dictos, eò quòd de Gallorum Sceptro certantibus *Hugonis* Capeti posteris cum aliis ex Carolo Magno satis, ipsi, ut ajunt, pro Capeti posteris steterint contra alios; putant denique & multò probabiliùs alii, eos sic primùm in urbe Turonica dictos à turre quadam *Hugonis*, sive *Hugonica* dicta, in qua, vel prope quam suos conventus habere solebant hi prætensæ reformatæ Religionis viri, à nobis passim Hugonistæ vocati; quique omnes quia nedum cum *Vigilantio* Sanctos in cœlo regnantes invocandos esse negant, reliquiasque calcant; sed insuper cum Iconoclastis sacras Imagines è templis abolent, ideò nedum inter Vigilantianos cum Euangelicis, & aliis ferè omnibus, sed & cum *Vvaldensibus*, *Vvicleffitis* & *Hussitis*, inter Iconoclastas licèt recentiores annumerandi. Hugonistæ.

Contra quos omnes tam Iconoclastas, quàm Vigilantianos & Hugonistas, cæterosque alios, sive in Sanctos, sive in sacras Reliquias, aut in Imagines sacras blasphemantes hæreticos, clamat communis ac perennis Ecclesiæ Catholicæ sensus; fuit enim semper dogma Catholicum, seu Catholicæ Ecclesiæ doctrina, licitum esse Sanctos in cœlo regnantes invocare, sacras illorum Reliquias venerari, Imaginesque sacras honorare seu adorare, non quidem adoratione Latriæ soli Deo debita, sed adoratione longè inferiori, & solùm honoraria, in sola, v. g. salutatione, genuflexione, in inflexione capitis, osculatione, vel in aliquo alio simili ritu externo posita, imò nec absoluta, sed relativa; ita ut non sistat hæc adoratio in ipsis sacris Imaginibus vel Reliquiis, sed transeat & referatur ad Sanctum illum, cujus sunt reliquiæ, vel imago: & quamvis tribus primis Ecclesiæ sæculis non tam frequens, sed ferè nullus, aut saltem rarus viguerit, ob sævientem tyrannorum persecutionem, actualis & externus tam Reliquiarum, quàm sacrarum Imaginum cultus & usus; viguit tamen in Ecclesia dogma de licita & utili Sanctorum invocatione, necnon de licito tum Reliquiarum, tum sacrarum Imaginum cultu; ac proinde non Idololatria est, nec illicitus dicendus hujusmodi cultus, ut perperàm calumniantur hæretici, quodque sic manifestè probari posset, quoad singulas partes.

Prima quidem pars, quæ est de invocatione Sanctorum, sic ostenditur.

1. Ex illo Lucæ cap. 16. vers. 22. ubi dicitur: *Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus: & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris ..... Et ait: Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas; audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Quo in loco, ut patet, à Christo, & post Christum à Luca trina refertur invocatio facta sancto Abrahæ, nec tamen illam improbat Abraham pater fidei nostræ, illam non reprehendit Christus, nec arguit Lucas; arguisset autem Lucas, reprehendisset Christus, & improbasset Abraham, si Idololatria esset, & illicita Sanctorum invocatio.

2. Ex illo Pauli ad Coloss. cap. 4. vers. 2. dicentis: *Orationi instate .... orantes simul & pro nobis.* Et 2. ad Thess. cap. 3. vers. 1. *Fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* Ubi Paulus invocat Sanctos in hac vita existentes, rogatque ut orent pro se, & hoc non putat Idololatricum esse, sed licitum, pium & utile, imò utilius dici debet Sanctos jam in cœlo cum Christo regnantes invocare; unde est quòd S. Hieron. contra *Vigilantium* dicat: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti, quantò magis post coronas, victorias & triumphos? unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam.* Exodi cap. 32. vers. 14. *Et*

Steph.

Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur. Act. cap. 7. vers. 59. *Et postquam cum Christo esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas.* Act. cap. 27. vers. 37. *Et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro his, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* Ergo, &c.

Secunda pars, quæ est de sacrarum Imaginum cultu, patet 1. ex illo Exodi cap. 25. vers. 18. ubi præcipit Moysi Deus, ut duas Statuas, seu Imagines duas faciat, quæ duos repræsentent Cherubinos super arcam, quæ magno in honore erat, ponendos, dicens: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies.* 2. Ex illo Num. cap. 21. vers. 8. ubi præcipit pariter Moysi Deus, ut serpentem æneum faciat, seu æneam serpentis imaginem, dicens: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses Serpentem æneum, & posuit eum pro signo; quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Et hæc ænea serpentis imago magno in honore & veneratione erat. Ergo, &c.

Tertia pars, quæ est de Reliquiarum veneratione, patet 1. ex illo Moysis facto, quo veneratus est Josephi Reliquias, secum ex Ægypto auferens illas, ut habetur Exodi cap. 13. vers. 19. *Tulit quoque Moyses ossa Josephi secum*, secundùm quod fuerat filiis mandatum ab ipso, & de quibus Josephi ossibus dicitur Ecclesiastici cap. 49. vers. 18. *Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Censet ergo veneratione aliqua dignas illas Josephi Reliquias, de quibus tam honorificam mentionem habet Scriptura sacra. 2. Patet ex illo 4. Regum cap. 13. vers. 20. ubi dicitur: *Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Honore haud dubiè digna fuere aliquo, & singulari veneratione aliqua, ipsa Elisei ossa, per quæ tam insigne patravit Deus miraculum.

Ex iis ergo constat Sanctorum in cœlo regnantium invocationem, sacrarum Reliquiarum Imaginumque cultum non esse sacræ Scripturæ dissonum, sed consonum, nec proinde Idololatricum & illicitum, sed pium, utilem & licitum, imò & usu receptum in Ecclesia *à primævis Christianæ religionis temporibus*, ut loquitur Tridentina Synodus, sess. 25.

De Rhetoriis.

Rhetorii, sive *Rhetoriani* fuere, teste Philastrio Brixiensi, hæretici nonnulli à *Rhetorio* quodam duce suo nuncupati, & in Ægypto & Alexandria quondam suborti; qui ita insanæ mentis, inversique cerebri erant viri, ut cunctas approbarent hæreses, hæreticosque laudarent omnes, & ex iis nullum errare, sed benè sentire omnes, perperàm & stultè dicerent cum suo Magistro Rhetorio: quæ hæresis tam stulta, rectæque rationi dissona visa est S. Augustino, ut in suo *de hæresibus libro ad Quodvultdeum*, impossibile esse dixerit, ut quis sanæ mentis compos hoc sentire possit. Rhetorii.

Cùm enim plures sint ex diametro inter se pugnantes hæreses, quomodo fieri potest, ut unaquæque illarum credatur vera? nisi credatur duo contradictoria posse simul esse vera, quod rectæ & non inversæ rationi manifestè repugnat, quod communis sensus reprobat, & sacra Scriptura

damnat;

damnat; si enim omnes veræ & approbandæ sint hæreses, si omnis laudandus hæreticus, laudandus erit *Sabellius*, laudandus *Arius*, laudandus *Photinus*, quos tamen omnes Catholica damnavit Ecclesia; laudandus erit & *Macedonius*, & quicumque alius in Spiritum Sanctum blasphemans hæreticus, quem tamen damnat in Scriptura Christus, Marc. c. 3. v. 29. dicens, quòd *qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum*. Si omnis laudandus esset hæreticus, ut perperàm & non minùs impiè, quàm stultè tenuit ille *Rhetorius*; nullus consequenter vitandus esset hæreticus, contra illud Pauli ad Titum, c. 3. v. 10. manifestè dicentis: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.*

ARTICULUS X.

De clarioribus, qui circa hæreses scripsere, viris.

Clariores qui de hæresibus scripsere, sunt

UT, quæ hîc in hoc nostro de hæresibus libello brevitati consulentes omisimus, non omittas, sed discas aliquando, tu nobilissime Candidate; juvat hîc tibi cursim insigniores designare, qui de hæresibus scripsere viros, quos inter eminent,

S. Irenæus. 1. *S. Irenæus*, de quo suprà, *S. Polycarpi* discipulus, & Lugdunensis primus post *Pothinum*, seu *Photinum* Episcopus, qui Libros edidit quinque adversùs hæreses sui temporis, & præsertim contra Valentinianam pro fide Catholica, pro qua Martyrio damnatus anno 205. vel 202. ut volunt alii.

Tertullianus. 2. *Tertullianus* Carthagine nobilibus, sed Paganis in Africa parentibus ortus, qui relicto Paganismo, Christo per Baptismum natus, & Carthaginensis Ecclesiæ Presbyter ordinatus, inter alia quæ pro Ecclesia scripsit opera, librum texuit unum *de præscriptione adversùs hæreticos*, quo hæreses impugnat omnes; & insuper quinque alios contra *Marcionem* hæreticum; unum contra *Valentinianos*; unum contra *Hermogenem*; unum contra *Praxeam*; unum de resurrectione carnis contra *Sadducæos*; & contra Judæos alterum.

S. Epiphanius. 3. *S. Epiphanius* Salaminæ in Cypro Episcopus, qui insigne illud opus suum, *Panarium* vulgò dictum, & tres in Libros divisum, edidit adversùs octoginta, hoc est, adversùs hæreses omnes ad suum usque tempus in Ecclesia subortas, cui & *Anchoratum*, sive Anchoram addidit circa Christi annum 380.

S. Philastrius. 4. *S. Philastrius*, in Italia Brixiensis Episcopus; qui cum *S. Ambrosio* & *Justo* Lugdunensi, Aquilejensi interfuit Concilio, anno 381. vir eruditus & sanctus, cujus meminit S. August. in suo de hæresibus Catalogo; qui scripsit *Librum unum de hæresibus*, tam antè quàm post Christum ad sua usque tempora subortis: sed magna cum prudentia & discretione legendus Liber ille, cùm plura inter hæreses recenseat, quæ verè hæreses non sunt. Obiit autem vir ille sanctus circa annum Christi 387. quem præsente santo Ambrosio, publico laudavit elogio ejus in Sede Successor *S. Gaudentius*.

S. Augustinus. 5. *S. Augustinus*, insignis Ecclesiæ Doctor, de quo suprà; qui unum *de hæresibus* contexuit Librum, seu Catalogum hæreseon, ex Epiphanii Eusebiique scriptis collectum, additis nonnullis aliis, & misit ad *Quodvultdeum*, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum, ad quem sic incipiens ait:

Quod

Quod petis sæpissimè atque instantissimè, sancte fili Quodvultdeus, ut de hæresibus aliquid scribam dignum lectione cupientium dogmata devitare contraria fidei Christianæ, & Christiani nominis obumbratione fallentia : scias me olim longè antequam peteres, facere cogitasse, atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans quale quantumque id esset, ultra vires meas eße sentirem ; sed quoniam fateor nullum mihi ut te instituisse poscendo, in ipsa tamen molesta instantia tua, & jam tuum nomen attendi & dixi, Aggrediar & faciam Quodvult-Deus, &c. In cujus Libri Præfatiuncula, duo promittit S. Doctor, 1. se omnes hæreses ad sua usque tempora grassatas recensurum. 2. Se, quid faciat hæreticum, dicturum ; primum implevit hoc in libello, non verò secundum, unde est quòd imperfectum vocet Librum istum *Possidius*.

6. *Theodoretus* Cyrensis, seu *Cyri* in Sytia sitæ urbis Episcopus ; qui *Hæreticarum fabularum 4. Libris scripsit Compendium*, in quo de hæreticis omnibus, à Simone Mago usque ad Eutychen agit ; quique licèt olim contra *Cyrillum* Nestorio faverit hæretico, posteà tamen resipuit, & Nestorium inter hæreticos recensuit Libro 4. sui de Hæreticorum fabulis Compendii, circa annum 430. vel 427. ut placet aliis, aut 460. ut opinantur alii. Theodoretus.

7. *Vincentius* Lirinensis vulgò dictus, & potiùs Lerinensis dicendus, quia Monasterii *Leri* Galliæ Insulæ Presbyter, *Cassiani* Massiliensis coævus, & *S. Lupi* Trecensis Episcopi germanus, vir juxta *Gennad. lib. de Script. Eccles.* in Scripturis sanctis versatus, & Ecclesiasticorum dogmatum notitia sufficienter instructus, qui biennio circiter post Ephesinum Concilium œcumenicum, hoc est, anno circiter 434. proprio suppresso nomine, ad evitanda hæreticorum collegia, nomine *Peregrini*, aureum scripsit libellum, seu *Commonitorium adversus profanas hæresum omnium novitates* ; & obiit anno Christi 440. Vincentius Lirinensis.

8. *S. Joannes Damascenus*, de quo suprà ; qui nedum in omnes ferè hæreses, *de fide Orthodoxa scripsit Libros quatuor*, & speciatim adversùs Manichæos dialogum unum ; contra Iconomachos, orationes tres ; & in Monothelitas unam ; contra Acephalos Librum unum, & in Theopaschitas Epistolam unam ; sed qui insuper *de centum hæresibus contexuit Librum*, quo omnium ad suam usque ætatem recenset hæreticorum sectas ; obiitque vir ille sanctus & fidei defensor invictus circa annum 750. S. Joannes Damascenus.

9. *Euthymius Zigabenus*, Ordinis S. Basilii Monachus ; qui præterquam quòd è S. Joannis Chrysostomi, aliorumque veterum Patrum scriptis eximia collegit in Scripturam Commentaria, *Panopliam edidit Orthodoxæ fidei adversùs hæreses omnes*, anno Christi circiter 1118. Fuit & *Euthymius* alter sub Theodosio juniore, anno 440. sed qui nihil scripsit. Euthymius.

10. *Honorius Augustodunensis* vulgò dictus, quia Augustodunensis, sive Æduensis Ecclesiæ in Burgundia Presbyter & Theologus eruditus ; qui præter *Chronicon*, & *Gemmam animæ*, hoc est, opus illud, in quo de divino officio, & de sacris Missæ cæremoniis agit, & cui titulum hunc præfixit, *Gemma animæ*, præter Commentaria in Libros Salomonis, postquam de Luminaribus Ecclesiæ, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui claro suæ doctrinæ lumine Ecclesiam illustrarunt, Librum ediderit ; scripsit & alterum *de hæreticis*, qui eam toto suarum hæresum fumo offuscarunt. Florebat vir ille pius & eruditus, circa annum 1220. Honorius Augustodunensis.

11. *Emmanuel*, sive Manuel *Caleca*, vir natione Græcus & doctus, FF. PP. Ordinis Religiosus ; qui sub Gregorio X. Lugdunensi secundo interfuit Concilio, anno 1274. (ut *in vita S. Bonav.* testatur *Petrus Gallesinus*, Emmanuel Caleca.

S. Sedis

S. Sedis Protonotarius, & *Aub. Mir. in sua Bibl. Eccles.*) Scripsit pro Latinis *libros* 4. *contra Græcorum errores de processione Spiritus Sancti*, quos postea latinè vertit, jussu *Martini V.* Romani Pontificis, *Ambrosius* Camaldulensis Monachus, & sui Ordinis tandem Moderator supremus, sive Generalis, quosque notis illustratos Ingolstadii tandem edidit Petrus Stevartius, & extant in Bibl. PP. edit. Colon. Negat tamen Bellarm. lib. de Script. Eccles. Calecam interfuisse Concilio secundo Lugdun. contendens illum sub fine sæculi 14. vixisse. Vide *Bellarm. Possev. &c.*

Guido Carmelita. 12. *Guido Carmelita* Catalaunus, è Ruscinonensi oriundus comitatu, & Guido de Perpiniano vulgò dictus, Carmelitarum Ordinis Prior Generalis duodecimus, Majoricensis postea primò, & Elnensis tandem Episcopus, qui inter alia, præter unum *de perfectione vitæ Catholicæ librum* Joanni XXII. Romano Pontifici dicatum, scripsit insuper ad Cardinalem Albanensem, *ingens de hæresibus omnibus Volumen*; & obiit Avenione, anno Christi 1330.

Thomas Valdensis. 13. *Thomas Valdensis*, natione Anglus, & professione Carmelitici pariter Ordinis Prior Provincialis, & Henrico V. Anglorum Regi à Confessionibus, qui insigne scripsit opus cum hoc præfixo titulo, *Doctrinale fidei antiquæ* contra *Vvicleffitas & Hussitas*, quod *Martino V.* Rom. Pont. dicavit, & tres in tomos ita divisit, ut in 1. agat contra illos, *De Deo*, *de Christo*, *de Petro*, *de Ecclesia*, *de Religiosis*. In 2. verò *De Sacramentis*; & in 3. *De Sacramentalibus*. Obiitque tandem in Gallia Rothomagi, circa annum Domini 1430.

Sunt & alii numero multi, qui specialiter in hæreticos scripsere recentiores, quales sunt inter insigniores, sequentes isti.

Silvester. 1. *Silvester Mozolinus*, juxta *Aub. Mir.* fuit vir natione Pedemontanus & patria Prierias, sive de Prierio, unde *Silvester Prieras* vulgò dictus, Ordinis FF. PP. alumnus, Magister sacri Palatii, ac tandem totius FF. PP. Ordinis Prior Generalis; qui primus Orthodoxorum omnium, contra Lutherum Librum scripsit unum *de Ecclesia & Romano Pontifice*, sicque velut signum sustulit ad novas oppugnandas & debellandas hæreses; scripsit insuper, inter alia, ad *Leonem X.* Romanum Pontificem, *Summam moralem*, quæ vulgò vocari solet *Silvestrina*, & *Summa summarum*; & obiit anno 1500.

Joannes Ekius. 2. *Joannes Ekius*, natione Suevus, sacrarum Literarum Professor, & fidei Catholicæ propugnator egregius; qui contra *Lutherum*, *Carolstadium*, *OEcolampadium*, *Melanthonem*, & alios, scripsit inter alia, *Enchiridion*, quo omnes ferè tangit & resolvit controversias. Obiitque anno 1543.

Thomas de Vio. 3. *Thomas de Vio* Generalis Ordinis FF. PP. Magister, ac Cardinalis à *Leone X.* creatus, qui sua quàm plurima inter Opera alia, *multa scripsit contra Lutherum fidei controversa.*

Joannes Fischerus. 4. *Joannes Fischerus* natione Anglus Cambrigiensis Academiæ Doctor & Cancellarius, Henrici VIII. Angliæ Regis quondam præceptor, *Roffensis*que, seu Rochesteriensis in Anglia Episcopus, ac S. R. E. Cardinalis à Paulo III. Romano Pontifice creatus, quique tandem nefario Henrici Regis divortio subscribere nolens, nec diro consentire schismati, quo à Romana Sede scissa est & errat adhuc Anglicana Ecclesia, in vincula conjectus est, ut alter Joannes Baptista, & tandem jussu Regis obtruncatus

gloriosè

gloriosè Christi martyr occubuit, ann. 1535. pro Christo & Ecclesia, pro qua scripserat,

1. *Contra Lutheri articulos à Leone X. damnatos.*
2. *Contra ejusdem Lutheri de captivitate Babylonica Librum.*
3. *Contra eundem de Christiano sacerdotio.*
4. *De Eucharistiæ Sacramento, contra OEcolampadium.*
5. *De unica Magdalena, contra Jacobum Fabrum.*

Thomas Morus.

5. *Thomas Morus* è Joanne Moro Londini in Anglia natus, vir fuit eruditione, pietate & martyrii laurea clarus, Joannis Fischeri Roffensis coævus & amicus, Henricique VIII. Angliæ Regis ad varios variaque tractanda negotia sæpè legatus, & præsertim ad pacem Cameraci tractandam & componendam inter Franciscum I. & Carolum V. anno Christi 1529. è qua legatione ritè peracta in Angliam reversus, à Rege Cancellarius Angliæ creatus est. Verùm cùm posteà Rex ille, Henricus scilicet octavus, à Romana discessit Ecclesia, & ut Anglicanæ Ecclesiæ caput & Primas dici voluit, & agnosci, idque meritò non probaret Thomas Morus, Regis jussu in carcerem est conjectus, ubi cùm per 14. menses in sancto proposito perseverasset, nec nefario Regis divortio ac schismati consentire vellet, à Rege capite plecti jussus, gloriosus martyr occubuit eadem de causa & eodem anno quo Roffensis, videlicet anno Christi 1535. die 6. Julii, ætatis verò 62.

Joannes Faber.

6. *Joannes Faber*, natione Helvetius, Constantiensis primò Canonicus, posteà Viennensis in Austria Episcopus, vir linguarum Orientalium peritus, cum Lutheranis in colloquiis & in Imperii Comitiis sæpè congressus, & è Catholicorum primis Lutherum aggressus, qui inter alia plura, præter *Orthodoxæ fidei defensionem adversus Baltasarum Pacimontanum*, & *librum de potestate summi Pontificis contra Lutherum*, insuper opus unum sex in libros divisum in hæreticos conscripsit, quod *Malleum hæreticorum* vocavit, & summo Pontifici Adriano VI. dicavit; & obiit anno Christi 1545.

Joannes Coclæus.

7. *Joannes Coclæus* Norimbergensis, vir doctissimus, & fidei Catholicæ propugnator egregius; qui contra Lutherum, Bulingerum, Osiandrum, Melanthonem, Bucerum, Calvinum, & similes alios impiarum sectarum magistros, scripsit Opera plurima, & inter alia, Librum *de actis & scriptis Lutheri* valdè utilem ad Lutheranos confundendos; scripsit insuper & *Septicipitem Lutherum*, ut ostenderet Lutheri contradictiones & inconstantiam. Obiit anno 1552.

Alfonsus à Castro.

8. *Alfonsus à Castro*, natione Hispanus, patria Zamoranus, professione Franciscanus, Salmanticensis Cœnobii professus, & Concionator totius Hispaniæ celeberrimus sub Carolo V. & Philippo II. qui tandem ad Archiepiscopatum Compostellanum designatus, sed morte præventus Bruxellæ in Brabantia nondum consecratus, è terra Cœlum petiit anno 1558. variis & eximiis relictis suæ eruditionis profundæ munumentis, inter quæ insigne reperitur opus *adversùs hæreses* in Libros 14. distributum.

Hosius.

9. *Stanislaus Hosius* Cracoviæ in Polonia natus, Culmensis primò, deinde Vvarmiensis Episcopus, & S.R.E. Cardinalis à Pio IV. Rom. Pont. creatus, ejusque posteà in Tridentino Concilio Legatus, vir verè eruditus ac pius, qui hæc verba, *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit*, in corde & ore per totam vitam jugiter habens, & quæ præsertim jam moriturus sacra sumpta Synaxi frequenter iterabat; nec frustrà: reipsa enim mansit cum illo, & mira per eum operatus est in Polonia, Germania & Italia

Domi-

Dominus, quæ tribus describit Libris *Stanislaus Reschius*, hoc ei metricum superaddens elogium, quo dicitur:

Religionis Atlas, vox, & manus altera Pauli,
Mors Lutheri, Cœli Janitor, orbis amor.

Quem Pius V. & Gregorius XIII. solidam Ecclesiæ columnam appellarunt, & qui præter *Confessionem Catholicæ fidei adversùs Confessionem Augustanam*, præter confutationem prologomenon Brentii Ubiquitarum Coryphæi, aliaque plura, scripsit de *hæresibus* sui temporis, circa annum Christi 1565.

Prateolus. 10. *Gabriel Prateolus*, Parisiensis Facultatis Doctor Navarricus, vir eruditus & pius, Ecclesiæ sancti Salvatoris Peronensis Parochus; qui, præter Historiæ Ecclesiasticæ volumina duo, & Tractatum de auctoritate Conciliorum, scripsit *Elenchum Hereticorum omnium, ordine alphabetico digestum*, in quo multa narrat de vitis, sectis & dogmatibus eorum, è variis rerum Ecclesiasticarum Scriptoribus collecta; obiitque Peronæ circa annum Christi 1588.

Lindanus. 11. *Guillelmus Lindanus*, patria Dordracenus in Hollandia, vir Religionis Catholicæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ zelo clarus, suique sæculi Scriptor egregius, ex Doctore Lovaniensi Ruremondensis primò, deinde Gandavensis, post Cornelium Jansenium, Episcopus; qui scripsit *Panopliam Euangelicam dubitantium, & tabulas analyticas omnium hæresum* sui sæculi; obiitque 2. Novembris anno circiter 1588.

Coccius. 12. *Jodocus Coccius* Bileveldianus, Canonicus Julianensis, qui edidit *Thesaurum Catholicum*, cui per 24. annorum spatium insudavit, & in quo Catholicam propugnat fidem, contra *hæreticos omnes*, circa annum 1599.

Perronius. 13. *Jacobus David Perronius*, vir ingenio magnus, in inferiori Normania è Calvinianæ sectæ parentibus ortus; qui grandior factus & eruditior, cognitis parentum erroribus & abjuratis, Clericalem amplexus statum, illustris fuit & egregius fidei Catholicæ defensor; qui Ebroicensis primò Præsul, deinde Senonensis Archipræsul, tandemque S. R. E. Cardinalis creatus, plures ad Ecclesiam reduxit, pluraque in hæreticos sui temporis scripsit & egit, inter quæ censeri debet celebris *Replica*, sive responsio ad majoris Britanniæ Regem; obiitque Parisiis 5. Septembris anno 1618. ætatis suæ 63.

Richelius. 14. *Armandus Plesseus* hìc non est prætermittendus, vir pariter natione Gallus, ingenii præstantia & eruditione magnus, *Dux Richelius* & Fronsacus, Par Franciæ & Statuum Minister quondam primus, Lucionensis Episcopus, & tandem S. R. E. Cardinalis à Gregorio XV. creatus; qui inter heroica & erudita in sui temporis hæreticos gesta, ad illos quoscumque reducendos ab Ecclesia devios, eruditum scripsit *Controversiarum Tractatum*. Obiitque Parisiis 4. Decembris anno 1642.

Bossuetus. 15. *Benignus Bossuetus* vir pariter Gallus, natione Burgundus, Divione claris natalibus ortus, sacræ Facultatis Parisiensis Doctor celebris, Meldensium Episcopus illustris, Serenissimi Galliarum Delphini Ludovici Magni filii Præceptor, eruditione mirabilis, & hæreticorum sui temporis nedum doctrina, sed & Religionis zelo debellator insignis: in eos enim diù multùmque desudans pugnavit scripto, verbo & exemplo, eosque errantes & à fide devios, ut ad fidem fortiter suaviterque reduceret, scripsit Gallicè erudita opuscula varia, & inter illa præsertim, *Eruditam ac mirabilem*

rabilem fidei nostræ Catholicæ texuit expositionem, quæ fuit ubique gentium summo cum applausu illicò recepta, & eruditorum omnium calculo probata atque laudata; scripsit insuper ***opus alterum non minùs eruditum & laudabile, in quo novatorum Religionis falsi nominis reformatæ multiplices in fide variationes aperuit***: scripsit & alia multa, scripsisset & plura alia nisi scribendo desiisset, & relicto sui desiderio Parisiis merito clarus & fama, viam universæ carnis ingressus, obiisset anno 1704.

Præter hos omnes, sunt & alii plures sancti Ecclesiæ Patres, de quibus suprà, qui in aliquos speciatim scripsere hæreticos, ut v. g. ***S. Cyprianus*** & ***S. Pacianus*** in Novatianos; ***S. Athanasius***, ***S. Phœbadius***, ***S. Hilarius*** Pictaviensis, ***Lucifer*** Calaritanus, ***Gregorius*** Nazianzenus, & ***Ambrosius*** in Arianos; ***sanctus Optatus*** Milevitanus in Donatistas; ***sanctus Basilius*** in Eunomium; ***sanctus Hieronymus*** in Origenem, Jovinianum, Helvidium, Vigilantium & Pelagium; ***sanctus Augustinus*** in Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos & Jovinianistas; ***sanctus Cyrillus*** Alexandrinus in Nestorium; ***sanctus Leo*** in Nestorium, Eutychen & Priscillianum; ***sanctus Prosper*** Aquitanicus in Pelagianos, & Semipelagianos; ***sanctus Fulgentius*** in Arianos, & Pelagianos; ***sanctus Sophronius*** Jerosolymitanus, & ***sanctus Maximus*** Martyr in Monothelitas; ***sanctus Ildefonsus*** Toletanus contra Antidicomarianos; ***sanctus Damascenus*** contra Iconomachos; ***Lanfrancus*** Cantuariensis Archiepiscopus, ***sanctus Thomas*** Aquinas, & ***sanctus Bonaventura*** contra Græcorum errores; ***sanctus Bernardus*** contra Petrum Abailardum, Gilbertum Porretanum, Petrobusianos & Henricianos. Hos tu Consule Orthodoxos Ecclesiæ Doctores, benevole Candidate; hos interroga sanctos Ecclesiæ Patres, & dicent tibi quidquid de hæreticis dicendum omisit iste noster Apparatus; in quo, ut cum ***sancto Fulgentio*** juvenem ***Donatum*** alloquente loquar: ***Hæc tibi, charissime fili, pro tuo sancto desiderio & dilectione transmisi, ex quibus tibi quidam præbeatur instructionis gustus, & ex hoc gustu crescat in te prolixioris lectionis affectus, ut tantò magis possis, Deo adjuvante, proficere, quantò studiosiùs cœperis sanctorum Patrum relicta requirere, inventa frequentiùs atque attentiùs recensere; unde tibi, Deo adjuvante, gratia scientiæ plenior accedat, qua possis non solùm veram retinere fidem, verùm etiam hæreticorum mortiferam convincere falsitatem.*** Hunc lege, hunc volve, & in eo si quid incautè fortè peccaverit Auctor, Catholicæ censuram Ecclesiæ lubenter audire parato, parce, vale & vive; utque diù & in æternum feliciter vivas, det tibi desuper qui vita est, ut fideliter impleas quod juveni ***Licentio*** Romaniani filio, & S. Augustini discipulo, ***S. Paulinus*** sic metricè canebat olim:

Vive, precor, sed vive Deo; nam vivere mundo,
Mortis opus; viva est vivere vita Deo.

FINIS.